225

151/I

Dr. Heraeus.

Mommsen? I p. 332?

Eucherius p. 112. 224

CORPVS
GLOSSARIORVM LATINORVM

A

GVSTAVO LOEWE

INCOHATVM

AVSPICIIS ACADEMIAE LITTERARVM SAXONICAE

COMPOSVIT RECENSVIT EDIDIT

GEORGIVS GOETZ

VOL. I

LIPSIAE ET BEROLINI IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
MDCCCCXXIII

DE
GLOSSARIORVM LATINORVM
ORIGINE ET FATIS

SCRIPSIT

GEORGIVS GOETZ



LIPSIAE ET BEROLINI IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
MDCCCCXXIII

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI.

PRAEFATIO

1888-94 I-V

Sex Corporis glossariorum latinorum voluminibus ab anno 1888 ad 1901 editis quod ratione olim instituta tandem primum praemitto 'de glossariorum latinorum origine et fatis' inscriptum, hoc antequam prodiret et ipsum sua fata habuisse cur moneam mihi esse profiteor. Cuius voluminis capita priora cum iam annis 1903 et 1904 chartis mandare coepissem, mox fessum me ab opere et onere studia in Varronis libros translata per aliquot annos avocarunt: quibus demum studiis absolutis huius saeculi anno duodecimo integris viribus ad intermissum laborem reverti. Quo ipso anno et eo qui sequebatur cum partem capitum potiorem composuissem, spes me tenuerat iam anno decimo quarto me ultimam toti volumini manum esse impositurum, quam spem belli magni tempestates perturbationes, sollicitudines maerores funditus perverterunt: donec paullatim eorundem temporum atrocitas, quae consuetis negotiis ne vacarem diu impediverat, curarum leniendarum causa ad studia intermissa revocabat. Vnde factum est, ut iam anno decimo sexto hae quaestiones mea manu exaratae in typothetarum officinam Lipsiensem migrarent. Vbi cum primae aliquot plagulae iam typis exscriptae essent, post indutias factas repente W. M. Lindsay per epistulam ex me quaesivit, num primum meum volumen quod praeparari scivit iam emissum esset, addiditque se interim, h. e. cum commercium litterarum interclusum esset, complures commentationes de glossariis latinis a me editis composuisse — quarum fama sane epistulam superaverat — et mihi missurum. Quas viri doctissimi commentationes postquam cognovi et ad easdem ex parte quaestiones pertinere vidi quibus operam ipse navaveram, nullo modo fieri posse mihi constitit, ut liber meus prodiret nulla illorum studiorum ratione habita; sed cum res ipsa obstaret, ne meum librum, cuius pars iam impressa esset, denuo retexerem, meditanti mihi alia via non esse videbatur nisi ut mea publici iuris facerem ita fere ut scripseram, de Lindsayi eiusque discipulorum amicorumque opusculis in 'Addendis' uberius referrem et quoad a me dissentirent vel mea supplerent ea qua par est cura exponerem. Quae dum animo meo agito et recolo, ecce peropportune accidit, ut Paulus Wessner, vir mecum coniunctissimus, in Bursiani annalium vol. 188 (a. 1921) p. 237 sqq. de

eisdem commentationibus disputaret paucis complexus quidquid viri docti diversis locis etiam de glossariis protulissent. Quae ubi legi, virum amicissimum adii, ut mea quasi vice fungeretur et haec 'Addenda' meo quidem loco, sed suo usus arbitrio contexeret; facilius enim illi, ut nulla re praeoccupato, quam mihi ipsi ab his studiis recenti futurum esse censui libero et candido iudicio de discrepantia sententiarum exponere: quo quid melius atque optatius ipsi rei accidere possit nescio. Meas autem quaestiones his capitulis quae secuntur discriptas esse sciendum est: I de glossariis vetustissimis p. 1—12; II de idiomatis et hermeneumatis p. 12—23; III de Pseudophiloxeno p. 23—34; IV de Pseudocyrillo et minoribus quibusdam glossariis bilinguibus p. 34—47; V de glossariis medicobotanicis p. 47—59; VI de Placido grammatico p. 59—71; VII de Nonio Marcello et Fulgentio p. 71—75; VIII de synonymis Ciceronis p. 75—86; IX de differentiis p. 86—93; X de scholiis et tractatibus grammaticis p. 93—104; XI de libro glossarum p. 104—117; XII de glossariis codicum Vaticani 3321 et Sangallensis p. 118—129; XIII de glossariis codicis Leidensis 67 F p. 129—141; XIV de glossis AA aliisque excerptis p. 141—150; XV de glossis Amplonianis p. 150—165; XVI de medii aevi quibusdam epitomis et epitomatoribus p. 165—190; XVII de derivationibus Huguccionis Panormia Osberni Catholico Iohannis Ianuensis p. 190—217; XVIII de glossariis novi et veteris testamenti p. 217—227; XIX de glossariis medicobotanicis recentioribus p. 227—236; XX de medii aevi studiorum quibusdam adiumentis recentioribus et recentissimis p. 236—243; XXI de Scaligeri studiis glossematicis p. 244—259; XXII de studiis glossographicis saeculorum XVII et XVIII p. 260—266; XXIII de studiis glossographicis a Maio usque ad Gustavum Loewe p. 266—274; XXIV de studiis glossographicis recentissimis p. 274—283; XXV epilogus (cum indice codicum inspectorum) p. 283—293; XXVI supplementum p. 293—308. Haec viginti sex capita excipiunt Addenda: A. de Lindsayi eiusque discipulorum studiis glossographicis scripsit Paulus Wessner p. 309—391 (agitur 1. de glossariis ipsis p. 309—342; 2. de glossis Festinis p. 342—369; 3. de glossis Vergilianis p. 369—382; denique 4. de glossis Iuvenalianis p. 382—390; 5. de glossis Terentianis p. 390 sq.); B. Additamenta editoris (p. 392—393). His additamentis submisi indicem necessarium, quoad eius fieri potuit ad 'Thesaurum glossarum emendatarum' accommodatum, cuius supplementum eum esse volui. Insunt 1) novae glossae, quae cum nunc demum ex codicibus accesserint in Thesauro non feruntur; 2) glossae etiam in

Thesauro exhibitae, de quibus hoc vel illud et ipse addendum putavi et addidit Wessner ex suis et Lindsayi eiusque sociorum epistulis et commentationibus; 3) glossae quae novis testimoniis confirmantur vel ad historiam totius harum litterarum generis aliquid adferunt. Quamquam non omnes glossas quas in hoc volumine aliqua ratione commemorare visum est in indicem transferendas esse censui; velut glossas 'Alphita', quarum quae a littera A incipiunt codicis Bernensis p. 229 sqq. exhibui memoriam, ex indice exclusi, ut quae sine reliquis libris satis emendari non possint; nec magis glossas medicobotanicas quas p. 53 sqq. attuli posui in indice, cum eo quo dixi loco de ratione qua inter se cohaereant glossae egerim, non de emendatione; item Cassii Felicis locos quos p. 48 sqq. composui satis habui nunc commemorasse. — Supplementa ad quae iam in Thesauro saepissime provocavi haec sunt: 1. fragmenta Monasteriensia (Gallée 360—364) p. 41 sqq.; 2. fragmentum Monacense (Steinmeyer IV 504) p. 156 sqq.; 3. fragmenta Werthinensia (Gallée 346 sqq.) p. 157 sq.; 4. fragmenta Werthinensia, nunc Monasteriensia (Gallée 337—343) p. 161—163; 5. fragmentum Werthinense (Gallée 343 sq.) p. 164. Differentiae si quae exstant inter editionem quam Gallée publicavit et meum apographon, hoc post illius curas iterata collatione confectum esse moneo.

Scripsi Ienae m. Septembri a. MDCCCCXXII.

Georgius Goetz.

CAPVT I. DE GLOSSARIIS VETVSTISSIMIS

§ 1. Glossas vel glossemata cum Romani Graecorum grammaticos imitati scribere instituerent, una cum re etiam vocabula in Latium transtulerunt. Et glossa quidem vocabulum latinum, cuius graecam formam retinet Quintilianus I 1, 35 (*interpretationem linguae secretioris quas Graeci γλώσσας vocant*), apud Varronem legitur de l. lat. VII 10 (*quod addit templa ut sint tesca, aiunt sancta esse qui glossas scripserunt*); porro Iulius Romanus apud Charis. p. 229, 31 glossas antiquitatum commemorat (*ut in glossis antiquitatum legimus scriptum*); ibidem p. 242 exhibetur '*in glossis veterum*'. Adde praeter Isid. I 5, 4 et I 30 Auson. epigr. 127, 2 (78, 2 = p. 217 ed. Schenkl) Anecd. Helv. p. 177, 34 una cum testimoniis quae in Thes. gl. em. composuimus. Quod fuerunt qui dubitarent, utrum cum L. Muellero Nov. Ann. t. XCVII (a. 1868) p. 68 'glosa' scribendum esset an 'glossa' cum Varrone, eam quaestionem nunc sic expediemus, ut 'glossa' formam et vetustiorem et doctam esse statuamus, 'glosa' recentiorem vulgarem romanicam; cf. Loewe Prodr. p. 1 sqq., Groeber Arch. II p. 439[1]), Thes. gl. em. p. 497. — Eandem quam 'glossa' vim forma habet diminutiva 'glossula', quam Diomedes ponit p. 426, 26 (*in poeticis glossulis*); cf. schol. Persii I 95: quibus testimoniis addenda sunt ea quae in Thes. gl. em. p. 497 exstant. 'Glossula' graece *γλωσσάριον* est, quod ipsum legitur apud Gell. XVIII 7, 3 (*glosaria namque colligitis et lexidia, res taetras et inanes et frivolas tamquam mulierum voces praeficarum*).[2])

1) Ex Hugucione et Ioanne de Ianua inter alia haec affert Ducangius praef. p. XXX: *vel glossa est expositio sententiae, literam continens et exponens: unde et dicitur Glosa, quasi Glossa, id est lingua* e. q. s.

2) 'Glossarium' vel 'glosarium' pro 'glossarum collectione' exhibet praeter cod. Bern. A 91 n. 18 (*incipit glosarium roboratum summa auctoritate*) Papias: *glossa graece lingua, quia quicquid est illico uno verbo declarat* (haec ex libro glossarum fluxerunt, ubi sic est: *glossa graece, latine adverbium; hanc dicunt Graeci, quia quidquid illud est, in uno verbo declarat;* liber glossarum autem pendet ex Isidori Orig. I 30; ubi *ad verbum* editores); *unde glossarium dictum, quod omnium fere partium glossas contineat.* Ab hoc tempore etiam in glossarum inscriptionibus non semel *glossarium* (*et glosarium*) exstat, pro quo postea

Omnibus his locis 'glossa' et 'glossula' aut vocem obscuram solam aut eandem una cum interpretamento significat. Neque vero loci desunt quibus glossa pro ipso est interpretamento; cf. Anecd. Helv. p. 185, 14: *interdum ab auctoribus difficilior glosa ponitur quam sit ipsum quod exponitur, ut Hieronymus 'terrenus idest cholcus'* (scr. *choicus*). — Glossema nunc apud Varronem legimus de l. lat. VII 34 (*camillam qui glos⟨s⟩emata interpretati dixerunt administram*) et 107 (. . . *persibus a perite: itaque sub hoc glossema 'callide' subscribunt*). Praeter Varronem autem Asinius Gallus commemorandus est, cuius hoc epigramma est apud Suetonium (de M. Pomponio Marcello, gramm. 22 extr.): *Qui caput ad laevam didicit, glossemata nobis Praecipit: os nullum vel potius pugilis.* Praeterea duo sunt loci Festi, p. 166 alter (*glosematorum scriptores*), alter p. 181 (*Ateius Philologus in libro glosematorum*), unus apud Quintilianum (I 8, 15: *circa glossemata etiam, id est voces minus usitatas, non ultima eius professionis diligentia est*); adde '*glossemata per litteras latinas ordine composita*' et '*glossemata idem significantia*' ex indice Charisii p. 6, 12, '*glossemata sancti Isidori episcopi de distantia verborum*' ex Arevali tom. III p. 506; denique non sunt praetermittendi Charis. p. 131, 10; Cassiod. de orth. p. 167, 9; 174, 10; 175, 4; 176, 14; 177, 9; Gramm. lat. IV 121, 13—16; Thes. gl. em. s. hac voce. Ex quibus locis elucet synonyma fuisse vocabula 'glossa' et 'glossema', utrumque autem vetustiore certe tempore vocem minus usitatam ipsam, pluraliter etiam collectionem vocum minus usitatarum una cum interpretatione potuisse significare. 'Glossematicum' (scil. genus orationis) apud Diomedem est p. 440, 1, glossematicōs (*γλωσσηματικῶς*) apud Porphyrionem in Hor. epist. II 1, 15. Sed iam satis de his: age vero, nunc a vocabulis ad rem ipsam transeamus.

§ 2. Vt apud Graecos institutio puerorum studia glossographica excitavit (quo de v. Cohn, 'Griechische Lexicographie' p. 577 sqq.), ita etiam apud Romanos primum in usum discentium glossemata collecta sunt. Quod ita se habere non modo Asinii Galli epigramma supra prolatum docet ('*qui caput ad laevam didicit, glossemata nobis praecipit*'), sed etiam planissime ex Quintiliani verbis hisce elucet (I 1, 34): *illud non paenitebit curasse, cum scribere nomina puer, quemadmodum moris est, coeperit, ne hanc operam in vocabulis vulgaribus et*

---

etiam *dictionarium* (et *dictionarius*), *vocabularium* (et *vocabularius*) maluerunt. Antea dicebant: *glossa* (*glossae*), *glossulae*, *glosemata*, *explicationes quarundam vocum* (Parisinus lat. 16702), *glosę idest interpretationes* (Steinmeyer IV p. 397; 410), *conscriptio glosarum*, *explanatio sermonum* (Notices et Extr. XXXVIII 12 [348]), *explanationes*, *proprietates sermonum*, ut alia mittamus. Cf. Loewe Prodr. p. 1 adn. 2; p. 2.

forte occurrentibus perdat: protinus enim potest interpretationem linguae secretioris, quas Graeci γλώσσας vocant, dum aliud agitur, ediscere et inter prima elementa consequi rem postea proprium tempus desideraturam.' Eodem denique iocus impurus spectat Ausonii (l. s. s. p. 1).[1]) Glossemata autem qui praeceperunt collectionibus usos esse huic usui destinatis ut per se probabile est ita ex locis quibusdam Varronis et Verrii Flacci apparere videtur, quos hic subiciam. Varro de l. lat. VII 107: '*multa*', inquit, '*apud poetas reliqua verba quorum origines possunt dici . . . in Demetrio* '*persibus*' *a perite: itaque sub hoc glossema* '*callide*' *subscribunt.*' Quocum loco coniungenda sunt quae apud eundem Varronem VII 10 leguntur: '*quod addit templa ut sint tesca, aiunt sancta esse qui glossas scripserunt. id est falsum* e. q. s. et VII 34: *camillam qui glossemata interpretati dixerunt administram*; denique Verrii Flacci verba haec (p. 166): '*naucum ait Ateius Philologus poni pro nugis. Cincius quod* [*in*] *oleae nucisque* (*cutim oleae nucis quae* Huschke. *quod in* ⟨*putamine*⟩ *oleae nucisque* Seckel et Kuebler) *intus sit. Aelius Stilo omnium rerum putamen. Glosematorum autem scriptores, fabae grani quod haereat in fabulo.*' Ex quibus locis simul illud videtur apparere glossematorum scriptores neque Aelium Stilonem neque Ateium Philologum neque Cincium intellegendos esse, quamvis Ateius librum glossematorum scripserit, immo nomina illorum magistellorum[2]) aut non fuisse nota aut consulto praeterita esse, lemmata autem eam formam habuisse, quae in ipsis auctorum libris posita erat, interpretamenta simplicissimam et ad lemmata accommodatam, denique primo nec veriloquia nec testimonia adiecta fuisse. Cuius simplicitatis rationem facile intellegemus, si quem usum habuerint olim glossemata probe perspexerimus. Talia autem glossaria cum certum sit Varronem et Verrium inspexisse, ne illud quidem improbabile videtur, non pauca inde ut in illorum ita in aliorum grammaticorum libros translata esse eaque ita comparata, ut ad illam pristinam formam proxime accedant, qualia iam Loewe GL. N. p. 99 sq. composuit (cf. Goetz Ind. Ien. a. 1886 p. X; Karl de Placidi glossis p. 128): quamquam certe raro dicas, hanc vel illam glossam illis anonymis grammaticis confidenter tribuendam esse, cum simplicitatis priscae exempla etiam post prisca tempora manerent. Quam simplicitatem etiam Isidorus agnoscit

1) Cf. Lersch Sprachphilos. 111; Goetz Ind. Ien. a. 1886 p. X sq.

2) Ad glossemata nescio an spectent Varronis de l. lat. VII 107: *in Nagidone* '*clucidatus*' *suavis, tametsi a magistris accepimus* '*mansuetum*'. Simili modo contra glossematorum scriptores disputat VII 10: *id est falsum: nam curia Hostilia templum est et sanctum non est.* Etiam tertio loco (VII 34) habet quod addat.

I 30, 1: *quid enim illud sit in uno verbo positum declarat* (scil. glossa), *ut 'conticescere est tacere'* (cf. II 29, 6, ubi ex Mario Victorino pendet).

§ 3. Ab his qui proprie dicuntur 'glossematorum scriptoribus' prorsus discernendi sunt grammatici qui verba latina interpretati sunt non tam in puerorum usum quam doctis operam dantes quaestionibus ex imitatione Graecorum susceptis. Etenim cum disciplina quae est 'de glossematis' iam antiquissimis temporibus iungi coepta sunt studia etymologica inprimis Stoicorum cura tractata, a grammaticis aucta et ex parte mutata. Velut glossa Placidi quae est *massucum edacem* antiquissimam speciem prae se fert (cf. Thes. gl. em.): pro qua glossa Festus Pauli p. 139, 1 talem exhibet: *masucium edacem, a mandendo scilicet*, h. e. ut simplici explicationi etymologia sit adiuncta. Ad etymologiam etiam aliud doctrinae genus accessit, quod in testimoniis versatur ex poetarum vel scriptorum operibus delibatis; cf. Fest. p. 181: *ocrem antiqui, ut Ateius Philologus in libro glosematorum refert, montem confragosum vocabant, ut aput Livium . . . et . . . et . . . unde fortasse etiam ocreae sunt dictae inaequaliter tuberatae.* Talia autem glossaria merito 'priscorum verborum cum exemplis' inscribi potuerunt, ut Festus p. 218 librum suum se inscripturum esse profitetur. Non inepte Charisii verba conferentur haec (p. 242): *buttubatta: hoc Plautus pro nihilo posuit, ut in glossis veterum. buttuti fluctus quidam vel sonus vocis effeminatior, ut esse in sacris Anagninorum vocum veterum interpretes scribunt.* Eodemque etiam talia videntur spectare (p. 229, 30): *ast apud antiquos variam vim contulit vocibus pro atque, pro ac, pro ergo, pro sed, pro tamen, pro tum, pro cum, ut in glossis antiquitatum legimus scriptum.* Porro huc referendi *'idonei vocum antiquarum enarratores'* Gellii (XVIII 6); nec alieni videntur *'libri rerum verborumque veterum'* eiusdem (XIII 24, 25): de quibus quod addam non est, nisi quod ad priscam consuetudinem pertinere existimo. De *'verborum antiquitate'* vel *'antiquitate verborum'* scripsit Santra (p. 384 Fun.), *de verbis priscis* L. Cincius teste Festo p. 330, cuius reliquias nonnullas Servium exhibere docti coniecerunt (cf. Cichorius in encycl. reali); inter fragmenta iuris tractavit F. B. Bremer (Iurispr. antehadr. p. 256), cui non videtur 'de omnibus omnino priscis verbis, sed tantum de iis . . . scripsisse, quae vel ad res publicas vel ad iuris consultum pertinent.' Quod ita se habere posse non nego, quamquam glossae quae sunt *'naccae'* (p. 166), *'naucum'* (p. 166), *'peremere'* (p. 214), *'scena'* (p. 330), *'tuditantes'* (p. 352) minus confidenter ad ius referantur. Sed fac ad ius esse referendas omnes, certe ratio tractandi ab ea non differt quam grammatici secuti sunt. Idem valet de C. Aelio Gallo, quem Bremer philologum potius dicit iuris non ig-

narum, quamvis libros de verborum quae ad ius civile pertinent significatione scripserit.[1]) Quod '*Veranius in libro . . . cum*' sic supplent: *in libro ⟨quem inscripsit priscarum vo⟩cum* p. 158, nimis incerta coniectura est. Ad horum scriptorum numerum addendi sunt L. Aelius Stilo et Aurelius Opillus, grammatici laudatissimi, de quibus paulo uberius disputandum est.

Atque L. Aelium Stilonem praeter carminum Saliarium interpretationem librum 'etymologicum' scripsisse dudum van Heusde coniecit: cui Ferdinandus Mentz ita adstipulatus est (de L. Aelio Stilone p. 21), ut Aelium multa verba aut rara aut obsoleta collegisse et partim exemplis undique litterarum sumptis, partim etymologia, partim utraque simul ratione illustravisse censeret. Quam sententiam post ea quae disputavit Ricardus Reitzenstein (M. Terentius Varro und Iohannes Mauropus von Euch.) minus certam videri consentio: nam longe plurima fragmenta a Mentzio p. 29—32 collecta, a Funaiolio p. 59 sqq. repetita, ad etymologiam spectant: unde etyma potius proposuisse Aelium putant, quae olim secundum rerum ordinem disposita fuisse Reitzensteinii suspicio est per se haudquaquam improbabilis. In quem tamen librum non omnia fragmenta commode quadrare videntur; velut 8 Fun. (= 14 Mentz: *dalivum ait esse Aelius stultum; Oscorum quoque lingua significat insanum*), 36 Fun. (= 36 Mentz: *sonticum morbum in XII significare ait Aelius certum cum iusta causa*), 38 Fun. (= 37 Mentz: *tanne eo usque, ut Aelius Stilo et Opillus Aurelius interpretantur*), 44 Fun. (= 42 Mentz: *Aelius hoc loco vapula positum esse ait pro dole*): sed quis audebit adfirmare ex eodem opusculo haec quae nunc inter fragmenta adferuntur esse excerpta omnia? In re tam obscura nesciendi arti locum esse fateor. Sed utut de hac quaestione iudicabimus, quin Varro haud pauca, Verrius Flaccus autem plurima Aelio debeat cur dubitemus nulla causa est. De ratione etymologica Aelii quae coniecit magis quam exposuit Muller (de veterum imprimis Romanorum studiis etymologicis 1910) hoc quidem loco accuratius tractare nolo.

Contra quaestiones proprie glossographicas edidisse videtur Aurelius Opillus, siquidem ex locis a Varrone et Verrio allatis iudicare licet. Hic enim '*composuit variae eruditionis aliquot volumina, ex quibus novem unius corporis, quia scriptores ac poetas sub clientela Mu-*

1) Ceterum 'de verborum significatione' (cf. Gavii Bassi liber Macr. III 18, 2 commemoratus) saepius iureconsulti scripserunt. Exstat etiam Digestorum titulus eodem modo inscriptus (L 16); sed cum glossis quae dicuntur aut non aut rarissime quae ibi leguntur concinunt. Cf. *stragula* (L 16, 45), *contractum* (L 16, 19), *novalis terra* (L 16, 30). Adde etiam Schanz II 1 p. 577[2].

sarum iudicaret, non absurde et fecisse et inscripsisse se ait ex numero divarum et appellatione' (Suet. de gramm. 6; cf. Gell. I 25, 17). Quo referre solent docti fragmenta quae exstant omnia, quamquam res propter Suetonii verba prorsus certa dici non potest. Quae fragmenta quicumque cum Aelianis comparaverit, glossemata, h. e. voces minus usitatas, frequentiora esse (*conticinium, dalivum, delicuum, fomites, manues, molucrum, nautea, necessarius, nuscitiones, praefica, querquera, sanates, scruppedas, sedum, spirillum, stribula, stribligo, tanne, tesca, tomices, vulgos, vesperugo, veterina*), contra etymologias multo rariores facile inveniet: quare quomodocumque talia olim disposita fuerunt, interpretis officio fungitur Aurelius, ut glossematorum scriptores solebant, quamquam ne ab his quidem studia etymologica omnino aliena dicemus.

Eodem fere tempore Servius Clodius fuit, eques Romanus, gener L. Aelii, qui librum soceri nondum editum fraude intercepit. Bis eum Varro una cum Aurelio Opillo commemorat (VII 70; 106); praeterea notabile est quattuor fragmenta quae exstant ad singula verba pertinentia (*nerio = nescio* ⟨Gell. XIII 23, 19⟩, *axitiosas* ⟨Varro VII 66⟩, *praefica* ⟨id. VII 70⟩, *delicuum* ⟨id. VII 106⟩) ad etymologiam spectare omnia; videtur igitur Aelii potius rationi se accommodasse.

L. Ateium Philologum 'librum glosematorum' scripsisse Verrius Flaccus p. 181 auctor est, ad quem librum revocari solent eiusdem septem testimonia, quae certo libro non adscribuntur (*naucum, nefrendes?, nusciciosum, orchitis, stroppus, tudites, vacerra*), iure, ut videtur. Nam quae afferuntur *γλωσσηματικῶς* posita fuisse et explicatione eguisse facile perspicitur. His viris grammaticis nescio an alii addi possint, velut Curiatius (cuius fragmenta collegit Funaiolius p. 389 sq.), Cloatius, Cornificius: sed quoscumque addemus, eorum praeter nomina aut nulla aut tenuissima vestigia relicta sunt, apud Varronem potissimum et Verrium Flaccum eosque qui a Verrio pendent, ut non sit cur diutius de eorum frustulis tractemus.

§ 4. M. Terentius Varrro, qui in septimo de lingua latina libro materiam glossematicam attigit, quin glossarum interpretes qui proprie dicuntur inspexerit cur dubitemus non invenio. Qui si § 10 haec habet: '*quod addit templa ut sint tesca, aiunt sancta esse qui glossas scripserunt. id est falsum; nam Curia Hostilia templum est et sanctum non est*, quae adicit (*id est . . . non est*) non Aelio Stiloni debere, sed de suo videtur addidisse. Idem valet de § 34 (*camillam qui glossemata interpretati dixerunt administram: addi oportet* e. q. s.); idem denique de VII 107 (*in Demetrio persibus a perite: itaque sub hoc glossema 'callide' subscribunt*). Nec dubito quin etiam alia glossemata eiusdem libri ad hos scriptores revocanda sint, licet incertum sit utrum

Varro ipse excerpserit an ab Aelio Stilone excerpta invenerit. Cf. *cascum vetus* (§ 28), *senem quod Osci casnar appellant* (§ 29), *cata acuta* (§ 46); adde ea quae § 107 et 108 leguntur ex ordine litterarum proposita. Alia quaedam repetita sunt ab Aurelio Opillo et Servio Clodio, alia denique haud pauca ab Aelio Stilone. De longe plurimis unde sumpta sint dici nequit. Etiam in libris quinto et sexto Varronem glossematum scriptores doctos inspexisse putaverim; quod tamen singulis locis citius suspicaberis quam argumentis iustis evinces. Multa quidem eum ex Antiquitatibus transcripsisse constat; sed nihil impedit, quominus etiam in his vestigia glossematica exstare putemus. Ceterum de fontibus Varronis grammaticis satis obscura quaestio, cum multa quae de hac materie olim edita sunt intercidisse probabile sit. Glossematicam supellectilem ne a ceteris quidem libris prorsus exclusam fuisse ex eis apparet quae in Comment. Soc. reg. Sax. vol. XXVII (a. 1909) p. 68 sqq. exposui. Ceterum conferre iubeo quae Kriegshammer Comment. Ien. VII p. 104 sq. et Muller l. s. s. passim exhibuere, quamquam hic sane de auctoribus Varronis saepe confidentius quam fieri potest iudicavit.

Alia quaestio est de vestigiis plus minus apertis doctrinae Varronianae quae in glossariis relicta esse videantur. Quae vestigia ut frequentia non sunt, ita nullum ex eis qui glossaria composuerunt ipsius Varronis libros consuluisse certissimum esse opinor: immo ex aliis scriptoribus eiusmodi glossemata translata sunt ad unum omnia. Afferam hoc loco vestigia quae enotavi: 1. *arina* (ex Festo); 2. *arundo* (an ex Varrone Atacino? cf. Gött. gel. Anz. 1908 p. 823); 3. *a[u]xillae* (ex Festo pleniore); 4. *calva* (ex Capri vel aliorum grammaticorum copiis; cf. GR. L. VII 100, 1); 5. *pampinus* (ex eodem quo 4 fonte); 6. *prodigium* (ex differentiis); 7. *proceres* (ex Servio, ut videtur); 8. *prolicere* (obscurae originis); 9. *prosis lectis* (ex incerto Isidori fonte); 10. *saltator* (ex Suetonio? cf. praef. Varr. de l. l. p. XLV); 11. *sepulcrum* (ex Charisio vel eius auctore); 12. *sinum* (ex scholiis Vergilii); 13. *vannus* (ex Donato?); 14. *venilia* (ex Augustino); 15. *vir* (ex Lactantio). Similiter iudicandum videtur de ceteris locis qui nomine nullo apposito coniectura sive certa sive incerta ad Varronem auctorem revocantur, quae hoc loco referre nolo. Mirum est quod etyma ad Varronis rationem a Cassiodoro in psalterii commentario prolata apud glossographos certiora vestigia aut apertiora non reliquerunt. Cf. Erdbruegger (Cassiodorus unde etymologias in psalterii commentario prolatas petivisse putandus sit. Ienae. 1912), qui tamen hanc quaestionem non satis expedivit.

§ 5. Exacta iam aetate, h. e. extremis Augusti vel primis Ti-

berii temporibus, certe non ante annum X p. Chr. n., M. Verrius Flaccus magnum illum librum 'de verborum significatu' composuit, cuius reliquias etsi ex parte identidem attenuatas variisque casibus mutilatas et quovis modo misere habitas in numero pretiosissimorum monumentorum priscae latinitatis esse unanimo consensu affirmant atque praedicant. Quem librum receptaculum fuisse explanationum tam ad grammaticam et historiam quam ad cuiuscumque antiquitatis genus pertinentium et ex multis libris hodie deperditis doctis nimirum et laboriosis excerptarum, denique in lexici formam liberiore modo redactarum merito dicas. Haec autem excerpta intra singulas litteras ita esse disposita, ut glossae ad severiorem ordinem praeter primam secunda littera, saepe etiam tertia observata compositae praecedant, sequantur in quibus praeter primum elementum nulla ratio appareat, post egregiam Odofredi Mueller (p. XVI sq.) disputationem nemo negavit, quamquam quomodo hanc discrepantiam explicent ad hunc usque diem diversis rationibus utuntur. Atque re saepius perpensa et aliorum meaque quam olim (Berl. Phil. Wochenschr. 1887 p. 1152) proposui sententia denuo examinata haec monuisse satis habeo: 1. et priores et posteriores partes ipsius Verrii esse, posteriores non a Festo adiectas Reitzenstein 'Verr. Forsch.' p. 15 sqq. rectissime exposuit; partium diversitatem Festum aut non perspexisse aut certe neglexisse Willers de Verr. Fl. p. 33 docuit. 2. cum iisdem saepius auctoribus Verrius in prioribus et posterioribus partibus usus sit, velut Aurelio Opillo, Sinnio Capitone, Aelio Stilone, Aelio Gallo, in capitibus quae sunt de tribubus, de praenominibus et cognominibus, aliis, contra in partibus posterioribus etiam scriptores adhibiti sint, quorum vestigia in prioribus apparent nulla, velut Antistius Labeo, Veranius, Messala augur, probabile est Verrium posteriores partes prioribus alio tempore addidisse[1]); qua occasione non modo velut glossas Plautinas continuas, glossas ex libro de obscuris Catonis desumptas, item de iure augurali, sed etiam ex libris quibus in prioribus partibus usus erat quaedam adiecit, nec quicquam obstitit quominus simul prioribus partibus, ubi chartae spatium admisit nec ratio dissuasit, etiam contempto ordine litterarum severiore, nonnulla additamenta nunc demum insereret. Quae si recte disputata videbuntur, ut in ordine haerere desinemus, ita cur in eis quae secuntur de Verrii auctoribus agatur, non item de Festi, ultro apparere existimo.

1) Hoc conici posse iam Odofredus Mueller p. XXIX significaverat: sed ipse postea hanc sententiam ut minus probabilem abiecit posterioribus partibus Festo potius adscriptis. De tota re conferenda sunt quae Willers p. 30 sqq. disputavit.

Auctores autem Verrius Flaccus cum alios tum hosce ascivit: 1. Varronem (antiquitates diserte adferuntur p. 158 et 274, si recte hic locus suppletur; res humanae p. 246; 249; 347; 348; de vita populi Romani p. 285(?); quaestiones epistolicae p. 142; 339; adde tredecim locos, qui Varroni quidem, non certo libro adscribuntur)[1]); 2. Aurelium Opillum duodeviginti locis ut prioribus ita in posterioribus partibus exstantes (cf. Funaiolium p. 87 sqq.; quod omnia fragmenta eidem libro attribuuntur, id recte fieri probabile, quamquam non prorsus certum; cf. p. 5 sq.); 3. C. Aelium Stilonem (quem triginta locis commemorat, modo Aelium modo Aelium Stilonem dicens, quamvis aliquoties dubitari possit utrum Stilo an Aelius Gallus dicatur; semel explanatio carminum Saliarium adhibetur; cf. Reitzenstein 'Verr. Forsch.' p. 90 sqq., Kriegshammer l. s. s. p. 74 sqq., Funaioli p. 57 sqq.); 4. C. Aelium Gallum (de significatione verborum quae ad ius pertinent; cf. Reitzenstein l. s. s. p. 88 sqq., Kriegshammer p. 74 sqq., Funaioli p. 545 sqq.); 5. Ateium Philologum (cf. Reitzenstein l. s. s. p. 92, Funaioli p. 137 sqq.); 6. L. Cincium (Reitzenstein p. 87, Funaioli p. 371); 7. Sinnium Capitonem (Reitzenstein p. 88, 103 sq., Funaioli p. 459 sqq.); 8. librum de obscuris Catonis (Reitzenstein p. 56 sqq.); 9. Veranium (Reitzenstein p. 48 sq., Funaioli p. 430 sqq.); 10. Servium Sulpicium Rufum (Reitzenstein p. 86, Funaioli p. 422 sq.); 11. Santram (cf. Reitzenstein p. 87, Funaioli p. 384 sqq.); 12. Messalam augurem (Reitzenstein p. 50 sqq., Funaioli p. 427); 13. Cornificium (Funaioli p. 475 sqq.); 14. Ateium Capitonem (Reitzenstein p. 51, Funaioli p. 563 sqq.); 15. Antistium Labeonem (Reitzenstein p. 50, Funaioli p. 557), ut alios, qui semel vel iterum adferuntur, nunc omittam. Neque vero improbabile est Verrium etiam ex suis ipsius libris haud pauca in hunc thesaurum traduxisse, quod tamen facilius conici quam demonstrari poterit. Poetas denique et scriptores, quos frequentius adhibuit, ut Accium, Afranium, Caecilium, Catonem,

1) Ad Varronem revocavit glossas quae sunt de nominibus tribuum Mercklin (Ind. Dorpat. a. 1852 p. 5 sqq.); cf. Reitzenstein 'Verr. Forsch.' p. 22; de coronis militaribus v. Mercklin (Ind. Dorp. a. 1859), Reitzenstein l. s. s.; de nominibus oppidorum et populorum Reitzenstein Herm. t. XX (a. 1885) p. 532; de nominibus propriis Mommsen Mus. Rhen. XV p. 181 adn. 24; de fulgoribus et nominibus affinitatum cognationumque Reitzenstein 'Verr. Forsch.' p. 25 sqq., Willers p. 5, 18 sq.; hunc etiam de vasculis (p. 6), de rebus sacris (p. 10 sqq.), de variis aeris generibus (p. 19), de deorum dearumque cognominibus p. 26 sqq.; cf. Kriegshammer p. 100 sqq. Non adhibuit Varro libros de l. l. (cf. Goetz, Quaest. Varr. p. IV sqq., Kriegshammer p. 121 sqq.).

Ennium, Lucilium, Lucretium, Naevium, Plautum, Pacuvium, Terentium, Titinium, cur ipsum inspexisse negem nullam causam video; quamquam partem certe testimoniorum ex aliorum libris derivare non dedignatus est, qua in re ne glossematorum quidem scriptores eum neglexisse existimo.

§ 6. Sed de his et similibus quaestionibus certius et rectius iudicare liceret, si ipsius Verrii liber etiam nunc consuli posset: quod ne fieret, effecit Festi, hominis multo minus docti, turbulenta operositas, cuius epitome librum pleniorem removit. Quamquam ne haec quidem fortunae invidiae elapsa est: epitomatorem invenit ipso auctore saeviorem, Paulum Diaconum, cuius labor solus integer ad nos pervenit, cum Festi codicem nunc quidem unicum ignis ex magna parte deleverit. Ad ipsum Verrium olim excerpta revocare ausus sum, quae ex glossis 'asbestos' proposui; quamquam incertam esse coniecturam ultro fateor (cf. praef. vol. IV p. XVIII; Mus. Rhen. p. XL p. 328). Certiora vestigia Festus reliquit in glossis quae Philoxeno immerito adscribuntur, in quibus ipsius Pompei gentile nomen exstat (p. 8, 21): *adoriosus: ενδοξος ασπομπιϊος αδορνικηας πεμπιος*, de qua glossa Scaliger Castig. p. 7: 'Lege' inquit '*adoriosus ἔνδοξος ὡς Πομπήϊος, ador: νίκη ὡς Πομπήϊος*. Quin intellegat nostrum Pompeium Festum, dubitandum non est.' Paulus haec exhibet (3, 10): *ador farris genus, edor quondam appellatum ab edendo vel quod aduratur, ut fiat tostum, unde in sacrificio mola salsa efficitur* et 3, 12: *adoriam laudem sive gloriam dicebant, quia gloriosum eum putabant esse qui farris copia abundaret.* Quae qui contulerit, quin auctor glossarii Festum nescio quo modo adsciverit cum Odofredo Muellero (ad Paul. p. 3, 12) non dubitari posse censebit (cf. Loewe Prodr. p. 194). De qua quaestione uberius disputavit Albertus Dammann (de Festo Pseudophiloxeni auctore Comm. Ien. vol. V p. 26 sqq.), cuius disputationis summam hanc esse voluit ipse auctor p. 46 sq.: 'Scaligerum secuti *Πομπήϊον* illum qui Pseudophil. 8, 21 bis affertur, censuimus esse Pompeium Festum (§ 1). Vnde rati sumus praeter unam hanc glossam etiam alias plures ex eodem fonte in Pseudophiloxeni collectionem fluxisse. Quae coniectura stabilita est rationibus duabus. Primum enim inde explicavimus complurium glossarum Pseudophiloxenianarum miram naturam quam aliter explicare adhuc non potuimus (§ 2); deinde satis multae glossae cum eis, quas Festus et Paulus tradiderunt, ita congruunt, ut non sit, cur eas ex Festo petitas esse negemus (§§ 3–6). Sic multarum glossarum emendationi firma fundamenta nobis videmur iecisse.' Quo libello usi in Thesauro glossarum emendatarum Festi vel Pauli locos adscripsimus ex parte emendare conati scripturas magis minusve depravatas. Nec satis habuimus verba emendasse, sed etiam

supplevimus, velut ex glossa 56, 4 (*duicensus διταβ δευτερον απογραμμενος*) Pauli verba (p. 66, 14) ad duodecim tabulas revocavimus (cf. Ind. schol. Ien. aest. 1889 p. 6; Dammann p. 36), glossam 18, 33 (*aplustra πτερὸν πλοίου, ὡς Ἔννιος*) cum Paulo p. 10, 2 coniunximus, item glossam 34, 29 (*glos ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἀδελφή, γάλως παρὰ Πλαύτῳ*) cum Paulo p. 98, 5 (*glos viri soror, a graeco γαλόως*), ut alia mittamus. Quicumque igitur Festi novam editionem suscipient, Pseudophiloxeni glossas, quarum partem etiam Pseudocyrillus interpretamentis pro lemmatis positis recepit, diligenter adhibebunt. Ad eandem rem capite tertio redibimus. Ceterum longe plurima quae huc pertinent iam Scaliger occupavit; post Scaligerum bene de his quaestionibus meritus est Odofredus Mueller, quibus Loewe, Dammann, nos nostra adiecimus.[1])

Quamquam non Pseudophiloxeni glossae bilingues solae Festina *ἀποσπάσματα* exhibent: etiam glossae 'ab absens', quas quarto volumine Corporis a p. 404 sqq. edidi, certe in A littera vestigia apertissima ostendunt, de quibus in Ind. Ien. a. 1893 (de Astrabae Plautinae fragmentis) dixi. Cf. *acceries genus securis* (404, 15 = II 13, 9 *acceres ἀξίνη ἱεροφάντου, ὡς Πλαῦτος* = Paul. p. 10, 1 *acieris securis aerea qua in sacrificiis utebantur sacerdotes* = IV 202, 39 *acerlis securis quam flamines vel pontifices habebant*); *actuvernalis vicinus proximus ac taverna habens* (404, 22 = II 22, 48 *aturubernalis καπηλογείτων* = Paul. p. 12, 6 *adtibernalis habitator continuae tabernae* e. q. s.); *astraba tabella ubi pedes requiescunt* (406, 29 = II 22, 15 *astrama σανίς, ὑποπόδιον*; Paulus hanc glossam abiecit); *aemidus tumidus suflatus* (405, 7 = II 12, 1 *aemidus πεφυσημένος* = Paul. 24, 4 *aemidum tumidum* (cf. II 565, 12 *aedimus inflatus* ex Pseudophiloxeno vel eius fonte versa): quibus qui volet alia exempla addat ex eis quae l. s. s. composuimus. — Etiam inter Placidi glossas et Festi vel Verrii copias necessitudo haudquaquam levis intercedit, de qua docta exstat Pauli Karl disputatio Commentationibus Ien. VII 2 a pag. 103 sqq. inserta: quam quaestionem cum infra tractaturi simus nunc attigisse satis habeo. — Artiore denique vinculo cum Verrio etiam Nonii reliquiae coniunctae sunt, quamquam Nonium interpretamenta, de quibus solis agitur, ex ipso Verrio aut Festo sumpsisse minime crediderim; aliorum potius libri intercedere videntur velut Pliniorum, Caprorum, commentarii Plautini (cf. P. Schmidt de Nonii Marcelli auctoribus grammaticis p. 145; Nettleship Lect.

1) Haec scripseram ante Lindsayi editionem emissam, qui tamen eo quod exstat volumine has quaestiones non tractavit. Secundum volumen etiam nunc desideratur. Ceterum moneo me in locis adferendis Muelleri numeros secutum esse, quos suae editioni adscripsit Lindsay.

and ess. p. 229; Froehde de Nonio Marcello et Verrio Flacco p. 2; zur Kommentartheorie bei Nonius = Beitr. zur Philol. und Bücherkunde, Aug. Wilmanns gewidmet, p. 265; Lindsay Nonius Marcellus dictionary of republican Latin p. 100; Vahlen Enn.² p. XCV; Goetz Epileg. in deperditas Plauti fabulas p. 195). Certe Nonium lemmata et testimonia non ex Verrio aut e grammaticis omnino petisse, sed ex vetustis libris auctorum ipsis excerpsisse rectissime Vahlen l. s. s. exposuit. Quam ad rem infra redibimus. — Etiam cetera glossaria, quae partim integra edidimus partim excerpsimus, frequenter quae cum Festo comparari possint exhibent, nec illa prorsus desunt quae ad Festi partes deperditas referenda esse res monere videatur; plerumque tamen et coniectura incerta est neque dici potest qua via ex vetustis fontibus talia in recentiora glossaria pervenerint.[1]) Exempla talium fragmentorum Thesaurus glossarum emendatarum suppeditat, in quo Festi vel Pauli locos contuli. A saeculo nono Verrianae materiae novam molem in glossaria diductam esse, ex Paulo scilicet, cuius vestigia extremis medii aevi saeculis frequentissima sunt, infra (§ 47) accuratius docebitur.

CAPVT II. DE IDIOMATIS ET HERMENEVMATIS

§ 7. *Λέξεις* Graecorum qui collegerunt grammaticos ne latina quidem vocabula prorsus neglexisse post Salmasium (ad Script. h. A. [Paris. 1520] p. 400) et Koelerum ('Einrichtung eines Thesaurus der lat. Sprache' in Wolfii litt. anal. IV p. 313 sq.) cum alii monuerunt tum Otto Immisch (de glossis lexici Hesychiani Italicis, Leipz. Stud. t. VIII p. 265 sqq.), qui horum studiorum vestigia tenuiora in lexicis graecis, apud Diogenianum inprimis et Hesychium ut genuinum ita interpolatum, relicta esse optime docuit, glossas Italicas composuit, easdem docto commentario illustravit. Ad grammaticos illos accedunt alii scriptores Graeci, historici inprimis, ut Polybius, Dionysius, Plutarchus, qui vocabula latina attulerunt et interpretati sunt, post quos etiam scriptores medici et iureconsulti commemorandi sunt. Quae vocabula recentiorum virorum doctorum oculos minime fugisse, eorum scilicet qui Graeca lexica ediderunt et commentati sunt nec non qui magnum thesaurum condunt, nemo mirabitur: ad glossaria autem latina quae nos tractamus cum illa studia aut mediocriter aut omnino non pertineant, in quaestione quae est de glossariorum latinorum fundamentis ab his vestigiis exordiendum esse non censuimus.

1) Non improbabile est iam ante Pauli tempora excerpta Festina exstitisse uberiora; cf. § 36.

Glossariorum vetustiorum latinograecorum et graecolatinorum — de aliis glossariis bilinguibus infra agendi occasio erit — duplex est radix: aut e studiis succreverunt grammaticorum Romanorum, qui a Graecorum rationibus profecti linguae latinae leges ex graeca lingua melius illustrari posse opinati latina vocabula cum graecis diligenter contulerunt, aut e commercio Romanorum et Graecorum, quod Romanos litteras graecas, Graecos latinas discere coegit. Vtriusque generis studia qualia fuerint nunc paucis exponamus. Atque grammatici qui latina vocabula interpretati sunt iam antiquissimis temporibus cum graecis ea contulerunt sive etyma rimabantur sive significationem exponebant sive idiomata cuiusvis generis notabant. Sic Varro de l. l. V 102. 103 (p. 32) haec habet: *malum quod Graeci Aeolis dicunt μᾶλον . . . ruta, quam nunc πήγανον appellant; item caulis, lapathium, radix: sic enim antiqui Graeci, quam nunc ῥάφανον . . . item ex his graecis latina κολίανδρον, μαλάχη, κύμινον*; *item lilium ab λειρίῳ et malva ab μαλάχῃ et sisymbrium a σισυμβρίῳ* e. q. s.; haec autem Festus sive Paulus, i. e. Verrius p. 3, 8: *axis quem Graeci ἄξονα dicunt*; p. 6, 5: *algeo ex Graeco ἀλγῶ ducitur*; p. 8, 3: *angor . . . proprie a Graeco ἀγχόνῃ*; p. 11, 4: *nam ἀρδεύειν Graece irrigare est*; p. 14, 8: *agnus . . . ἀπὸ τοῦ ἁγνοῦ*; p. 31, 11: *breve . . . quod est βραχύ*; Placidus *apax te ἀπὸ τοῦ ἅπαγε*; *cocetum* a graeco *κυκεῶνα*; *conducibile utile, συμφέρον.* Ex talibus autem graecae linguae studiis etiam 'idiomata' quae dicuntur nata sunt: qualia iam Remmius Palaemon composuit, qui, siquidem recte artigraphorum principi Tolkiehn (Cominianus p. 31) Charisii verba p. 292, 16 sqq. adscripsit, sic disputat: *cum ab omni sermone Graeco Latina lingua pendere videatur, quaedam inveniuntur vel licentia ab antiquis vel proprietate linguae Latinae dicta praeter consuetudinem Graecorum quae idiomata appellantur* (secuntur idiomata quae ex casibus adgnoscuntur). A quibus scriptor qui paulo ante (p. 291—292, 15) de eadem re egit, ita differt, ut multo plura diversitatis genera complectatur. Qui '*idiomata*' inquit '*quae sunt nostri sermonis innumerabilia quidem debent esse . . . sed ut breviter dicamus, aut ex generibus nominum fiunt, quae contra morem Graecorum nos habemus (nam cum dicimus hic honor ἡ τιμή, fit apud nos masculini, apud illos feminini generis) aut ex verborum significationibus contrariis, velut luctor, παλαίω. hoc enim verbum apud nos passive effertur, apud Graecos active. sic etiam per ceteras partes orationis idiomatum dissonantia multiplex reperitur.* Talia igitur idiomata iam primo saeculo Palaemone duce colligi coepta sunt; ex his nescio quibus collectionibus pendet Charisius, pendet auctor anonymus (Keil I p. 533 sqq.), quem Cominianum esse coniecit Tolkiehn l. s. s. p. 36 sqq.; cf. Diom. p. 311, 3—320, 9; tractatum de idiomatibus GR. I.

IV p. 566—572. Quod idem affirmavit propter Graecos et in usum Graecorum tot Charisium versiones Graecas immiscuisse (cf. Wochenschr. f. kl. Phil. 1907 p. 1020 sqq. et Comin. p. 149), mihi non persuasit. Nam ne illa quidem quae apud Charis. p. 32—34 et 42 leguntur propter Graecos addita esse firmis argumentis demonstravit; immo Graeca adhibita sunt explicandi causa propter brevitatem, cum eos qui grammaticam latinam ex artigrapho discere vellent Graece scire consentaneum esset, non semel, ut latina ab aliis verbis externa forma persimilibus distinguerentur.[1]) Addo Macrobii de eadem re verba: '*Graecae latinaeque linguae coniunctissimam cognationem natura dedit. nam et isdem orationis partibus absque articulo, quem Graecia sola sortita est, isdem paene observationibus figuris constructionibus uterque sermo distinguitur, ut propemodum qui utramvis artem didicerit ambas noverit. in multis tamen differunt et quasdam proprietates habent, quae graece idiomata vocantur*': quae in initio libelli quem de verborum utriusque linguae differentiis vel societatibus scripsit p. 599 collocavit. Cf. idem p. 631, 7 sq.

Ex magno idiomatum numero quae observari possunt ceteris frequentius collecta et tractata esse videntur idiomata quae ex generibus nominum fiunt, qualia Charisii codex Neapolitanus etsi non eo quo exspectamus loco exhibet; quae edidi II p. 537—548 una cum idiomatis codicis Parisini. Cur non repetierim Keilii editionem (IV p. 573 sqq.) in praefatione exposui.[2]) Codicem Parisinum ex Neapo-

1) Talia etiam apud Priscianum invenies; cf. GR. L. II . 403, ut alia mittam.

2) Codicem Neapolitanum cum denuo propter aliquot locos inspiceret G. Gundermann, mox vidit nonnullos errores admissos esse a Keilio et haec vel illa plenius et rectius legi posse. Velut p. 537, 28 *αφετηρια* in libro est; p. 538, 36 *luscinius αηδον*; p. 538, 37 post *λίμνη* exstat *κρημνη*; secuntur post unum versum vacuum *Ludi θεωριαι*, tum *Ligo αμμοδικελλα*, *Laurus δαφνη*, *Liuor πελιοτης*, *Salix ιτεα* (omnia facile legi possunt); p. 538, 51 *Marcitus* est in N, non *Murestus*; p. 538, 68 post *αποδημια* est *εξοδος ωφελια* (ita Keil); p. 539, 1 *παραστας* om. N; p. 539, 20 *τον* omissum esse ex Keilii adnotatione disci potuit; p. 540, 7 *ασπαραγος* recte N; p. 541, 4 *Medulla*; p. 541, 14 *Naris*; p. 541, 15 *Norma*; p. 541, 16 *Haec oratio ο λογος ρητορικος* plana sunt; p. 541, 22 *Prunae ανθρακες*; p. 541, 32 *Redactio*; p. 541, 33 *πυρωδης*; p. 541, 44 *ηρμος*; p. 541, 47 *Scrobes*; p. 541, 67 *Verrugo*; p. 542, 13 *Anhelitus*; p. 542, 19 *Commeatus pl επιμηνια*; p. 542, 24 *το αιμα*; p. 542, 46 *Halitus*; p. 542, 49 *το βιβλιον*; p. 542, 53 *Hic mons το ορος*; p. 542, 59. 60 *Hic nutus το νευμα*; *Nervus νευρον*; p. 543, 2 *Ornatus το κοσμεμα*; *Hic pulbinus το προσκεφαλαιον*; p. 543, 4 *Pugus . . . ρεας*; p. 543, 6 *Punctus κεντημα*; *Principatus πρωτια*; *Pampinus αμπελοφυλλον*; *Pannus ρακος*; p. 543, 10 *Hic risus μιδιαμα*; *Rudis το προτονον*; *Ritus εθος*; *Hic sanguis το αιμα*; *sps πνευμα*; p. 543, 43 *Status καταστεμα*; *Sumptus αναλομα*; *Sal αλ*ς*; *Saeges λιθον*; *Sputus πτυσμα*; *Sinus κολπωμα*; *Saltus πηδημα*; *Scobis πρισμα*; p. 543, 25 *Armarium*. Quae secuntur, examinari non potuerunt.

litano ipso fluxisse Tolkiehn p. 79 merito negavit. Tales vero collectiones cum ex ordine elementorum dispositae essent, glossariorum ordinibus sine ulla difficultate inseri potuerunt. A quibus non diversae sunt 'glossae Servii grammatici' (II 507—533), si rem et rationem spectaveris: sic enim se excipiunt harum glossarum ordines: I nomina quae apud Romanos masculina, apud Graecos feminina. II nomina quae apud Romanos masculina, apud Graecos neutra. III nomina quae apud Romanos feminina, apud Graecos masculina. IV nomina quae apud Romanos feminina, apud Graecos neutra. V nomina quae apud Romanos neutra, apud Graecos masculina. VI nomina quae apud Romanos neutra, apud Graecos feminina. Idem est ordo apud anonymum, ubi singula et conspirant et differunt; conspirant multa exempla una cum interpretamentis, differunt plurima, quae frustra quaeres tam apud Charisium quam apud anonymum; haud pauca aliena immixta, errores admissi, quorum fundamentum perspici nondum potuit. Cf. M. Hoffmann de rat. quae inter glossas graecol. et gramm. lat. scripta intercedat p. 29. Praeter litterarum elementa etiam declinationis ratio habetur, ut in idiomatis Parisinis (II p. 549 sqq.; ubi eadem est subscriptio: *explicit libellum Servii grammatici*). Praemissa sunt monosyllaba, qualia Charisius habet p. 42, 4 sqq., anonymus p. 548; sed haec quoque additamentis aucta sunt, ut *blax* 507, 6; *nubs* 508, 12; *seps* 508, 40; *spex* 508, 41; *unx* 508, 54, aliis. Quae omnia si complectimur, fundamentum harum glossarum multo uberius fuisse apparet quam et Charisius et anonymus exhibent, quae quo iure Servio grammatico adscribantur etiam nunc obscurum est.[1]) De singulis glossis emendandis iam in Thesauro conficiendo desudavi; ac multa ne nunc quidem expedita doctorum auxilium exspectant.

Eiusdem generis idiomata sed multo recentiora sunt quae II p. 487—506 edidimus ex codice Harleiano 5792, qui Pseudocyrilli glossarium continet, quocum haec idiomata artissimo vinculo conexa esse praef. p. XXXIII exposuimus. Quae idiomata excerpta esse ex codice glossarii graecolatini antiquissimo sed lacunae illius quae post *Αλιξ* est immuni his ratiocinationibus credes: 1) longe plurima idiomata etiam apud Pseudocyrillum prorsus eodem modo scripta exstant; 2) etiam errores aliquot apertissimi utroque loco pari modo admissi sunt, ut *foedus συνθηχη* 488, 35 inter masculina = *συνθήχη* ...

1) Subscriptionem miram glossarii si olim recte emendavi (praef. p. XXXIV adn. 2), qui scripsit dicere vult se post duodecim fere milia glossarum nunc finem facere. Quod ita interpretor, ut ante glossas Servii maius aliquod glossarium bilingue positum fuisse coniciam. Paucis de hac re egit Oehler Mus. Rhen. XVIII (1863) p. 255 sq. Cf. Keil IV p. LV.

hic foedus 446,32; *senectus γηρας* inter masculina = *γηρας . . . hic senectus* 263,12; *tribus φυλη* 489,55 inter masculina = *φυλη hic tribus* 473,55; 3) nonnulli errores idiomatum non possunt explicari nisi ex glossis male intellectis, ut *frena χαλινος* 493,12 inter feminina = *χαλινος hoc frenum haec frena* 474,49; *uasa σκευος* inter feminina 498,16 = *σκευος uas uasum haec uasa* 433,19; *ubera μαστος* inter feminina 494,28 = *μασθος αλογον ζωον haec ubera* 365,8; 4) etiam graeca interpretamenta saepe vix melius explicari possunt quam si excerpta esse sumes ex glossario, ut *manipulus δεσμη χορτου* 488,64 = 268,38, ubi praecedit *δεσμη ξυλων*; *lanna λοβος ωτιου* 493,31 = 361,54 (praecedit *λοβος οσπριου*, sequitur *λοβος ηπατος* = 493,8); 5) *ingenitus εμφυτον* 491,35 ex contaminatione harum glossarum orta esse videtur 297, 5.6 *εμφυτον insitum ingenitum εμφυτος insitus ingenitus innata; res humana βιος* 493,48 contracta est ex hac (257,44): *βιος κοινος των ανθρωπων haec res humana*; cf. *sine invidia αφθονος* 494,5 = *αφθονος ο μη φθονων nulli invidens sine invidia* 253,12; 6) desunt in glossis velut *secessus αναχωρησις* 489,41; *spiritus αναπνοη* 489,45; *lucus αλσος* 491,41; *nodus αμμα* 491,47, alia, quae cuncta lacuna post *Αλιξ* hausit; 7) etiam alia quaedam in glossario desunt, quae in exemplari ex quo idiomata sumpta sunt infuerunt, veluti haec: pro glossa *συνοδια comitatus* 446,61 idiomata habent *conventus συνοδια* 488,3 et *comitatus συνοδοιπορια* 488,9; videntur igitur haec in glossario olim exstitisse: *συνοδια ⟨conventus συνοδοιπορια⟩ comitatus.* Similiter aliae quaedam discrepantiae facile explicantur, ut quod exstat *matrimonium συμβιωσις* 504,21; in fonte igitur glossa quae est 441,55 etiam *hoc matrimonium* habuit (cf. 128,9). Ex his quae proposui idiomata libri optimi suam auctoritatem habere nec inutiliter e codice protracta esse apparet; emendare qui cupiet, ex Thesauro glossarum emendatarum materiem necessariam facile petere poterit; omitto igitur plura de hac re exponere. — Auctor idiomatum Graecus homo videtur fuisse latine minus doctus, qui rationi a veteribus propagatae se accommodavit.

Etiam Macrobii opusculum, de quo supra egimus (p. 14) vestigia in glossariis reliquit. Nam quae Keilius p. 655 edidit ex codice Parisino 7499 (de codice Laudunensi cf praef. Keilii p. 597), ea omnia redire in Pseudocyrilli glossario Comment. Macrob. (ind. Ien. a. 1890) p. VII ostendi. Confero autem exempli causa haec: *θλίβω tribulo* = 328,45: *θλίβω tribulo presso premo*; *θλίβομαι tribulor* = 328,44 *θλίβομαι conflictor adflictor*; *θλίψις tribulatio* = 328,47 *θλίψις ἡ φροντίς tribulatio*; *γράφω scribo* = 265,13 *γράφω scribo*; *γραφή scriptura* = 265,10 *γραφή scriptura*; *γραφεύς scriptor* = 265,9 *γραφεύς scriptor*; *τέρπω delecto* = 453,33 *τέρπω delecto*; *τέρπομαι delector* = 453,32 *τέρπομαι*

delector; *τέρψις delectatio* = 453,34 *τέρψις delectatio oblectatio*. Ex eis quae secuntur delibare pauca libuit: *λέγω dico for memoro aio fero* = 359,7: *λέγω dico for memoro aio sero*; *πλήθω multiplico* = 409,37 *πληθύνω multiplico amplifico*; *πλῆθος globus multitudo* = 409,35 *πλῆθος globus hoc vulgus multitudo vulgus singulariter tantum declinabitur*; *πάλλω palpito vibro ἐπὶ τοῦ κραδαίνω* = 393,6 et 7 *πάλλω pa⟨l⟩pito, πάλλω ἐπὶ τοῦ κραδαίνω bibro*; *νέμω ἐπὶ τοῦ βόσκω* = 375,40 *νέμω ἐπὶ τοῦ βόσκω pasco*; *νέμω προστασίαν patrocinium tribuo* = 375,41 *νέμω προστασίαν ⟨patrocinium⟩ tribuo*; *λεπὶς ὄφεως* = 359,28 *λεπὶς ὄφεως ἢ ἰχθύος squama*; *λεπὶς ἀργύρου ἢ χαλκοῦ* = 359,29 *λεπὶς ἀργύρου ἢ χαλκοῦ lamna*; *λαλῶ λάλος verbosus* = 358,22. 21 *λαλῶ for loquor λάλος loquax argutus verbosus*. Quae tanta consensio, etsi in glossis hic illic contaminatione turbata, fortuita esse non potest. Sed cave ne credas haec omnia sic uti apud Keilium leguntur ex Macrobio fluxisse: immo plurima apud Macrobium non exstitisse paene certum est. Quo enim consilio tibi persuadebis Macrobium omnia latine vertisse? Quomodo factum esse credes, ut non simpliciter *νέμω* poneret, sed *νέμω προστασίαν* et *λεπὶς ὄφεως, λεπὶς ἀργύρου ἢ χαλκοῦ* vel alia? Cui denique credibile videtur Macrobium *λέγω* per *for* vertisse respicienti haec verba p. 654,23 posita: *faris fatur, roras rorat, daris datur; nec roro tamen nec dor nec for admittit auctoritas?* Accedit quod reliquorum excerptorum ex quibus Graeca vocabula peti potuerunt plurima in glossario vestigia nulla videntur exstare. Itaque sic statuendum: ex Macrobio fluxisse lemmata illa *θλίβω, γράφω, τέρπω, λέγω* e. q. s., haec latine versa et aucta esse aliis vocabulis ab homine, qui ex glossariis bilinguibus hausit, quamvis non plane eisdem quibus hodie utimur.

§ 8. Sed haec de grammaticis fundamentis; pergo nunc ad alteram glossariorum bilinguium radicem quam in commercio Romanorum et Graecorum esse positam p. 13 dixi. Romani qui Graece, Graeci qui Latine scire cupierunt quibus subsidiis, id est libellis ad instituendos homines accommodatis, prioribus temporibus usi sint nescimus: certe inde a tertio saeculo hermeneumata adhiberi coepta sunt, quorum recensiones diversae ex antiquitate ad medium aevum propagantur. Quae hermeneumata cum in codice Sangallensi 902 post artem Dositheï magistri scripta sint, eidem Dositheo iam Cuiacius adsignavit (III p. 10,5—40,20); idem fragmentum de iure adiecit (p. 102,8—108), quod Petrus Pithoeus ex codice Claudii Puteani a. 1574 exhibuerat; his Hygini genealogiam, narrationem de bello Troiano, cottidianam conversationem ex codice Leidensi Valckenarius addidit, quem secutus est Boeckingius. Totam vero hanc sententiam subvertit Boucherius, professor Monte-

pessulanus (cf. 'Comptes rendus des séances de l'Académie des inscriptions et belles lettres' a. 1868 p. 271 et 'Notices et Extraits de manuscrits de la bibliothèque nationale' v. XXIII 2 a. 1872 p. 280), qui inscriptionem libri Sangallensis ad primam solam partem subscripto *explicit* ab eis quae secuntur separatam pertinere docuit. Noli tamen putare reliquas partes mero aliquo casu adiunctas esse: nam 'Dosithei' liber cum in usum Graecorum qui Latine scire vellent compositus sit, quo consilio hermeneumata simili usui destinata adiecta sint, ultro intelleges. Ex inscriptione codicis Leidensis (*incipit hermeneumata id est libri XII* p. 69, 39. 40) apparere videtur, duodecim partes olim fuisse, scilicet hasce: 1. glossas (p. 3—8, 19); 2. capitula (p. 8, 20—30, 13); 3. sententias et epistulas Hadriani (p. 30, 14—38, 29); 4. fabulas Aesopias (p. 38, 30—47, 57); 5. tractatum de manumissionibus (p. 47, 58—56, 29); 6. Hygini genealogiam (p. 56, 30—60, 20); 7. narrationem de bello Troiano (p. 60, 21—69, 38); 8. cottidianam conversationem (p. 69, 39—71, 77); ⟨9. Niciarii interrogationes et responsiones (mutilas; cf. p. 384, 30—37); 10. Carfilidis interrogationes et responsa (p. 384, 38—385, 57); 11. responsa sapientum (p. 385, 58—386, 15); 12. praecepta in Delphis ab Apolline in columna scripta (p. 386, 16—387, 9)⟩. Ex quibus cum cod. Leidensis 1—8 servaverit, reliqua ex hermeneumatis Stephani, quae eandem rem, sed ex diversa recensione exhibere praef. p. XII sqq. docui, coniectura huc rettuli. Quas duodecim partes omnes eiusdem temporis esse etsi demonstrari nequit — fieri enim potuit, ut hermeneumatum fundamentum paullatim augeretur — tamen non improbabile esse existimo: genealogiam autem Hygini anno 207 scriptam esse, ex verbis apertissimis quae p. 56, 30—34 exstant (*Maximo et Apro consulibus tertio idus Septembres Hygini genealogiam omnibus notam descripsi*) plane apparet. Quo cum tempore optime convenit, quod fabulae Babrii receptae sunt, de quarum ratione et forma cf. inter alios Crusius Babr. test. 2; idem Philol. LIII p. 232; Hausrath (Untersuch. zur Überlieferung der aesop. Fabeln p. 299); E. Getzlaff (Quaestiones Babrianae et Pseudodositheanae, Marpurg. 1907); Thiele 'der lat. Aesop' etc. p. LXVI; atque nonnulla prorsus conspirare cum tabulis ceratis Palmyrae repertis recte docti perspexerunt. De sententiis et epistulis Hadriani cf. quae exposui Ind. Ien. hib. 1892/1893 p. VIII. Quod Iaenikius (de vit. Hadr. scriptoribus p. 47) dicit has sententias summa cautione adhibendas esse, nam non revera responsa Hadriani fuisse egregie demonstravisse Dirksenum (Hinterlassene Schriften II p. 392), id non tam ad historicos quam ad iure consultos pertinet, qui cum a Cuiacio ad Boeckingium has narrationes inter fontes

iuris Romani tractaverint, nunc quidem eas merito excluserunt (cf. Krueger Geschichte der Quellen und Litteratur des Römischen Rechts p. 252 adn. 52). De fragmento quod est de manumissionibus cf. nunc Huschkii 'Iurisprud. anteiustin.' ed. VI (ediderunt Seckel et Kuebler) p. 419 sqq. et Ioersium apud Pauly-Wissowam s. Dositheanum fragmentum. De Niciario et Carfilide non habeo quod addam; non magis de responsis sapientum aut praeceptis Delphicis. Colloquium Leidense p. 637 emendata forma edidi (in hermeneumatis Stephani duo colloquia insunt, alterum p. 376, 46, alterum p. 379, 67). Colloquium Harleianum (p. 108, 1—116) emendavi Ind. Ien. a. 1892 (cf. p. 638 sqq.). De glossis et capitulis infra disputabitur. Exstitit igitur tertio saeculo enchiridion, quo et praeceptores et discipuli usi sunt: quod quo loco ortum sit nescitur. Quod enchiridion, ut fit in libellis communi usui destinatis, vario modo retractatum atque per totam antiquitatem propagatum est. De recensione Leidensi satis mihi videor disputasse praef. p. VII sqq.; pergo nunc ad recensiones ceteras. Atque Monacensis recensio, quam pag. 119—220 edidi[1]), prima parte continet post breve colloquium glossarium (p. 119—166, 9), dein capitula (p. 166, 10—210, 43), tertio loco colloquium maius (p. 210, 44—220); utrumque colloquium edidit Krumbacher Comment. in honorem Christii script. p. 307 sqq.; cf. vol. III p. 644 sqq. Quod Krumbacher haec hermeneumata cum Antiochia coniunxit, propter menses Antiochensium factum esse moneo: quae coniectura nullo modo certa est. Ex hermeneumatis Monacensibus pendent hermeneumata Einsidlensia (p. 223—279); quae etsi optimum fundamentum habent, tamen recte iam Beatus Rhenanus e dictionariis multa recepisse monuit, inprimis ex Pseudocyrilli copiis; nec desunt glossae ex utroque fonte contaminatae, unde dici nequit quam ridiculi errores procreati sint. Cur nihilominus haec hermeneumata non prorsus abiecerim, praef. p. XXIII exposui. Quibus vero glossis intra cancellos *unde?* adscripsi, has neque ex capitulorum aliqua vetusta recensione neque ex Pseudocyrillo petitas omnino sublesta esse fide significare volui: quod a viris doctis non semper observatum esse vidi. Tertia recensio est codicis Montepessulani H 306, qui hermeneumata post opuscula grammatica multigenera continet, et primum quidem colloquium (p. 283—289, 20 = p. 654—659); post hoc capitula

1) Librorum manuscriptorum numero addendum esse codicem Admont, 3 monuit F. Ruehl (cf. Steinmeyer vol. IV p. 374); item cod. Zwettl. (Steinmeyer IV p. 677) = III p. 126, 35 sqq. Libros huius recensionis ante me tractavit Krumbacher (de codicibus quibus Interpretamenta Pseudodositheana nobis tradita sunt. Monach. 1883).

(p. 289, 21—337, 6); denique glossarium (p. 337, 7—343). Ex his hermeneumatum particulas glossariis Bernensi 688 (p. 487—506) et Vaticano (p. 506—531) insertas esse praef. III p. XXX et XXXI monui, cum longe maior pars glossarum ad librum glossarum redire videatur. Vetustissimum earundem glossarum quae in Bernensi sunt exemplum sero vidi in codice Trevirensi 40 et tertio quidem loco exstare, quem librum M. Keuffer in descriptione codicum Trevirensium (1888) p. 41 decimo saeculo adscripsit. Qui codex quantam auctoritatem haberet in quaestionibus germanicis quibusdam F. W. E. Roth et Eduardus Schroeder 'Z. f. d. A.' tom. 52 p. 169 sqq. exposuerunt. Insunt haec: 1) in fol. 1—33 *glossae dyvinorum librorum* (cf. § 54); 2) in fol. 33—41 glossae notissimae hebraicae; 3) in fol. 41—53 *glosse grecorum verborum* (quae insunt in glossario Bernensi 688); 4) *glosse latinorum nominum* (de quibus cf. § 50). Tertii glossarii imitationem phototypicam meum in usum factam perisse non sine dolore mihi Otto B. Schlutter olim scripsit: sed spero fore ut appendici § 66 potiorem libri tribus saeculis vetustioris discrepantiam addere possim. Eiusdem glossarii fragmenta quaedam Bambergensia exstare L. Traube me docuit. Quarta recensio est codicis Bruxellensis 1828—1830 (p. 393—398), qui continet fol. 89r—90r (non fol. 89r—92r) capitula, quae quam prope accedant ad alterum glossarium Stephani praef. p. XV exposui. Quintae recensionis vestigia quaedam glossarium Leidense prae se fert (p. 398—421); glossis enim nescio quis librarius nonnulla et ex capitulis et ex colloquiis adiecit, sumpta illa ex recensione ab omnibus quas novimus diversa, quae tamen proxime accedit ad alteram e duabus recensionibus Stephanianis. Sextae denique recensionis exemplar hermeneumata sunt codicis Vaticani (p. 421—438), quae emendata iterum edidit Immanuel David (Comm. Ien. vol. V p. 199 sqq.): quae quamquam in praefatione similitudinem aliquam habent cum hermeneumatis Montepessulanis et Monacensibus, in capitulis magnopere differunt. Atque hominem Christianum illa composuisse ex descriptione proprietatum Trinitatis atque primi hominis creatione elucet: quem fuisse doctum monachum Hiberniae optime Ludovicus Traube (Byzantin. Zeitschr. tom. III p. 605) exposuit. Quas recensiones[1]) qui diligentius inter se comparaverit, fundamenta fuisse tria cognoscet: glossarium, capitula, colloquium; his adiecit solus auctor hermeneumatum Leidensium fabulas, epistulas et sententias Hadriani, tractatum de iure, alia, ut haberent discipuli quae legerent, verterent, discerent; in ceteris recensionibus haec omnia desunt. Glos-

1) Adde nunc glossas codicis Andegavensis 477 (461), de quibus egit Omont Biblioth. de l'École des chartes t. LIX (Paris. 1898) p. 665.

saria inter se aut nullam aut minimam habent similitudinem. Maiorem affinitatem capitula habent: continent enim hermeneumata Leidensia capitula quae sunt deorum nomina, dearum nomina, de caelo, de aedibus et templis, de diebus festis, de spectaculis, de ventis, de membris humanis, de natura ⟨humana⟩, de escis, de potione, de carne, de secunda mensa, de oleribus, de piscibus, de avibus, de quadrupedibus, de serpentibus, de habitatione, de civitatibus, de supellectile, de veste, ⟨de purpura⟩, de coloribus, de aureis, de argenteis, de aereis, de ferreis, de fictilibus, de pellibus, de studiis, de artificibus, de arboribus, de agricultura, de militia, de magistratibus, de cognatione, de navigatione, de medicina, de signis duodecim: qualia habuit etiam codex Stephani, quamquam non sine discrepantia minore. Contra haec hermeneumata Monacensia: deorum nomina, de caelo, de signis caelestibus, de duodecim signis, de septem stellis errantibus, de aedibus sacris, de sacrificiis, de ventis, quae in theatro, quae in stadio, quae in amphitheatro, quae in circo, de membris humanis, de moribus humanis, de natura humana, de magistratibus, de escis, de potionibus, de secunda mensa, de oleribus, de piscibus, de carne, de avibus, de quadrupedibus, de venatione, de serpentibus, de habitatione, de arboribus, de floribus, de vindemia, de vestimentis, de leguminibus, de fictilibus, de scorteis, de odoribus, de ferramentis, de civitatibus, de supellectile, de ludo litterarum, de rusticatione, de artificibus, de divitiis, de aureis, de argenteis, de aereis, de ferreis, de navigatione, de medicina, de ferramentis medicis, de militia, de confectione, menses. Haec autem capitula exhibent hermeneumata Montepessulana: de septem stellis erraticis, de signis caelestibus, duodecim signa, de tempestatibus, de diebus festis, de ventis, tempora et anni, de medicina, de navigatione, de magistratibus, de militia, de agricultura, de arboribus, de aedibus, de spectaculis, de adfinitate, de serpentibus, de civitate, de artificibus, de membris humanis, de habitatione, de escis, de potionibus, de secunda mensa, de carne, de oleribus, de piscibus, de avibus, de bestiis quadrupedibus, de supellectile, de vestibus, de aureis, de argenteis, de ferreis, de fictilibus, de scorteis, de ludo litterario, de instructione, de natura corporis humani, de moribus humanis, de forensibus negotiis. E quibus dissimiliora Leidensium sunt Montepessulana quam Monacensia, sed et haec et illa in sat multis pariter a Leidensibus differunt; dispositio Monacensium quomodo cum Leidensibus cohaereat facile apparet; Montepessulana suum ordinem secuntur. Vnde cognoscitur capitula Leidensia ab scriptore Monacensium aucta esse, Monacensia ab auctore Montepessulanorum aliter disposita, ut minora discrimina silentio praeteream. Etiam in singulis capitibus sunt quae aperte inter se cohaereant, sed ut multo

maior quam concordantia sit vocabulorum discrepantia. De origine autem capitulorum quaerentibus auxilium non ex litteris Romanis petendum, ubi nullum eorum vestigium exstat. Sunt quae ad Pollucem ducere videantur, quem Boucherius adeo auctorem capitulorum esse voluit (cf. Not. et Extr. XXIII 2 p. 281), contra quem disputaverunt Massebieau Not. et Extr. XXVII 2 p. 457, Keil GR. L. VII p. 373, Krumbacher de codd. e. q. s. p. 1, Schoenemann de lex. antiquis p. 60 sqq., alii. Athenaei (qui pendet ex Pamphilo) locos *περὶ ἰχθύων* et *περὶ ἀργυρέων* contulit Knaack (Phil. Rundschau a. 1884 p. 372); de Pamphilo cogitavit Schoenemann p. 115 sq., qui 'ex Athenaeo' inquit 'magna eorum capitum copia Pamphilo potest vindicari, si respicis quae p. 79 sqq. composui. Nimirum agitur apud Athenaeum quoque — quamquam distractis nonnumquam capitibus — *περὶ βρωμάτων*, *περὶ ποτῶν*, *περὶ κρέατος*, *περὶ τῆς δευτέρας τραπέζης*, *περὶ ἰχθύων*, *περὶ πετεινῶν*, *περὶ τῶν τετραπόδων*, *περὶ λαχάνων*, *περὶ ἀνθῶν*, *περὶ ὀσπρίων*, *περὶ ἐνδομενίας*, *περὶ ἀρωμάτων*. Sin vero omnia respexeris, quae Pamphili auctoritate citantur, videbis apud eum *περὶ ναῶν ἱερῶν* quoque [cf. Athen. XIII 572e] et *περὶ οἰκήσεως* [cf. Et. M. 521, 28] et *περὶ δένδρων* [Athen. III 85c. II 52f?] sermonem fuisse.' Ex his vel similibus collectionibus profectum magistellum nescio quem libellum suum discipulorum usui destinatum consarcinasse existimo. De auctoris nomine non quaero: etenim in umbra ludorum talia opuscula cum vigerent, scriptoribus non fuit cur eorum diserte rationem haberent. Quodsi Schoenemann p. 54 Cloatium Verum commemorat, qui 'praeter libros verborum a Graecis tractorum ordinatorum Graecorum libris nomina videtur secundum res, quibus fuerint indita, in capita digessisse, siquidem ex altero Macrobius res sacrales, ex quarto et malorum genera secundum elementa . . . ordinata et alios fructus affert', quod idem Pratorum libros Suetonii, denique Nonii Marcelli libros XIII—XIX comparat, id recte fieri negaverim. Graeca vertit nescio qui magistellus, qua in versione quo fonte usus sit frustra quaeres. Certe ex glossariis non videtur pendere: hermeneumata enim aut tenui vinculo aut potius nullo cum glossariis graecolatinis et latinograecis quae exstant coniuncta sunt. Decimo autem saeculo scriptus est codex Vossianus 24 in folio (cf. vol. IV praef. p. XXXVI), cui, quamvis mere latino, scriptor haud pauca ex Pseudodositheanis hermeneumatis inseruit, unde nonnulla exempla apertissima praef. p. XXXI attuli. Idem glossarium continet codex Bernensis 236 saeculi X, sed ut neuter ex altero utro, immo uterque ex eodem vel simili exemplari sit transcriptus. Illa hermeneumata cum ex recensione Leidensi tum ex colloquio Harleiano petita sunt

(exempla posui p. XXXI), unde apparet, etiam in fonte ex quo fluxerunt colloquium illud cum hermeneumatis Leidensibus coniunctum fuisse. Ceterum notabile est multos Hermeneumatum codices etiam glossaria Salomonis quae dicuntur continere, quae in Germania composita esse constat.

Colloquiorum similitudinem prae se fert glossariolum utriusque linguae II p. 563, 8—36 e folio papyraceo editum, de quo post ea quae Franciscus Buecheler disseruit (Jahrb. f. class. Phil. 111 a. 1875 p. 309 sq.) non habeo quod addam. Item fragmentum papyraceum Musei Britannici (Greek Pap. in the Brit. Mus. 481; cf. Foerster und Koschwitz Übungsbuch[5] p. 247), in quo latina vocabula graecis litteris perscripta sunt, tenuius est quam ut cui rei destinatum fuerit cognoscamus.

Emendationi horum hermeneumatum post Stephanum, Boucherium, Hagenum, Krumbacherum, alios ipse in thesauro glossarum emendatarum pro viribus consului. Post me de multis glossis desperatis denuo docte et feliciter disputavit Phaedon Kukules Graecus: cf. Byzant. Zeitschr. XX p. 388 sqq. (*Παρατηρήσεις καὶ διορθώσεις εἰς τὸ* Corpus glossariorum). Sed multa aenigmata relicta sunt, quae Oedipodem suum nondum invenerunt.

CAPVT III. DE PSEVDOPHILOXENO

§ 9. Inter *κειμήλια* glossariorum bilinguium numerandum esse lexicon latinograecum Philoxeno vulgo adscriptum, a quo seriem glossariorum bilinguium initium capere volui (II p. 3—212), omnes consentiunt. Exstat in libro Parisino 7651 noni saeculi, a quo ceteros harum glossarum codices pendere omnes praef. p. 3 sqq. exposuimus. Flavium Theodorum Philoxenum, consulem anni 525 p. Chr., huius glossarii auctorem esse Scaligeri, Salmasii, aliorum coniectura est, quae pendet ex versibus quibusdam, quos in codice vetustissimo exstare putabant. Sunt autem hi: *τοιοῦτο δῶρον τῇ σοφῇ γερουσίᾳ ‖ ὕπατος ὑπάρχων προσφέρω Φιλόξενος.* Quos tamen versus in codice Parisino 7651 non legi, sed diptycho cuidam inscriptos esse Ducangius in Labbaei glossariorum praefatione monuit, post eum Rudorffius (Abhandl. der Berl. Akad. 1865 p. 220 sqq.); unde apparet nullam esse inter glossarium et versus illos rationem, Philoxenum igitur auctorem doctissimarum glossarum non esse (cf. Loewe Prodr. p. 182). Composuisse glossarium hominem Graecum iam ex ordine elementorum a Latinis alieno elucet (ABGDEFICLMNOPQRSTV). Sed cave credas in glossario

primam solam litteram observatam esse[1]); immo praeter primam etiam secundam et tertiam litteras respectas esse his seriebus litterae F credes (quae ordinem turbare videntur uncinulis circumdedi): *Fab* 69, 41—69, 45; 74, 58—75, 10; *Fac* 69, 46—70, 3; *Fae* 70, 4—70, 12; *Fag* 70, 13; *Fal* 70, 14—70, 22; *Fam* 70, 23—70, 30; *Fan* 70, 31—70, 32; *Fac* 70, 33—70, 39; *Fas* 70, 40—70, 51; *Fat* 70, 52—71, 2 (70, 59); *Fau* 71, 3—71, 12; *Fec* 71, 13—71, 14 (71, 15); *Fel* 71, 16—71, 17; *Fem* 71, 18—71, 19; *Fen* 71, 20—71, 21; *Fer* 71, 22—71, 41; *Fes* 71, 42—71, 45; *Fet* 71, 46; *Fex* 71, 47; *Fib* 71, 48—71, 49; *Fic* 71, 50—71, 55; *Fid* 71, 56—72, 2; *Fie* 72, 3; *Fig* 72, 4—72, 7; *Fil* 72, 8—72, 9; *Fim* 72, 10—72, 11; *Fin* 72, 12—72, 17; *Fir* 72, 18; *Fis* 72, 19—72, 22; *Fla* 72, 23—72, 39; *Fle* 72, 40—72, 43; *Foc* 72, 44—72, 45; *Fod* 72, 46; *Foe* 72, 47—72, 50; *Fol* 72, 51—72, 52; *Fom* 72, 53—72, 56; *Fon* 72, 57; *For* 72, 58—73, 15; *Fos* 73, 16 (73, 17); *Fou* 73, 18; *Fra* 73, 19—73, 32; *Fre* 73, 33—73, 38; *Fri* 73, 39—73, 44; *Fro* 73, 45—73, 54; *Fua* 73, 55; *Fuc* 73, 56—74, 2 (74, 3); *Ful* 74, 4—74, 16; *Fum* 74, 17; *Fun* 74, 18—74, 30; *Fur* 74, 31—74, 39; *Fus* 74, 40—74, 57 (*Fut* 74, 44—46). Vnde apparet in hac quidem littera paucissimas glossas non suo loco exstare; quod casui tribueres, nisi in aliis litteris turbae essent maiores. Liceat A litterae turbas, id est glossas non suo ordine positas, adferre: 3, 18—3, 27 (*au* inter *ab* posita aliquot locis); (3, 32); (4, 3); (4, 10); (4, 21; 32); (4, 38—40; 45—47 *b* pro *u*); (5, 38); 5, 45—6, 6 (confusas); (6, 8—10); (6, 19—29); (6, 35); (6, 41. 46. 48. 51. 52; 7, 1); (7, 7. 16. 31. 39); 7, 43—8, 1 (confusas); (8, 4. 6. 8); 8, 13—21 (confusas); (8, 23. 27); (8, 36. 38); (9, 16—18. 36—42); (10, 17); (11, 30—34. 38); (11, 41. 42); (11, 44); (11, 53); (12, 7); (12, 35. 36); (12, 46—48. 51. 52; 13, 9); (13, 50); (13, 53); (14, 14); (14, 24); (14, 57); (15, 44); (16, 27. 28); (16, 33—35); (16, 52—17, 9?); (17, 12); (17, 15. 22. 28. 29); (17, 34—36. 38. 40—43); (18, 17); 18, 25—18, 42 (confusas); (21, 25—32?); (21, 42. 43); (19, 34. 35. 37. 39); 20, 11—20, 18 (confusas); 24, 36—25, 18 (*ari* et *arc*, sed alienae multae); (23, 14. 18); (23, 25. 26); (23, 37. 40—43); (24, 1); (24, 7. 8); (22, 8); (22, 14. 18. 20); (22, 25. 26); (22, 37. 38. 40); (22, 47); (23, 8. 13); (25, 46—48. 53. 54; 26, 2. 3); (26, 14—16); (26, 22); (26, 43. 50); (27, 38. 39); (27, 47); (27, 51): ex qua dispositione quid concludi possit, ita explicat Dammann p. 11: 'Iam vero cum multae glossae discrepent huic ordini, totum corpus divido in partes duas; unam (A) amplexam eas glossas quae tres litteras servant, alteram (B) continentem ceteras omnes.' Quod ita interpretor (cf. Loewe Prodr. p. 191), ut fundamentum fuisse glossarium ex

1) In his et eis quae secuntur doctam Alberti Dammann disputationem sequor (de Festo Pseudophiloxeni auctore = Comm. phil. Ien. vol. V p. 3 sqq.), cuius verba, sed denuo examinata, saepius nullo signo adiecto mea esse volui.

tribus elementis primis ordinatum statuam, auctum illud postea ex altero exemplari sat multis glossis ibi abundantibus: quo in contaminandi negotio genuinus ordo ab homine minus diligenti saepius disturbatus est, sed ut non in omnibus litteris pares turbae inveniantur.[1]) Quod ita se habere etiam alio argumento confirmari potest. Dudum enim docti observarunt (cf. Loewe Prodr. p. 190 sq.) glossas quasdam in Pseudophiloxeni glossario bis inveniri. Quarum glossarum tres esse classes Dammann p. 12 sqq. exposuit; prima classis earum est quae inter se prorsus conspirant; cf. 7,17 *adflictantur καμμονσιν* = 7,34; 34,47 *goreo αναμφηβολος* = 36,51; 75,19 *im αυτον εις αυτον* = 77,21; 48,3 *dialis ο του διος ιρευς* = 48,26; 87,26 *insipti αυτοι* = 87,44. Secunda classis eas glossas continet, quarum alterae videntur inesse in alteris, ut 10,13 *advena μετοικος* = 10,2 *advena μετοικος επηλυς*; 10,10 *advocatus παρακλητος* = 10,16 *advocatus παρακλιτος η δικολογος*; 98,38 *caulae μανδραι* = 98,50 *caulae περιβολοι μανδραι*. Quibus accedit tertia classis, cuius alterae ex alteris videntur fluxisse, ut 18,56 *arbina λιπος ανευ σαρκος* = 19,8 *arbina κρεως λιπος ανευ σαρκος*; 141,27 *paleta σφενδονη δακτυλων* = 141,10 *paleta σφενδονη δακτυλιου ως Υγινος εν τωι*. De quibus cum Dammanno facere non possum, qui satis artificiosa explicatione utitur; vix enim fieri potest, ut genus alterum a tertio disiungamus. Immo qui composuit glossarium, diversas has esse glossas quantumvis cognatas censuit; itaque non habuit, cur alteram utram excluderet. Primum autem genus ita natum esse suspicor, ut auctorem glossaria inter se comparantem fugerit, hanc vel illam glossam iam in altero glossario exstare; videbatur igitur sibi aliquid supplere, quo alterum glossarium abundaret. Quod si recte disputavi, simul coniecturam quam supra proposui confirmari opinor. Quamquam nonnulli errores etiam post glossarium contaminatum accidere potuerunt. Glossas contaminatas quas Dammann p. 16 sq. tractat iam in primario glossario extitisse conicio, non ex altero exemplari collato fluxisse. Haec sunt quae ordo docere videatur; nunc ad ipsas glossas pergamus.

§ 10. Pseudophiloxeni quotquot extant glossae in tria genera discedunt, primum latinograecarum, alterum latinolatinograecarum, mere latinarum tertium. Glossarum mere latinarum plurimae spectant ad Horatium (cf. Loewe Prodr. p. 188 sq., Dammann p. 17 sqq.), ut hae: 27,25 *auspice auctore fauctrice* (Ep. I 3,13); 29,32 *bibulum ebriosum* (Ep. I 14,34); 47,26 *deterreret detraheret* (Sat. I 4,112); 49,23 *diffingit describit* (Sat. I 10,37); 67,6 *extricat patendo colligit et parat* (Sat. I 3,88); 70,44 *fastu superbia* (Ep. II 2,93); 70,49 *fastidis contem-*

1) Fortassis huc spectat illud *ἐν ἄλλῳ*, quod sub *Exactus* (*Exacta*) attuli in thesauro gloss. emend.

nis (Sat. I 2, 115; Ep. I 14, 2); 80, 44 *indictis constitutis* (Ep. I 7, 76); 87, 18 *insignis nobilis vel magnus seu ornatus* (Sat. II 1, 46; Ep. II 3, 401); 87, 58 *instar similitudo* (Carm. IV 5, 6); 88, 11 *instillare ενισερε* (= *inicere*; Ep. I 8, 16); 89, 43 *interdicta prohibita* (Sat. I 2, 96; Ep. I 6, 64); 100, 26 *circamlita circumdata* (Ep. I 10, 7); 100, 30 *ciniflones ornatrices* (Sat. I 2, 98); 105, 42 *compescet temperat* (Carm. II 14, 9); 123, 28 *limis obliquis oculis* (Sat. II 5, 53); 125, 21 *lurida nigra* [*ludus palestris*] (Epo. 17, 22); 135, 41 *obdit coniungit obicit* (Sat. I 3, 59); 136, 3 *obiciebat proferebat* (Sat. I 4, 123); 138, 16 *officio νοσεο* = *noceo* (cf. Sat. I 2, 61; I 9, 50; I 2, 97); 161, 24 *proles suboles* (Ep. I 7, 40; Carm. III 6, 38; IV 6, 1); 164, 49 *pulla nigra* (Carm. I 25, 18; Epo. 16, 46); 170, 54 *referre inter-*[*es*]*se* (Sat. I 6, 7; I 2, 77); 175, 2 *rictum mensura oris* (Sat. I 10, 7); 175, 11 *rodunt lacerant invident* (Sat. I 6, 46); 179, 47 *scaveret frigaret* (Sat. I 10, 71); 180, 44 *scurrae uili* (Sat. I 8, 11; Ep. I 18, 4); 185, 56 *sollicitum conturbatum* (Sat. I 2, 3; II 7, 51; Carm. I 14, 17); 188, 33 *stimulos incitamenta* (Sat. II 7, 94); 191, 9 *substringe praebe* (Sat. II 5, 95); 192, 47 *suppeta*⟨*s*⟩ *suffititas summinístras* (Epo. 17, 64); 197, 17 *termes termes dicitur proprie caulis olearum amborum* (= *arborum*; Epo. 16, 45); 198, 39 *titillare fatigare* (Sat. II 3, 179?); 200, 17 *trames: via angusta* (Sat. II 3, 49?); 202, 15 *tritum perfectum* (Sat. I 3, 91); 203, 23 *turgidus inflatus* (Sat. I 10, 36). Ad Vergilium pertinere videntur hae: 199, 59 *tractimque iugiter continuatim* (Georg. IV 260); 21, 51 *aspernanda contempnenda* (Aen. XI 106; cf. Serv.); cf. 21, 54 *aspernanda neganda* (utramque ad Martialem IV 19, 3; V 30, 5 refert Dammann p. 20, vix recte); 210, 27 *vivacis diu viventis* (Georg. II 181). Ex Plauto (Rud. 135) videtur fluxisse 66, 46 (*extar ulla ubi exta quebantur*); 188, 30 *stimulant commovent* ad Capt. v. 598 refert idem. Ceteras glossas huius generis satis habeo exscripsisse: 21, 2 (*anticipiatam sociatam*); 59, 26 (*elicit enocat inducat*); 59, 28 (*elegans formosus speciosus*); 62, 10 (*eolus varius*); 65, 48 (*expetites* = [*expertes*] *ignari*); 65, 49 (*exertas peritas*); 83, 11 (*inhibit incipiet*); 90, 28 (*inter*⟨*pellat*⟩ *prohibet*); 126, 19 (*magnus socer uxorum auī*); 161, 57 (*propagare producere*); 162, 23 (*promptum facilem*); 189, 27 (*stringentia attingentia*); 202, 23 (*tropeoforum quo tropeum portant*); 204, 52 (*uastrapes φιμιναλια*); 206, 18 (*uerbenna* ⟨... *ueruactum*⟩ *terra proscissa aratro, id est uomere actum*), quarum fontes indagandos aliis relinquo.

Venio nunc ad glossas latinolatinograecas, de quibus Dammann p. 20 sqq. disputavit. Velut 9, 5 haec est: *adsciscet evocavit ἐκάλεσεν*; quae glossa cum pertinere videatur ad Hor. Ep. II 2, 119 (*Adsciscet nova*), *ἐκάλεσεν* illud ex scriptura *euocauit* natum et postea demum additum est. 123, 24 *limatur rimatur terit ζητει* (*ζητεῖ* ad solum *rimatur* pertinet; cf. Hor. Ep. I 14, 38). 143, 36 *pauet pauescit πτοει* (qui

πτοεῖ vertit, *pavet* male intellexit; cf. Hor. Epo. 12, 25). Ex his et similibus exemplis tales glossas postea demum graeca versione auctas, ab initio igitur fuisse mere latinas intelleges. Quae coniectura eo confirmatur, quod etiam in his glossis multae sunt, quae ex Horatii carminibus provenerint. Ad Horatium igitur merito has glossas p. 22 sq. revocavit Dammann: 15, 27 *altercante contendente φιλονικητεως* (Sat. II 7, 57; *φιλονεικοῦντος* Stephanus, vix recte); 50, 40 *diruit demolit κατεστρεψεν κατεβαλεν οικοδομας* (Ep. I 1, 100); 86, 31 *inritabile litigiosum iracundum οξυχολον* (Ep. II 2, 102); 110, 52 *conparat confer⟨t⟩ συγκρινει* (Epo. 2, 30); 114, 43 *contristat tristem facit λυπη* (Sat. I 1, 36); 122, 52 *libidinosus flagitiosus ακολαστος ηδυπαθης ασελγης* (Epo. 10, 23); 127, 36 *marita nurus νυμφη* (Epo. 8, 13); 151, 57 *plane profecto σαφως μεντοι οντως τωι οντοι* (= *ὄντι*; Sat. I 3, 66); 151, 50 *planum fallacem απο του πλαναν* (Ep. I 17, 59); 167, 54 *quoad quamdiu εως τινος* (Sat. II 3, 91); 182, 46 *seria necessaria σπουδεα αναγκαια* (Sat. I 1, 27); 201, 20 *trepidat festinat περιδεησμαι* (ubi *περιδεης* ad 19, *μαι* alio pertinet; Hor. Ep. I 10, 21). Plus quam semel apud Horatium occurrunt hae: 12, 32 *aetas aevitas ηλικια χρονος*; 24, 45 *aridum siccum ξηρον*; 26, 47 *auriga agitur* [h. e. *agitator*] *ηνιοχος ελατης*; 52, 17 *dissertus eloquens λογιος*; 53, 6 *disipit* [h. e. *decipit*] *dirigit παραφρονει*; 69, 16 *honus honor τιμη θεων τιμη ανθρωπων*; 70, 45 *fasces honores τιμας συμβολα*; 92, 57 *iste is ουτος*; 103, 47 *colonus cultor γεωργος*; 114, 23 *continuo statim ευθεως εξαυτης*; 123, 40 *linire mulcere mitigare πραυνειν*; 181, 30 *sedulus efficiolus μονιμος και σπουδαιος*; 201, 21 *trepidat titubat σφαλλεται πταιει βαμβαινει*; 205, 26 *vehemens alacer σφοδρος γενναιος δυνατος*; 212, 28 *uti ut οπως*. Quibus dubitanter adicit Dammann hasce: 112, 23 *consentit invicem videtur συνευδοκει* (Carm. II 17, 22); 123, 32 *linea funis γραμμη σειρα*; 108, 6 *condere conponere ποιησαι* (male versa; Carm. I 10, 8). Ad Martialem 148, 52 (IV 48, 1); 50, 55 (X 41, 8); 98, 22 (X 104, 17); 114, 2 (I 53, 4); 126, 45 (I 100, 2) quamvis incerta coniectura revocantur. Praeterea inveniuntur talia in his glossis: 3, 29; 3, 38; 11, 43; 17, 27; 24, 24; 25, 51; 26, 51; 27, 31; 28, 46; 34, 38; 42, 2; 43, 23; 59, 50; 69, 12; 77, 23; 82, 59; 83, 46; 84, 58; 89, 4; 90, 49; 100, 18; 101, 12; 101, 31; 102, 54; 103, 10; 108, 14; 108, 18; 109, 23; 109, 34; 114, 39; 116, 49; 119, 48; 127, 45; 133, 14; 141, 42; 144, 33; 149, 36; 150, 4; 160, 27; 172, 38; 176, 3; 178, 31; 179, 10; 182, 16; 185, 27; 188, 12; 198, 8; 212, 41. — Sed etiam in glossis latinograecis multae sunt quae quin ad Horatium spectent non dubito, quippe cuius nomen 46, 30 adferatur (*desurgit ἐφοδεύει, ὡς Ὁράτιος*); notabiliora quaedam exempla proposuit Dammann p. 24 sq. haec: 22, 46 *attat ὁ τοῖς ποσὶν ἀρχόμενος περιπατεῖν* (Ep. II 1, 79); 61, 52 *Ennipater Ἔννιος πατήρ* (Ep. I 19, 7);

121,52 *Laverna Πραξιδίκη* (Ep. I 16,60); 189,56 *Suadela Πειθὼ ἡ θεός* (Ep. I 6,38); 120,43 *Lemures νυκτερινοὶ δαίμονες* (Ep. II 2,209); 28,32 *Bacchos οἶνος* (Carm. III 16,34); 9,35 *ad summam πρὸς τὸ πέρας* (Ep. I 1,106); 14,5 *ac si quis ἐὰν δέ τις* (Sat. I 10,59); 22,19 *ast ego ἐγὼ δή* (Epo.15,24); 121,59 *lectus genialis κλίνη συμποσίου* (Ep. I 1,87); 162,43 *prosa pexa tunica πεξον εἱματιον* (Ep. I 1,95); 13,35 *acescit ὀξίζει* (Ep. I 2,54); 28,9 *balbuttit νηπίῳ προσπαίζει, τρανλίζει* (Sat. I 3,48); 60,28 *emetat θερίσει* (Ep. I 6,21); 120,40 *lambit λάπτει* (Carm. I 22,8); 196,48 *tentigine τῇ διατάσει* (Sat. I 2,118); 151,59 *plagosus δάρτης* (Ep. II 1,70); 54,12 *diota ἀμφόριον, οἰνοφόριον* (Carm. I 9,48); 96,20 *caliendrum κόσμιον κεφαλῆς* (Sat. I 8,48). Ex his exemplis apparet glossas Horatianas plurimas transisse in hoc glossarium, pleraque interpretamenta graece versa, in nonnullis nescio qua de causa versionem neglectam.[1]) Ad glossas Horatianas accedunt Vergilianae, denique glossae ad alios scriptores pertinentes, quae utrum in eodem glossario ab initio coniunctae fuerint an postea demum societatem inierint dici vix poterit.

§ 11. Festinas glossas inesse permultas iam supra p. 10sq. monui. Subiciam hoc loco indicem glossarum, quas sive certa sive probabili ratione huc pertinere exposuit l. s. s. Dammann (quibusque haud paucas adieci), ordinem Pauli vel Festi secuturus: 3,4 *axitas ἀποτελεσματικαί*; 3,5 *anxilites ὄρνιθες οἰωνοί*; 3,6 *axamenta στίχοι ἐπὶ θυσιῶν Ἡρακλέους*; 3,12 cf. l. s. s. p. 10; 4,13 *ambactus δοῦλος μισθωτός, ὡς Ἔννιος*; 4,18 *abemit ab eam accepit ἔλαβεν*; 7,20 *almities αὔξησις ἀρχαίως*; 8,9 *anxant ὀνομάζουσιν*; 8,12 *aureax solitarius ἱππαστής*; 9,11 *antruare σπηλεῦσαι* (male cum '*antrum*' compositum; cf. II 17,38, ubi *andruare ἀνδρίζεσθαι* eodem modo male versa est); 10,1 *acceres ἀξίνη ἱεροφάντου, ὡς Πλαῦτος*; 10,2 *aplustra πτερὸν πλοίου, ὡς Ἔννιος*; 10,10 *agear παραμενων* et *agear πάροδος πλοίου* (ubi *παρ' Ἐννίῳ πάροδος πλοίου* Scaliger; exspectamus *agea πάροδος πλοίου, ὡς Ἔννιος*, nisi rectius ad glossam antecedentem illud *παραμένων* refertur cum eodem Scaligero et *agear* prius delendum); 11,10 *anglare ἀντλῆσαι*; 11,11 *angla ογεστραπεξαι τρίγωνοι, ὡς Νέβιος* (*anclabres τράπεξαι τρίγωνοι, ὡς Ναίβιος* Mueller, quibus *mensae* ante *τράπεξαι* adiecit Dammann p. 40); 11,12 *ancodata περιο⟨υ⟩ραθεῖσα* (ubi *ancunulenta* Scaliger; interpretamentum male versum, si re vera huc pertinet glossa); 11,13 *ancrae ἄγκεα, αὐλῶνες*; 12,1 *ammentum ἄμμα λόγχης, λῶρόν ἐστιν ὅθεν κατέχεται ἡ λόγχη*; 12,9 cf. p. 27; 14,4 *amita θεία πρὸς πατρός*; 15,2 *amicinus ἀσκοῦ στόμα*; 15,12 *argiarra*(?) *ἀφιδρύματα*;

1) De tota hac re nunc disputavit Carolus Wey in diss. Ienensi a. 1914. Quae scripsi, ante hanc dissertationem editam me scripsisse moneo.

16, 15 *antes* οἱ τῶν ἀμπέλων στίχοι; 17, 5 *antiae* κόμαι αἱ διὰ τῶν κροτάφων κρεμάμεναι γυναικεῖαι; 17, 8 *amterminus* διχόθεν ὅρος; 17, 11 *Angeronia* ἡ θεὸς τῆς βουλῆς καὶ καιρῶν; 18, 11 *atanulus* (*atnanulus* cod.) ἅγιον ἱερέως σκεῦος, κειμήλιον (incertum; cf. thes. gl.); 19, 6 *armilustrium* ὁπλοκαθάρσιον; 19, 15 *ancus mancus* κυλλός, λορδός; 20, 11 *aclassi* λώματα; 20, 12 *arillator* μεταβόλος ἀρχαίως; 20, 14 *artitus* πάντεχνος, δαίδαλος; 20, 15 *arina* ⟨οἷς⟩ μήτηρ κατὰ Βάρρωνα; 20, 16 *arsinum* διάκριμα; 20, 19 *arvina* λίπος ἄνευ σαρκός; 21, 3 *atena* εἶδος ποτηρίου ὀστρακίνου ᾧ οἱ πρυτάνεις ἐν ταῖς θυσίαις χρῶνται; 21, 5 *amites* ἰξευτικοὶ κάλαμοι; 22, 2 *aquilum* μελανόν, ὡς Λουκίλλιος; 22, 13 *aquipenser* εἶδος ἰχθύος; 22, 17 *ape* κώλυσον; 24, 4 *aemidus* πεφυσημένος; 24, 7 *aeruscator* (*aesculator* cod.) χαλκολόγος; 25, 17 *advores* ἐναντίοι; 26, 6 *annosa annua* πολυετής (*annoso annuo* scribe apud Paulum); 29, 8 *anctos* ἀναγκασθέντας; 29, 16 *abortum* ἔκτρωμα, ἐκβόλιον; 30, 7 *barrit* τρίζει ἐλέφας, βοᾷ; 30, 8 *ballo* θηρίον θαλάσσιον; 30, 12 *bovinatores* θορυβοποιοί, θρῦλον ποιοῦντες ἢ ταραχήν; 30, 13 *bova* νόσος βοῶν; 31, 2 *bavar* εἶδος ἀγγείου; 31, 6 *burrum* ξανθόν, πυῤῥόν; 31, 12 *Bruttiani* οἱ δουλικὰς τάξεις χρεωστοῦντες; 32, 7 *buteo* ὀρνέου εἶδος; 33, 10 *bidental* τόπος κεραυνοπλήξ; 33, 12 *bisaenus* χοῖρος ἑξαμηνιαῖος (cf. Dammann p. 29); 34, 5 *bilbit* βομβύζει (cf. 29, 38); 34, 13 *beluius* θηρίου ὁμοῖος; 37, 13 *colla* θυσία ἱερέων (ubi *ἱερείων* Buecheler; *collativum sacrificium ἱερεῖον* Dammann); 38, 13 *calatores* δοῦλοι δημόσιοι, περίπολοι; 40, 3 *compitalia* θεῶν ἀγναίων ἑορταὶ αἱ γινόμεναι ἐν ταῖς ὁδοῖς ὑπὸ τῶν προσηκόντων τοῖς νεκροῖς (cf. II 111, 32); 44, 3 *carisa* μαυλιστής. πορνοβοσκός; 44, 6 *Catamitus* Γανυμήδης; 45, 16 *cacula* δοῦλος στρατιώτου; 46, 17 *calper* (scr. *calpar*) οἶνος ἐν θυσίᾳ (cf. II 96, 32); 49, 14 *currilis equus* σὺν ἅρματι ἀγωνιζόμενος ἵππος; 51, 1 *guturnum* εἶδος σκεύους ὀστρακίνου (cf. II 36, 36: *guturnium* βαθμός, προκοπὴ ὡς Βάρρων); 54, 14 *cerritus* παρεμμανής, παρεμφάρακτος; 55, 9 *clira* ομοια (= *simia*); 60, 4 *coiector* ὀρνιθοκρίτης; 60, 10 *crumina* θύλακος; 62, 13 *conciliatrix* προξενήτρια; 65, 2 *culigna* σκεῦος οἴνου; 66, 13 cf. 57, 9—11 *dupliones* διπλοῖ, *duplum* διπλοῦν, *duodecim tab.* δυοκαίδεκα (cf. Dammann p. 36); 66, 14 *duicensus XII tab.* δεύτερον ἀπογεγραμμένος; 67, 1 *duonus* ἀγαθός; 67, 7 *dubius* δεσπότης (cf. Dammann p. 30); 68, 1 *daunum* ἄφρονα; 68, 8 *damium* θυσίαι ὑπαίθριοι γινόμεναι; 68, 12 *d*[*i*]*anunt* διδῶσιν; 71, 9 *demagis* σφοδρῶς; 71, 21 *degunere* ἀπογεύσασθαι καὶ συγνῶσαι; 72, 14 *disulcis* χῦρος, διχαίτης, διαῦλαξ; 73, 11 *detudes* μιανθέντες; 74, 6 *diobolares* διωβόλου; 74, 16 *defrensa* ἄρουρα θερισθεῖσα (cf. II 41, 15); 75, 14 *dium* ἀστραπή (cf. Dammann p. 32); 75, 15 *dicassit* συνεχῶς λέγει; 76, 2 *elix* ἀναπνοὴ ὀχετοῦ; 76, 16 *enibrum* πρᾶγμά τι ὡς ἐπὶ βλάβης; 77, 1 *endoplorato* ἐπικάλεσον; 77, 3 *endo* ⟨*procinctu*⟩ ἐζωσμένοι ἐν

πολέμῳ; 78,5 *eccer⟨e⟩* κατὰ τῆς Δήμητρος; 82,13 *epicrocum* ἐσθῆτος εἶδος (cf. II 62,16); 83,13 *forba* (*forda*?) θυσία ἐγκύμονος βοός; 88,8 *falcones* δάκτυλοι ποδῶν ἔσω βλέποντες; 89,7 *flator* αὐλητής; 94,4 *gerrae* πλεκτά τινα; 95,5 *gingriunt* χῆνες ἐκβοῶσιν; 95,11 *gnarus* γιγνώσκων, ἰδών, εἰδήμων; 95,12 *gnetonsum* (= *gnefonsum*) ἀμαυρόν, σκοτεινόν; 95,17 *gnaritur* γνωρίζεται (cf. II 35,6); 96,12 *gnotu⟨m⟩* γνῶσιν, διάγνωσιν; 96,15 *gruma* γνώμων; 96,17 *grimini* οἱ διορίζοντες τοὺς ὅρους λίθοι (nisi potius *termini* latet); 97,7 *Gradivus* τακτικός, Ἄρης; 97,12 *grallatores* πανικὰ φοροῦντες; 98,5 *glos* ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἀδελφή, γάλως, παρὰ Πλαύτῳ (cf. II 34,32); 98,6 *gluttit* κροκκᾷ ὄρνις; 98,8 *gluma* λεπυρὸν κριθῆς; 98,10 *gloditatus* (*sub glu-*) ἡδύς; 98,12 *gulluca* καρυοτομια (cf. *guttuliocae* κάρυα μακρὰ παρὰ Λουκειλίῳ); 102,3 *hallus* ποδὸς μέγας δάκτυλος; 103,10 *im* αὐτόν, εἰς αὐτόν (= II 77,22); 104,1 *iuget* ἐν πρώτοις ζευχθὲν κτῆνος; 104,7 *iugit* ἰκτὶν βοᾷ; 104,8 *iugites* συνεζευγμένοι; 105,7 *ignitabulum* ᾳδὸς ῥαβδίον πυροστρόφον; 105,8 *ignia* νοτία, φυκίασις (cf. II 79,44); 105,9 *iosipse* αὐτός; cf. *insipti* αὐτοί; 105,14 *ipsiplices* αὐτόπτυκτα φύλλα (res dubia, cf. Dammann p. 38); 106,10 *Indigites* ἡμίθεοι, Κουρῆτες; 108,12 *improles* ἀφῆλιξ, μήπω πολιτευόμενος; 109,9 *inpenetrabile* ἀδύνατον, ὅπου τις οὐκ ἐφίεται εἰσελθεῖν, ἀνόδευτον; 110,21 *intergeries paries* τοῖχος ὁ δύο κτήσεις διορίζων; 111,3 *intercapedo* διάστημα χρόνου; 111,9 *insuasum* εἶδος δοκαρίων κεκαπνισμένων; 111,11 *inseque* εἰπέ; 112,3 *immusulus* εἶδος ὀρνέου; 112,4 *infendere* (*infin-* Scal.) ἐπιτεῖναι, ἐνκληματίσαι (cf. II 82,39); 112,9 *infit incipit* ἄρχεται (cf. II 82,45); 113,1 *infulae* στέμματα; 115,6 *lepistra* εἶδος χύτρας; 115,11 *laevir* ἀνδράδελφος; 117,8 *lamae* πηλώδεις τόποι; 118,13 *lapicidina* λατομία; 119,6 *lucar* θεατρικὸν γελιαν, μισθὸς ἀπὸ φίσκου; 120,16 *lumbago* ἰσχιάς [ομματα]; 126,14 *magnus socer uxorum aui*; 138,29 *monitor* ὑποβολεύς; 138,31 *monile* ὅρμος γυναικεῖος; 144,2 *Mulciber* Ἥφαιστος, Ἀμφιγυήεις (cf. II 130,20); 146,30 *metellus* μίσθιος; 161,13 *nenia* ἐπιτάφιος ᾠδή; 169,19 *nassa* κύρτος ἁλιευτικός; 188,12 *obesus* παχύς, λιπαρός; 209,1 *petumen* κτήνους ἕλκος; 210,26 *pedem struit* φεύγει; 217,29 *perpetrat* κατορθοῖ; 223,16 *praefica* ἡ πρὸ τῆς κλίνης ἐν τῇ ἐκφορᾷ κοπτομένη, θρηνῳδὸς ἐπ' ἐκφορᾷ; 225,12 *procastria* οἰκήματα πρὸ παρεμβολῆς; 225,14 *prosapia* ἐκ προγόνων εὐγένεια καὶ συγγένεια; 225,15 *prosiciae* αἱ τῶν θυμάτων ἀπαρχαί; 228,7 *probrum* αἰσχρόν, ὄνειδος; 234,23 *praemetium* ἡ πρὸ θερισμοῦ Δημήτρος θυσία; 238,7 *porca* τὸ μεταξὺ τῶν αὐλάκων ὕψος; 242,1 *Portunus* Παλαίμων δαίμων θαλάσσιος; 258,27 *quasat* ὅταν φωνεῖ βάτραχος; 270,17 *reduuia* παρωνυχίς; 281,15 *restibilis* ἀγρὸς δὶς τοῦ ἔτους ἀροτριώμενος; 290,24 *sonticus morbus* ἱερὰ νόσος; 293,10 *solitaurilia* θυσία ἐκ συὸς καὶ κριοῦ καὶ ταύρου; 301,6 *solox* ἔριον καὶ παχύς; 302,8 *sucerda* χοιρεία κόπρος,

309,2 *subulo αὐλητής*; 313,5 *stlata πειρατικοῦ σκάφους εἶδος*; 315,1 *stipator σωματοφύλαξ*; 318,23 *sacrima ἀπαρχὴ γλεύκους*; 339,21 *sequester μεσίτης, ἔντριτος, συνθηκοφύλαξ*; 341,6 *silus σιμός*; 344,13 *stiria ὁ τοῦ ὕδατος κρεμάμενος κρύσταλλος*; 357,9 *tolae παρίσθμια*; 364,16 *tentipellium φάρμακον πρὸς ῥυτίδας*; 365,3 *temetum οἶνος*; 367,15 *transtra ζυγὰ σκάφης, κηλῖδες*; 367,16 *tragula κερκίς, βολίς*; 368,14 *vescus ὀλιγόσιτος, ὀλιγοδεής*; 369,12 *veterina bestia ὑποζύγιον*; 370,1 *vibrucae τρίχες ῥινός*; 370,4 *viator ὁδοιπόρος, ἀμφοδάρχης, ἀρχιυπηρέτης*; 370,10 *versutus πολύτροπος, ποικιλόφρων*.

Ex his quae exhibui exemplis — quibus non dubito quin addi et demi possint — hoc de Festi glossis apparet: 1) excerpsit nescio quis Festi glossas, quas postea homo Graece sciens vertit non sine ridiculis erroribus, ut *clira ομοια*, h. e. *clura simia*; pro *simia* nescio quomodo *similia* legit et vertit. Itaque non est haerendum in talibus qualia ad *antruare* et *ancodata* adnotavimus. Qui composuit homo minus doctus videtur fuisse. 2) Consentaneum est in eis partibus quas solus Paulus servavit non ita pauca ex Pseudophiloxeno suppleri posse, quae excerptor abiecit. Talia sunt, ut exempla aliquot afferam, 131,61 *muttonium προβασκάντον, Λουκ⟨ίλ⟩ιος* (cf. 959 Marx cum adn.); 7,51 *ad incitam πρὸς ἐρεθισμόν* (nota versionem ridiculam et cf. Plac.); 11,39 *Agrippa ὁ ἐπὶ πόδας γεννηθείς* (cf. Plac.); 18,32 *appia εἶδος σκεύους, ὡς Πακούβιος*; 18,34 *aptra ἀμπελόφυλλα, ὡς Τιτίννιος*, et multa eius generis, quamquam pleraque non satis certa esse ultro apparet. 3) Glossae Festinae utrum cum aliis coniunctae fuerint antequam huic glossario inferrentur an auctor demum glossarii excerpta ex Festo adhibuerit aegre ita dicas, nihil ut contra dici possit. Probabilius autem illud putaverim; nam exstant glossae per se admodum similes quas ex Festi excerptis desumere non potuit: de quibus paulo post disceptandum erit.

In numero glossarum optimarum sane illae habendae sunt, quae ad certos scriptores revocantur. Compono nunc exempla praeter ea quae supra iam attuli. *Aroscit πλανᾶται, ὡς Λίβιος* (Andron.; *Aeruscat* Leo) *iugula ἄστρον Ὡρίωνος, Ὁράτιος ὥς φησι* (cf. carm. I 28,21; thes. gl.); *acactum ἄκανθα, ὡς Λουκιανός* (*Λουκίλλιος c*; cf. 1099 Marx); *a[u]xillae μικρὰ πτερά, ὡς Βάρρων*; *avena καλάμη, ἔπος ὡς Βεργίλιος* (ecl. I 2?); *cicuta κώνειον φάρμακον ἐν τοῖς Βουκολικοῖς καὶ β Γεωργικῶν* (cf. ecl. V 85, II 36; in Georgicis deest); *colum σχοινίον. Virgilius lib.* ⟨II⟩ *Georgicon* ⟨242⟩: *colaque praelorum fumosis deripe tectis; genitalia μήτρα ἐν τῷ β′ τῶν Γεωργικῶν* (324); *glarea τόπος χέρσος, λιθώδης, ἄσπορος, ἐν τῷ β′ τῶν Γεωργικῶν* (212); *pull⟨ul⟩at in Georgicis* (*ergorgia* cod.) *arbores dicuntur quoties ramos ex se generant παραφύαδας βάλλει, βλαστά-*

νει (cf. Georg. II 17); *paleta σφενδόνη δακτυλίου, ὡς Ὑγῖνος ἐν τῷ ***; abaci, delfica μηνιστέριον, ὡς Ἰουβενάλιος* (III 203); *apicus* (= *opicus*) *ὀππικιστής, ὡς Ἰουβενάλιος* (III 207); *asseres δοκίδες, ὡς Ἰουβενάλιος αχαν* (*ἀρχαίως? ἄξων* Buecheler; cf. III 245; VII 132); *Astraea παρθένος, Δικαιοσύνη, ὡς Ἰουβενάλιος* (VI 19); *gutum ληκύθιον παρὰ Ἰουβεναλίῳ* (III 263; de his glossis Iuvenalianis cf. Goetz apud Friedlaenderum p. 106—108); *pitana ἀλάπη, ὡς Κικέρων* (*ubi patina* et *λεπάς* Klein Mus. Rh. XXIV p. 279 ad Attic. IV 8ª, 1 referens); *Atellani σκηνικοί, ἀρχαιολόγοι, βιολόγοι, ὡς δὲ Ὀβοίδιος ομηριστην δη τοι νυχοροι* (ubi *ὁ Λοίβιος* vel *Ὀβίδιος* vel *Ὀπείλιος* scribunt docti). De Gaio et libro qui est de officio proconsulis mox dicetur. Locos Iuvenalis ne potuit quidem ex Verrio repetere glossarii auctor; de Vergilio et Hygino id certe non probabile; quos locos si quis ex glossario quodam et Festi glossas et alias complexo ducet, non video quomodo haec coniectura refutari possit.

§ 12. Ex iureconsultorum libris haud paucas glossas excerptas esse iam multi viderunt. Velut liber qui est de officio proconsulis his locis affertur: *ad subrigenda εἰς ὑπόρθωσιν τιμωρίας liber de officio proconsulis; aliquo setius ποσῶς νωχελέστερον liber de officio proconsulis; a ramulariis ἀπὸ τῶν ἀντεπιτρόπων liber de officio proconsulis; arvares s[c]odales οἱ περὶ ὅρων διαγινώσκοντες δικασταί liber de officio proconsulis; atriensis διαιτάριος, διαιτάρχης liber de officio proconsulis; bellonarii οἱ θεοφορούμενοι liber de officio proconsulis;* delatio *ἀναφορά liber de officio proconsulis; derectarii εἰσπηδησιῶνες Lib. de officio proconsulis;* quo de libro Vlpiani doctissime disputavit Rudorff 'Abh. der Berl. Ak.' a. 1865 p. 233 sqq.; cf. Huschkii Iurispr. anteiustin. rel. p. 502 sqq. ed. sextae.[1]) Ex Vlpiani libro etiam alias quasdam glossas peti posse idem Rudorff p. 280 sqq. docuit, etsi ipsum non fugit quam dubiae hae coniecturae essent. Praeter librum notissimum Vlpiani etiam Gaius diserte adhibetur in gl. *dicis gratia νόμου χάριν, ὡς παρὰ Γαΐῳ τῷ νομικῷ*, de qua glossa cf. Rudorff p. 331; 335. Ab hoc exemplo profectus etiam de aliis locis quaesivit eoque deductus est, ut indicem glossarum ex Gaio desumptarum secundum elementorum ordinem componeret (p. 347 sqq.), ex quo pauca delibabo: *cernitoque καὶ ἐγχειρησάτω* (II 165. 174); *condictio παραγγελία denuntiatio . . . interdictum. condicere est denuntiare prisca lingua, nunc vero condictionem omnem in personarum actionem dicimus* (cf. IV 18); *dediticii οἱ μετὰ τὸ ληφθῆναι τῇ τῶν νικησάντων πολεμίων ἐξουσίᾳ ἑαυτοὺς ἐπιτρέψαντες, κατάκριτοι* (I 14); *facto conceptas διηγηματικῶς συγκειμένας* (IV 46. 47); *in integrum restituet*

1) Ad fontis indicium spectare etiam illam notam Γ, de qua praef. p. XI dixi, hoc quoque loco moneo.

εἰς ἀκέραιον ἀποκαταστήσει (IV 57); *lites contestatae αἱ ἀρχὴν λαβοῦσαι ἐν δικαστηρίῳ δίκαι ἐξ ἀντικαθεστώτων* (III 83; cf. III 180); *transcripticiis μεταγραπτέοις* (III 128). His non dubito quin alia addiderit Rudorff eodem per se iure, quamvis minore evidentia.

Non paucae glossae Pseudophiloxenianae prorsus conspirant cum glossis graecolatinis, quae vulgo Cyrillo adscribuntur, id quod iam Loewe Prodr. pag. 193 his glossis illustravit: *capillamentum τρίχωμα*; *motacilla σεισοπυγίς*; *blanx εὐήθης*; *Auruncius θεὸς ἀποτρόπαιος*. Quibus addi multae possunt, pleraeque tales, ut difficile cognoscas latinograecae utrum ex graecolatinis sumptae sint an graecolatinae ex latinograecis. Quid enim ex talibus glossis discimus: *abduco ἀπάγω, aeger ἀσθενής, ἄρρωστος, aemulatio ζῆλος, aequor πέλαγος, anus γραῦς, aratrum ἄροτρον, ars τέχνη*, multis aliis? Maiorem demonstrandi vim talia habent qualia sunt *enixa est ἀπεκύησεν, habita γενομένης, indignatur ἀγανακτεῖ, maritata ὕπανδρος, nascitur φύεται, ruminat μαρυκᾶται*, praesertim cum tantum non ubique coniugationum formas et vocabulorum casus evitet Pseudocyrillus, pro quibus aut nominativum aut primam praesentis temporis personam exhibet. Nec inutilia alia exempla sunt, siquidem coniugationis vel declinationis formas quae apud Pseudophiloxenum sunt in nominativos vel primas personas mutatas esse recte conicimus, velut haec: *ambit περιέρχεται, κολακεύει = περιέρχομαι ambio, κολακεύω ambio*; *amansit ἀπεκοίτησεν = amaneo, ἀποκοιτῶ*, quibus plurima addi possunt. Denique quid sit rei, haec vel talia plane ostendunt: *Auruncus θεὸς ἀποτρόπαιος = θεὸς ἀποτρόπαιος Auruncus*; *acupedium ὀξυποδία = ὀξυποδία acupedium*; *defrensa ἄρουρα θερισθεῖσα = ἄρουρα τεθερισμένη defrensa*. Ex his quae dixi paene certum fit glossas aequales, ut taceam de eis quae diversae ne possunt quidem esse, ex latinograecis mutatas esse in graecolatinas. Noli tamen putare Pseudocyrillum ex hoc quo utimur Pseudophiloxeni glossario ipso sua excerpsisse: quod si statues, cur exquisitarum glossarum consensus non maior sit, aegre explicabis: immo glossarium bilingue usitatis verbis et formis abundans, exquisitioribus glossis insigne paucioribus olim exstitisse et utrique glossario conficiendo adhibitum esse meo iure mihi conicere videor.

His glossis adiciendae illae quae ex declinationis formis natae sunt, ut *apud me παρ' ἐμοί, apud te παρὰ σοί, apud se παρ' ἑαυτῷ, apud nos παρ' ἡμῖν, apud vos παρ' ὑμῖν*; *ille ἐκεῖνος, illa, illud, illius* e. q. s., *ipse, iste, is, qualis, quidam, quisquam* cum omnibus suis formis et versionibus; porro ex coniugationibus, ut *ibit, ibant* cum formis plurimis, et quae eiusdem generis sunt. Talia, sed non eadem, etiam in glossario graecolatino exstant; videntur ex libellis vel tabellis provenisse discipulo-

rum in usum confectis. De ceteris Pseudophiloxeni glossis quae dicam nunc non habeo, nisi quod praeter eas quas supra attuli multas glossas ex Vergilio esse repetendas moneo, quarum nonnullas iam Loewe Prodr. pag. 188 notavit, multo etiam plures ex Cicerone, velut ex orationibus in Catilinam (cf. idem Loewe l. s. s. pag. 186 sqq.); item non paucas ex Iuvenale (cf. p. 32), Martiale, aliis. Ex his nonnullas iam in Thesauro gl. em. ad suos auctores revocavi; sed numerus multo maior est quam adhuc ostendi potuit. Subsisto nunc, ut ad glossas graecolatinas tandem aliquando perveniam.[1])

CAPVT IV. DE PSEVDOCYRILLO ET MINORIBVS QVIBVSDAM GLOSSARIIS BILINGVIBVS

§ 13. Pseudocyrilli quae nunc dicuntur glossae Cyrilli non esse iam Loewe Prodr. pag. 214 exposuit.[2]) Appellant eas 'glossas Cyrilli', quod 'in calce quorundam Cyrilli scriptorum' inventae esse feruntur: quod quidem argumentum satis futtile esse neminem hodie fugit. Edidimus hoc glossarium (II p. 214—483) ex codice vetustissimo Harleiano 5792, quem primum Franciscum Ruehl protraxisse testis est Loewe Prodr. pag. 212: qui codex quomodo cum aliis cohaereat praef. pag. XXVI sqq. diximus. Dispositio glossarum accommodata est elementorum ordini, quamvis non omnium litterarum pari modo ratione habita (cf. *ἀβαρής, ἀβαρές, ἀγέλαστος, ἀγελαῖος, ἀγελάρχης*; talia frequentissima esse moneo). Graeca maiore cura sunt tractata, minore latina, sed in universum in his quoque, etsi errores haud pauci admissi sunt, diligentia quaedam conspicua. Longe plurima lemmata aut substantiva aut verba sunt; substantiva nominativi formam habere solent, primae personae singularis praesentis temporis verba, quam tamen consuetudinem non semper servari moneo; adiectiva saepe praeter formam qualis est *ἀβάσκαντος* etiam neutralem formam ostendunt, ut *ἀβάσκαντον*; de adverbiis, praepositionibus, pronominibus non habeo quod dicam. Lemmata aequalia quae diversae significationis sunt accurate inter se distinguuntur, velut sic: *ἀγωγή iudicium, actio* et *ἀγωγὴ ἐπὶ τῆς ἀναγωγῆς disciplina, ἀκμή maturitas, vigor* et *ἀκμὴ σιδήρου acies* et *ἀκμὴν τὸ ἐπίρρημα adhuc, ἄρκτος τὸ ζῶον hic ursus* et *ἄρκτος ἡ ἐν τῷ οὐρανῷ hic septentrio*, ut alia mittam. Interpretamenta saepe

1) De glossis latinograecis mutatis in latinolatinas glossarii 'abavus' cf. § 37.

2) Codicem Neapolitanum II D 31 saec. XV Pseudocyrilli glossas continere sero vidi. Item cod. II D 32 saec. XV; denique in cod. II D 33 saec. XV interpretamenta lemmatibus praeposita esse moneo.

duo, tria, plura exstant: his interdum testimonia scriptorum (ut Terentii, Ciceronis, Vergilii, Sallustii, notissimae quadrigae) adiecta sunt, ut *ἄποψις hic aspectus, conspectus, prospectus, suspectus, ut Virgilius lib. VI* (579): *quantum ad aetherius caeli suspectus Olympum.* Substantivorum saepe genus indicatur, ut *hic interitus, hic articulus, haec cantio, hoc bitumen*; pluralibus vel singularibus tantum saepe adnotatiunculae grammaticae adscriptae sunt, ut in his: *sponsalia, singulare non habet* et vice versa *κρόκος hoc crocum, pluraliter non declinabitur et neutrum est.* Saepe fit ut lemmata sola exstent, interpretamenta desint; talia excludenda fuerunt ex thesauro glossarum emendatarum, sed locum habent in indice graeco. Exempla pauca subicere liceat: *ἀσφόδελος ἡ βοτάνη, ἄφλογος, βαλλαντιοτόμος, βλίτον εἶδος λαχάνου, διαπληκτίζομαι, δρυοτόμος, ἐντόπιος, ἐνόρχης*, alia. Cur auctor glossarii interpretamenta omiserit, utrum aptam versionem non invenerit an neglegentiae cesserit, non expedies. Insunt etiam declinationum series haud paucae, ut *τίσποτε, αὐτός*, alia, de quorum proventu supra (p. 33) dixi. Non semel lemmata cum lexicis graecis comparari possunt (cf. M. Hoffmann de ratione quae inter glossas graecolatinas et grammaticorum latinorum scripta intercedat. 1907 p. 7), ut haec: *βλίτον εἶδος λαχάνου* = Hesych. *βλίτον λαχάνου εἶδος*; *κέπφος εἶδος ὀρνέου* = Hesych. et Suid. *κέπφος εἶδος ὀρνέου*; *κομήτης ἀστήρ* = Hesych. et Suid. *κομήτης ἀστήρ*; *λῆμα τὸ φρόνημα* = Hesych. et Suid. *λῆμα φρόνημα*; *ἀδέκαστος ὁ ἀδωροδόκητος edecumatus* = Hesych. *ἀδέκαστον ἀδωροδόκητον*; *αἶρα ἥτις ἐν τῷ σίτῳ εὑρίσκεται lolium* = Cyrill. *αἶρα ἡ τοῦ σίτου*; *γέρδιος ἤτοι ὑφάντης textor* = Cyrill. *γέρδιος ὑφάντης*. Sed omnino haec vestigia tenuia sunt, ac sane mireris, cur tam pauca sint exempla neque graviora. Quodsi has glossas comparaveris cum fragmento illo antiquissimo, quod II p. 561 exhibuimus, admodum dissimiles esse invenies, quamquam propter fragmenti tenuitatem aegre dicas, qualis toti lexico infuerit ratio. Exit illud in has glossas: *πάροδος transitus, iter, via; παροδικῶς praeteritorie, translaticie, praeteritione; πάροδος πλοίου agea; παροικεῖ, προσοικεῖ adhabitat, in proximo habitat; παροιμία proverbium, adagio, ambitio.* Quod modo dixi graeca lemmata vel maiore quam interpretamenta latina cura tractata videri, id noli ita interpretari quasi interpretamenta viliora esse censeam; immo contrarium verum est: nimirum plurima interpretamenta quae in parte latina exstant ex optimo sane fonte latinograeco collecta sunt; quod tamen nolim ad talia referri qualia sunt *ἀβαρής non gravis, ἀβαρές non grave, ἄβιος sine vita, ἄγραφον sine scriptura, ἀδιαλείπτως sine intermissione, ἀριστεύω fortiter facio, ἀγαλματοποιός fictor simulacri*, qualia numquam videntur latinograeca fuisse. Sed plurimarum et exquisitiorum glossarum ratio ab his toto caelo distat; atque haec

ipsa condicio docet, quomodo factum sit, ut inter graeca lexica et hoc bilingue glossarium tam mediocris affinitas intercedat.[1])

§ 14. Ad fontes autem ut pergamus, quaestioni illi fundamenta iam substruximus. Partem enim haud sane modicam glossarum unde fluxerint aperuimus: nempe ex lexico illo latinograeco, quod et graecolatinis et latinograecis glossis pariter subesse evicimus. Cuius lexici formam magis genuinam glossae latinograecae videntur exhibere: unde qui glossarium graecolatinum composuit ut multa hausit ita rationi quam sibi imposuerat obtemperare debuit. Harum glossarum numerus minime mediocris fuit, quamquam multae voces triviales cum ne potuerint quidem discrepare, fontis indicium nullum exhibent. In his igitur cur diutius immorer non invenio. — Aliquanto maiorem illarum glossarum multitudinem esse opinor, quae ex grammatica illa radice, de qua supra egi (p. 15), prognata magnam vim in puerorum institutione videtur habuisse. Qui condidit glossarium, ex arte grammatica tali qualis Cominiani fuit (cf. Tolkiehn p. 154) quaecumque lexico commode inseri potuerunt excerpsit: qua de re cum iam alii obiter verba fecissent, ut Loewe Prodr. p. 215, peculiari libello Maximilianus Hoffmann (cf. p. 35) non sine fructu disputavit.

De observationibus nominum quibus genera et numeri discernuntur: ita inscribitur caput undecimum libri primi Charisiani. Quae insunt in hoc capite, magna ex parte redeunt in anonymi Bobiensis copiis, quae exstant post editionem Diomedis p. 533 ff. falso sic inscripta a Keilio: '*Ex Charisii arte grammatica excerpta*': quae quomodo cum Cominiano cohaerere videantur exposuit Tolkiehn l. s. s. p. 37 sqq. Sed quod magis huc pertinet, eadem cum Pseudocyrillo sexcentis locis conspirant. Exempla proposuit Hoffmann p. 12—23: ex quibus satis habeo subicere haec: *Masculina semper singularia: ἦλος clavus, singulariter tantum declinabitur* (= Gr. l. I 31, 30 et 548, 3); *λύθρος cruor, sanies; cruor singulariter tantum declinabitur* (= I 32, 1). *Feminina semper singularia: πώγων haec barba, singulariter tantum declinabitur* (= I 32, 4); *κηκίς galla, singulariter tantum declinabitur* (= I 32, 5; 548, 7). *Item neutra semper singularia: ἄλιξ hoc allex, singulariter tantum declinabitur* (= I 32, 8; 548, 12); *βόρβορος hoc caenum, cylleus, plurale non habet caenum* (= I 32, 9). *Item masculina semper pluralia: ὄρχατοι οἱ στίχοι τῶν ἀμπέλων antes, singulare non habet* (= I 548, 20); *ἀφετηρίαι hi carceres, pluraliter tantum declinabitur* (= I 548, 21; 32, 16). *Item feminina semper pluralia: φλναρίαι argutiae, singulare non habet* (= I 548, 37); *ὄρη Γαλλιῶν Alpes, singulare non habet* (= I 33, 6). *Item*

1) Cf. de his glossis quae M. Pokrowskij 'Abh. der Kais. Russ. Univ. Moskau' a. 1898 ruthenice exposuit, quae ipse legere non potui.

neutra semper pluralia: γυμνασίαι τῶν μονομάχων haec bactualia, singularia non habet (= I 549,35 *haec battualia*); *βαχχεῖα haec bacchanalia* (= I 549,36). *Elementa semper singularia: ἀήρ hic aer, pluralia non habet* (I 34,16); *ἥλιος sol, non declinabitur pluraliter* (34,16). *Item quae mensura constant, arida dumtaxat, quae numerari non possunt, semper singularia sunt: ζειά mola, hoc far, ador, pluralia non habet* (= I 550,28); *ὄρυζα oryza, pluralia non habet* (= I 34,24). *Item haec semper singularia sunt: μέλι mel, pluraliter non declinabitur; sed Virgilius mella dixit* (= I 34,28 *μέλι mel, quamvis Vergilius mella dixerit*); *ἔλαιον oleum, pluralia non habet* (= I 34,29). — Eodem spectant testimonia scriptorum quae diversum usum singularis vel pluralis vel generis alicuius nominis respiciunt, ut *ἀγρός ager, haec villa, hoc rus*; *singulariter tantum declinabitur rus et est neutrum et haec rura pluraliter* (= I 32,12 *rus; sed Vergilius et pluraliter dixit 'per florea rura'*); *ἰξός hoc viscum; singulariter declinabitur et dicitur hic viscus* (= I 32,14 *viscum, sed Plautus viscus dixit*). Saepius fit, ut exempla exstent in glossario, desint et apud Charisium et apud anonymum; scilicet ex pleniore exemplari hausit auctor. De his et aliis, quae nunc mitto, cf. Hoffmann p. 21—23. Sequitur apud Charisium et anonymum caput de monoptotis, unde pendent velut haec: *ἀχρεῖος nequus, spurcus, nugas, nugator, nequam; nugas et nequam indeclinabiles sunt* (= I 551,10); *οὐδαμινός nihilo, nugatorius, gerra; nihilo indeclinabile est* (= 551,14 *nihili*). *Sunt quaedam nomina singulariter tantum monoptota, quae pluralia non habent, et sunt neutralia velut fas,* ut *μελάνθιον hoc git, indeclinabile est* (551,17). Secuntur *neutralia singulariter tantum monoptota quae pluralibus casibus naturalem declinationem admittunt et appellantur heteroclita, velut genu,* ut *βροντή hoc tonitru, pluraliter tantum declinabitur* (= 551,19). Ex capite XIII de hypocorismatibus fluxerunt haud pauca, quae neque apud Charisium neque apud anonymum leguntur (cf. Hoffmann p. 26. 27). Sed adeo ingens numerus est earum glossarum, quae ex capite proveniunt quod est *de idiomatibus nominativis quae per genera efferuntur* (cf. p. 14). Quarum glossarum prosapiam ipsum glossographum indicasse articulo apposito supra monui; cf. *βασταγμὸς haec baiulatio, βάσανος tortus, hoc tormentum, hic cruciatus.* Sed neque ex Charisio neque ex anonymo neque ex Servio pendet glossographus, immo arte nescioqua usus est multo pleniore, quamquam non improbabile est multis substantivis glossographum ipsum analogiam secutum articulum praefixisse in eoque negotio ridiculos errores admisisse, velut quod *hoc tubicen* legitur p. 429, 43. Saepius genetivi additi, ut *νεφρός rien rienis, νῆσσα anas, anatis, πλῆκτρον pecten, pectenis*; unde explicanda talia: *φυλλάς frondis* (= *frons, frondis*), *φάρυγξ faucis* (= *faux, faucis*; cf. Servii gl. p. 507, 508). Aliquoties et

genera et numeri simul notantur, ut *βοτάνη ἡ τοῖς τοίχοις καὶ φλοιοῖς συνημμένη muscus singulariter tantum declinabitur et est masculinum; ἰλύς hic limus, singulariter tantum declinabitur et est masculinum.* Talia satis est commemorasse; de singulis difficultatibus Thesaurus glossarum emendatarum consulendus. Nunc ad verba transeamus. Excerpta esse videntur ex hac parte talia, qualia exstant I p. 173, 9—12: *veneo πιπράσκομαι, transeo παρέρχομαι, circumeo περιέρχομαι, exeo ἐξέρχομαι, praetereo (διαβαίνω), adeo προσέρχομαι, abeo ἀπέρχομαι, ineo εἰσέρχομαι, prodeo προέρχομαι*; deinde *ὠχριῶ palleo* (II 483, 8), *ῥέγχω sterto* (II 427, 42), alia multa, quae congessit Hoffmann p. 34. Notabilia sunt talia: *σιτεύω farcio sagino farsi, φράσσω saepio, obstruo, saepsi* (cf. GR. L. I 247, 7): unde aperti errores explicantur hi: *γεννῶ genero, genito, gigno nasco, pepero* (h. e. *pario peperi*), *creo; ἐξουδενῶ sperno, respuo, adnihilo, sprevo* (h. e. *sprevi*), *asperno; πέρδομαι pedo, pepedo* (= *pepedi*), *ἡσυχάζω quiesco, quievo* (= *quievi*), *προσπελάζω applico, appello, accedo, adverto, appulo* (i. e. *appuli*). Itaque nonnulli loci quos in Thesauro glossarum emendatarum non recte tractavi ex eis quae Hoffmann p. 35 sq. protulit corrigendi sunt. Idem p. 36—38 exempla verborum composuit, ex quibus apparet quanto opere glossographus etiam in hac materie a libro grammatico pendeat eodem, cuius ingentem vestigiorum numerum iam deprehendimus (cf. etiam quae apud Dositheum p. 430—436 leguntur). Quamquam suo iure Hoffmann p. 39: 'omnia' inquit, 'haec verba quae nunc contuli, vix nobis persuaderent Pseudocyrillum ex his quoque capitibus grammaticorum hausisse, nisi convenientia, quae prima parte huius paragraphi efficitur, tam mira esset, ut fortuita esse non possit.' Quae idem de adverbiis, interiectionibus, praepositionibus, de gradibus comparationis, de pronomine, de scriptorum testimoniis disputavit, incertiora me iudice sunt quam ut demonstrare concedam etiam in his ab illo grammatico pendere glossographum; quamquam coniecturam non prorsus improbabilem esse iudico. Declinationum exempla num ex eodem libro fluxerint incertum est; circumferebantur haud dubie tales tabellae institutionis causae compositae; cf. Dosithei exempla p. 402—405 congesta. Sed licet in incerto sit num ex eodem libro omnia profluxerint, quin in universum eiusdem omnia prosapiae sint, h. e. grammaticae debeantur institutionis causa compositae, dubitari non posse existimo. Eodem modo de synonymorum copia iudico, quae ad unum saepe vocabulum coacervantur; cf. *αἰτία, δηλαδή, διαφορά, καταπεπονημένος, παρασκευή, προσθήκη, σθένος, τὴν ταχίστην, συμβάλλω*: quorum numerus interdum est maior quam ut ex simplici contaminatione ceteroquin frequenter facta natam eam esse probabile sit. Quid ex Dositheo hauserit glossarii conditor,

cui Hoffmann p. 41 adverbia multa non sine veri specie tribuit, propterea certo dici nequit, quod nescimus quantum is in illo fonte suo, qui etiam glossariis subest, invenerit. De Macrobio cf. ea quae p. 16 monui.

§ 15. In eis glossis quas adhuc tractavimus latinograecam formam genuinam, inde graecolatinam factam esse demonstrari potest. Sunt tamen haud paucae glossae, quae numquam fuerunt latinograecae, quarum forma graecolatina genuina est. Exempla iam supra nonnulla attulimus; spectant enim huc plurimae glossae, quarum interpretamentum a *sine* orditur, ut *ἄζυμος sine fermento, ἀπάτωρ sine patre, ἀκοινώνητος sine societate, ἄπληγος sine verbere, ἄβιος sine vita*, alia multa: quas ex latinograeca forma mutatas esse improbabile. Huc porro pertinent talia qualia sunt *ἀριστεύω fortiter facio, ἀγριαίνω ferum facio, εὔχρους boni coloris, ἄδαρτος incaesus, ἀκέφαλος incapitatus, ἀβαρής non gravis, ἀπεπτῶ non digero, ἄπληκτος non percussus*, alia id genus; huc denique referri potest quod lemmata haud ita pauca interpretamentis carent. Ex his exemplis, ad quorum similitudinem multa accedere probabile, in quibus de fonte omnino nihil dici potest, auctorem glossarii Graecum aut ipsum talia addidisse aut ex lexico graecolatino a Graeco composito repetivisse suspicor. De singulis exemplis saepe anceps iudicium est et semper anceps erit.

Sed exstat etiam alia via, qua fontes indagare nonnulli conati sunt: proficiscuntur enim a vocabulorum significatione, velut qui multas glossas ad libros iureconsultorum referri posse putant. Hanc viam iam Rudorff feliciter ingressus est loco p. 32 allato, qui non modo Pseudophiloxeni glossas sat multas, verum etiam Pseudocyrilli ad Gaium pertinere censuit, ut has: *εὐπρόσδεκτον ἡγοῦμαι acceptum habeo* et *ἀποδέχομαι probo, acceptum habeo* (III 169); *ὑπαρχόντων ἀγοραστής bonorum emptor* (IV 35. 66); *συνέλαβεν ἐπὶ γυναικός concepit* (I 64); *τῇ πίστει ἐγχειρίζω fidei committo* (II 249); *ἀφανερόν nec manifestum* (III 183. 185); *ἀντιφώνησις pecunia constituta* (IV 171); *καθ' ὁρμάδα per universitatem* (II 97. 191); *πρόσηβος proximus pubertatis* (III 208); *ἀντιπαραγραφή replicatio* (IV 126. 127); *μαρτυρῶ testimonium perhibeo* (II 104), alia. Qua Rudorffii ratione neglecta novam nuper viam praetulit Guilelmus Bannier 'die römischen Rechtsquellen und die sogenannten Cyrillglossen' (Philol. LXXI = N. F. XXV p. 238 sqq.). Profectus enim ex Novellis Iustinianis latinum et graecum contextum quasi ex Pseudocyrilli glossis illustrat, velut sic: *Περὶ τῶν κληρονόμων καὶ τοῦ Φαλκιδίου = De heredibus et Falcidia* (*περί circum circa circiter am de ergo super; κληρονόμος heres*). *Αὐτοκράτωρ Ἰουστινιανὸς Αὔγουστος Ἰοάννῃ τῷ ἐνδοξοτάτῳ ἐπάρχῳ τῶν ἱερῶν τῆς Ἕω πραιτωρίων τὸ β', ἀπὸ ὑπάτων καὶ*

πατρικίῳ = Imp. Iustinianus Aug. Iohanni pp. II (*αὐτοκράτωρ imperator; ἐνδοξότατος gloriosissimus, inclytus; ἔπαρχος praefectus; ἱερός festus, sacer; ὕπατος consul*) et sic porro; item contextum Theophilu Antecessoris cum Institutionibus Iustinianis et cum glossis Pseudocyrilli confert: *ἡ διάταξις ἡ βεβαιοῦσα τὰ Instituta = Institutiones Iustinianae* (*διάταξις constitutio; βεβαιῶ confirmo, firmo, obfirmo, stabilito*); *Βασιλικῆς μεγαλοφροσύνης ἐστὶν ἴδιον οὐ μόνον ὅπλοις κοσμεῖσθαι, ἀλλὰ καὶ νόμοις ὁπλίζεσθαι = Imperatoriam maiestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam* (*βασιλικός reguliosus, regillus, regulus, regius, imperialis, regalis; μεγαλοφροσύνη magnanimitas; ἴδιος proprius, suus; μόνον solum, tantum, tantummodo, dumtaxat; ὅπλα arma; κοσμῶ condecoro, orno, decoro; νόμος haec lex; ὁπλίζομαι armor*) e. q. s. Inde concludit casu fieri non posse, ut tantus consensus appareat, immo ex iureconsultorum libris magnam partem graecolatinarum glossarum fluxisse. Atque revera multas huius glossarii glossas ad ius spectare non nego; sed argumentationem Bannierii ut probem nullo modo a me impetrare possum. Haud enim paucae earum quas ille adhibet glossarum unde fluxerint aperuimus; nec ulla consonantia his cum textu Iustiniani; alia tam sunt trivialia, ad quemvis textum ut facile accommodari possint; alia denique quamvis iuris doctrinam redoleant, ex hoc potius quam ex alio nescioquo loco excerpta esse prorsus improbabile. Vti nunc res est, aliam viam non video nisi ut exclusis illis glossis, quarum proventum deteximus, ad Rudorffii rationem reversi indicem earum glossarum componamus, quae cum iure propius cohaerere videantur, quamquam hanc disquisitionis viam saepe ad maiorem evidentiam nos adducere posse ipse diffido.

De his autem Pseudocyrilli glossis durius iudicavit Hildebrand in praef. glossar. Paris. p. IV sq. Sic enim disputat: 'Prorsus enim dubito, omnia, quae in glossariis leguntur, vocabula ex scriptoribus latinis esse deprompta; certe de glossis quae dicuntur graecolatinis id dixerim. Nam qui vocabula graeca latinis interpretari studuerunt grammatici, ii id mihi minus egisse videntur, ut usitata et re vera a Romanis usurpata ponerent, quam ut ad significatum et formationem accuratissime ea explicarent, ita ut non raro vocabula substituerent ipsi, quae quamvis ad grammaticae regulas probata sint, numquam tamen in usu fuisse persuadeatur . . . Hoc prae ceteris in glossarium Laudunense vetustissimum cadere videtur.' Qua de quaestione nunc rectius iudicare poterimus. Atque cavendum est inprimis, ne omnia una ut dicitur pertica tractemus. Quae enim cum Pseudophiloxeno conspirant, in his latina certe interpretamenta ex bono fonte profluxerunt; nec de idiomatis dubitandum, quippe quae a doctis grammaticis provenerint. Porro

glossae iuris haudquaquam despiciendae; contra vilia ea plerumque sunt, quae ad explicanda lemmata graeca excogitata sunt, qualia protulit Loewe Prodr. p. 216: *ἀσυνείδητος inconsciens; ἀσυνειδησία inconscientia.* Adde ex eis quae supra disputavi *ἀκέφαλος incapitatus, ἄδαρτος incaesus*, quamquam cavendum est, ne leviter quae alibi non legimus damnemus. Magna lacuna quae post *ἅλιξ* est ex aliqua parte suppletur idiomatis cum Harleianis tum aliis. Emendationi qui operam dabit, ei de fontibus quae disputavi diligenter adsciscenda erunt. Quanto opere hoc necessarium sit, duobus exemplis probare liceat. Velut *ἀπαναισχυντῶ depudo* cum factum esse videatur ex *depuduit ἀπηναισχύντησεν* Pseudophiloxeni, nullam auctoritatem habere potest, certe non maiorem quam *spreuo* et *pepero*. Sic *ἀποπηγνύω diriguo* factum est ex *diriguit ἀπεπάγη*. Sed haec hactenus: nunc ad reliqua glossaria bilinguia pergo praeter medicobotanica quae alio capite absolventur.

§ 16. Vt in eo quod modo tractavimus glossario grammaticam rationem multum valuisse cognovimus, ita eandem rationem etiam ad eas glossas quas glossas nominum appellavit Loewe pertinere sciendum est. Quas glossas nunc latinolatinas, olim latinograecas, vol. II p. 563—597 post Loewium edidimus valde auctas; emendationi in Thesauro glossarum emendatarum consultum esse voluimus. Post nos et numerum et apparatum glossarum denuo auxit Steinmeyer 'Zeitschr. f. d. Alt.' 1889 p. 242 sqq. ex duobus foliis cohaerentibus bibliothecae Monasteriensis (ms. 271), quorum foliorum alterum ad I et L litteras pertinet et hanc discrepantiam habet: p. 583, 7 *qui mihi*; 8 *flagellatus*; 10 *parte*; 12 *cui*] *cum* (gl. exstat post sequentem); 13 *incõmodus*; 14 *incęnatus*; 16 *iniucundus*; 17 *moriturus*; 22 *suspectib;uus*; 23 *herbę*; 28 *ignis*; 31 *prex*; 32 *incept'o*; 34 *incussatio efat̃ reõf'*; 36 *insparsio*; 41 *g· nicromantia*; 42 *int̃punctio*; 47 *boni ·/· et mali ·/· notitia*; 584, 3 *causę*; 9 *lucta*; 10 *gr̃ę*; 16 *iuuenalis*; 17 *exanimȗs*; 18 *inpotestis*; 32 *infitians*; *ꝑmisa*; 34 *int̃ cisio*] i ultima speciem *n* litterae habet; 35 *lẽsca hregrẽsi*; 37 *inpuges uerbum ·/·|· "inmisa materies introducta materia* ("pertinet ad idem signum ante v. 41 positum); 39 *deauerbio*; 47 *iuba sectes porci & leonis cabaliq; | manu biriste;* 52 *iugum̃tum*; 53 (post 54) *quęstio*; 55 *iuniperum genus palmę*; 57 *doctus*; 585, 2 *iubentas*; 3 *iusor*; 5 *iupit̃*; 8 *cessor*; *lactantia beõst*; 13 *lanna angulus auris lapp̃a*; 14 *labpsina.* — Alterum folium ad litteram *P* pertinet, quam nos ex codice Cantabrigiensi non satis integro edidimus; has igitur glossas, quarum in Thesauro gl. em. iam rationem habuimus, plene exscribendas curavi:

picens peccator; pinguamen pinguido rien renes (589, 49); *plaga zona cęlestis* (589, 50); *plagula retiaculum* (589, 51); *plebi scitum a populo ordinatum; plebeius publicus popularis* (589, 52); *plumbarius faber plumbi* (589, 53); *plautus graues*

auriculas habens; plantarius plantator; plagiarius qui seruum s. alterius suadendo furator; plustrarius carrarius; planctio planctus (589, 54); *plangor placator* (589, 55); *plauster carrum* (589, 56); *postilena posteriora sed specialiter dicitur instructura caballa; popa mactator; posca acetum cum aqua mixtum* (590, 35); *portella biuium; portula porta diminū; popula pupilla oculi* (589, 57); *posticum porta minor in maiore; pomentum pomarium* (589, 58); *portiorium uectigal; pocentatus potestas; postumus postigena* (589, 59); *porcellus porcus diminū; porcinus diriua aporco; pomarius pomarum uenditor* (589, 60); *ponderosus grauis; porrigio furfures* (589, 62); *pollinctor mortuus mundus* (589, 63); *portitor tollinarius; propinator propinator* (589, 64); *possiter adiutor* (589, 65); *pollis farina subtilissima que aere spargitur ut fumus* (589, 66); *postes columnę circa domum* (590, 1); *polix digitorum fortissimus; poples ham; polline subtilissima farinę pars* (590, 2); *pronuba qui sponsam alio ducit aut nuptis interest; promacella prumptuaria hordren; proxeneta negotium nuptiale; proserpina soror liberis dea; prostituta meretrix; prohibitorium inpedimentum; promentarium prumptuarium; promotum motio cuiuslibet in maiorem dignitatem; probrum inputatio mali; prodigiosus festinali uultu; probrosus uirgosus* (590, 8); *procus sponsata; profectus reuersus; prodigus dapsilis largus; prognatus ante natus; propensus pensus incurbatus* (590, 13); *prolatio productio; procuratio imperium* (590, 15); *profligatio uicissitudo* (590, 16); *proscriptio cuiuscumque rei; prorigo desiderium scalpendi* (590, 17); *promulgatio legis positio* (590, 19); *proportio analogia pars sibi similis et a ceteris disiunctus; prouerbo prouerbium; proximitas adfinitas; profetor praetor contra alterius exercitus praetorem distinatus; profector iter agens; promulgator praedictor* (590, 23); *probellator pugnator; proquestor secundus a rege* (590, 26); *proeder adiutor* (590, 27); *proneptis neptis; prouincialis ex prima prouinciarum; proles natus; prognes prignata; prolubies inmunditia* (590, 29); *pronepus priuiginus steup sunu; proconsul qui prouincias mittitur* (590, 30); *protextum prouisum praecuratum; praetorium domus in qua iudicatur; praeclauum gangren; praecinctorium caballi cingulum* (590, 5); *psorium plum* (590, 6); *pssicium mals crung* (590, 7?); *praetextatus purpuratus* (590, 10); *praesidiarius auxiliator; praefectio praecisio membrorum; praelatio a magis elegendo; praestolatio studium* (590, 18); *praeditio apraeditando; praelusio a ludendo; praecantatio diuinatio* (590, 20); *pręqui //////// exercitui praeest; praesignator qui adulterum nummisma cutit uel epistolas sigillauerit non accepto arege sigillo* (590, 24); *praegustator qui ante tempus gustat; praestigiatur mimarius* (590, 25); *praefensior cupiens ditior esse; praegrandis nimis grandis; praefectus classis qui clasi praeest; praeiudex qui praeiudicat* (590, 28); *praerex praecatio; praecepsi pronus; praeduo talminus uel non recte scriptum; pręs fidei lusus; praeceps praecipitium; prinicula ornatus uestimentorum borda; primilegium priuilegium mund byrd* (*d* prior s. scr. 590, 4); *priuigenus primogenitus; primipilarius primarius ioculatorum pile* (590, 9); *pridiarius hesternus* (590, 11); *primipilus primipilarius* (590, 12); *puellula puella diminu; pustula scabies; priuigenus steupsunu; purpurilla deorsum interra nidrę* (590, 36); *pulpita gradus ecclesiarum; pulpitium puppis* (590, 38); *puerarius puerorum corruptor* (590, 39); *puderatus sapiens* (590, 40); *pussillatus breuis staturę* (590, 41); *pugillarius pugillarum opifex* (590, 42); *publicanus tollinarius; puerarius puerorum amator; pupus paruulus onegt* (590, 43); *puerorus puerilis* (590, 44); *puluinus plumarius.*

Has autem glossas post Steinmeyerum iterum edidit Gallée pag. 360—364; nos sequimur nostrum apographum post illam edi-

tionem confectam (in quibus pro $\overline{p}$ semper nos *prae* exhibuisse, non *pre* cum aliis moneo, quoniam sic in apographo dederamus). Quod dixi grammaticam in his glossis valere rationem, id iam inde conficitur, quod sola nomina congesta et certo quodam ordine disposita sunt, quem ordinem iam Loewe libris mutilis usus illustraverat verbis his: 'Nomina in hoc glossarium congesta alphabetico quidem ordine composita sunt, sed ita ut praeter duas vel tres ab initio primas litteras etiam terminationum ratio habeatur. Id quod ita esse docebunt hae lemmatum series:

II 564, 49 sqq.	II 574, 35 sqq.	II 577, 1 sqq.
Aedicula	*Conpatriota*	*Divigena*
Aequilibrium	*Concha*	*Dimisoria*
Aegrimonium	*Conpendia*	*Diathima*
Aevum	*Concubia*	*Dictatura*
Aegripumium	*Conexa*	*Disulca*
Aedulium	*Confugium*	*Diliquium*
Aequamentum	*Convivium*	*Diverticulum*
Aevulus	*Congiarium*	*Divortium*
Aesculus	*Consultum*	*Dipondium*
Aedituus	*Contubernium*	*Didragmum*
Aeratus	*Conpluvium*	*Dictalium*
Aerosus	*Conventum*	*Duplomum*
Aedimus	*Contidianum*	*Ductarium*
Aestuosus	*Conciliabulum*	*Ducadetum*
Aedilicius	*Convexum*	*Ducicadus*
Aesculapius	*Consponsus*	*Duplicuarius*
Aerumnosus	*Concinus*	*Duriosus*
Aevimaturus	*Conlibertus*	*Ductio*
Aequorius	*Concorporatus*	*Duplitas*

Hinc vides ita collecta esse nomina, ut eaedem terminationes eodem semper ordine sequantur. Habes enim

I	II	III	IV
-a 14	*-a* 1	*-a* 5	*-a* 5
-um 1	*-um* 6	*-um* 10	*-um* 9
	-us 12	*-us* 4	*-us* 3
			-o 1
			-as 1

Vnde hanc terminationum legem derivamus: *-a -um -us*. Quae ut suppleatur et quoad eius fieri possit integra indagetur, longiorum ordinum rationem habeamus necesse est. Qua in re lemmatum principia supra ponemus et numero singulis terminationibus addito quot eiusdem exstent nomina indicabimus. Stellula lacunam codicis designabit.

	in-	*la-*	*ci-*	*fa-*	*cu-*	*de-*	*ca-*
-a	7	11	6	*	6	*	14
-um	11	4	1	*	2	5	9
-us	38	18	1	11	7	6	23
-o	14	6	1	2	3	17	7
-as	5	2	0	3	0	*	0
-or	7	2	2	5	1	8	7
-er	2	3	1	2	0	0	4
-ur	0	0	1	0	0	0	0
-is	20	5	1	4	3	4	2
-x	1	2	2	2	1		
-ns	4	2					
-en	2						

Vides integram terminationum legem esse: *-a -um -us -o -as -or -er -ur -is -x -ns -en*. Atque in his quidem componendis denuo legem valere animadvertes, si quae coniungenda sunt coniunxeris:

-a ..... prima declinatio
-um, *-us* .... secunda declinatio
-o, *-as*, *-or*, *-er*, *-ur*, *-is*, *-x*, *-ns*, *-en* .. ...tertia declinatio

Longius etiam progredi quamvis possimus, non audemus tamen, re admodum lubrica ob concludendi materiae ieiunitatem. Hoc tamen satis certum sit post *-en* terminationem secutam esse *-e*.' Similem autem dispositionem invenit etiam in vetere suo lexico Loiselius (cf. praef. vol. III p. XXVIII sq.), de cuius excerptis a Petro Daniele factis III praef. p. XXIX disputavi, nisi quod apud Loiselium singulae series per *us a um o or is x s* progrediuntur, non per *a um us* e. q. s., ut in glossis nominum Loewii; cf. p. 484, 7—72; 485, 24—35; 485, 36—47; 485, 58—486, 2. Ex his et aliis quae III praef. p. XXIX dixi apparet simile consilium et harum glossarum et glossarum nominum Loewianarum auctorem secutum esse. Sed in Loiselianis glossis vel longius progrediendum esse existimo: neque enim temere factum est quod verba

quae sub finem excerptorum (p. 486, 51—74) leguntur, quattuor coniugationibus sunt accommodata (*āre, ēre, ĕre, īre*). Vnde suspicor grammaticam quam dixi rationem non modo ad nomina pertinuisse, sed etiam ad verba. Ac miro modo accidit, ut etiam in collectaneis illis quorum frustula servaverunt fragmenta Gottingensia et Helmstadiensia (II p. 559—561; ubi nonnulla adiecit et correxit Carolus Dziatzko 'Arch. f. lat. Lex.' IX p. 594) similis ratio appareat; de quibus fragmentis repeto quae ex Caroli Boyseni schedis olim dedimus (p. XL): exstabant igitur '1. 2. adiectiva exeuntia in *is* (*rabilis—vocalis*); 3. adiectiva exeuntia in *is* quorum prima littera *V* fuit); inscriptio substantivorum (ab *A* incipientium); 4. continuatio enumerationis (ab *A—C* incipientium); item 5. 6. (*Celebritas—Firmitas*); item 7. (ab *F, G, H* incipientium); item denique 8 (ab *I, H, L* incipientium).' Haec autem omnia cum glossis nominum etiam alio vinculo coniuncta sunt, de quo nunc agendum erit. Egregie enim Loewe p. 132 sqq. demonstravit glossarum nominum lemmata plurima in bilinguibus glossariis Pseudocyrilli et Pseudophiloxeni redire, interpretamenta autem ex graeco sermone in latinum translata esse non sine ridiculis erroribus. Exempla haec sunto: *hospicida peregrinos occidens* = *ξενοκτόνος hospiticida; humiliatio humilitas ex inprudentia* = *ταπεινοφροσύνη humilitas humiliatio; insigniarius qui militibus armaturam providit* = *ὁπλοπάροχος insignarius, armiger; invenalis quod venale non est* = *ἄπρατος invenalis,* alia id genus. Quamquam non de omnibus glossis idem valet; nam eorum numerus minime exiguus est, quae quamvis eiusdem naturae sint tamen neque apud Pseudophiloxenum neque apud Pseudocyrillum inveniuntur. Qua de re accurate perpensa vix fieri poterit, quin de communi fonte vel de communibus fontibus cogites. Quibus cum condicionibus mirum in modum conspirant glossae illae Loiselii, nisi quod latinograecae sunt. De substantivis non habeo quod addam; tamen idem etiam de verbis, idem denique de adiectivis (et nominibus) fragmentorum Gottingensium et Helmstadiensium valere facile perspicitur. Novum igitur tractandae grammaticae genus deteximus, quod non modo ad nomina, sed etiam ad verba et adiectiva pertinebat, itaque et declinationem et coniugationem certe amplectebatur. Collectiones illae erant latinograecae, ut fragmenta papyracea etiam nunc sunt, item Loiselii glossae cum nominum tum verborum. Glossis nominum autem Loewianis accidit, ut interpretamenta latine verterentur. Vnde vero hi auctores materiem glossarum petiverint quaerentibus difficile respondebis. Ex Pseudophiloxeno non potuit nisi pars desumi; plura e Pseudocyrillo peti potuerunt, qui cum nominum nominativos tantum non ubi-

que exhibeat, item primas praesentis temporis personas verborum, ultro glossographos illos invitabat. Sed tamen ne sic quidem omnia expediemus, cum multae glossae apud neutrum inveniantur: unde nihil relinquitur nisi ut aut praeter duo magna lexica tertium adhibitum esse dicamus aut omnia ex alio eoque pleniore lexico cum illis materie coniuncto derivemus, velut ex eo cuius fragmentum Coloniae asservatur. Quod fragmentum si recte ad eundem codicem cum fragmentis Gottingensibus et Helmstadiensibus cum Boyseno rettulimus (praef. p. XLI), in codice integro duo glossariorum genera coniuncta fuisse censendum erit. Nunc vero si de coniectura glossaria minora ex illius lexici materie composita esse sumimus, idem accidit, quod in lexico Pseudocyrilli factum esse vidimus, quocum idiomata Harleiana summa necessitudine coniuncta sunt. Ad similem igitur librum etiam glossas nominum quae proprie dicuntur revocabimus. Sed satis iam de his fragmentis disputavimus, nisi quod de glossis nominum Loewianis pauca quaedam addenda esse putem. Qui illas glossas latine vertit, non semel puerili modo erravit, cuius exempla nonnulla iam in Prodromo Loewe (p. 133) aptissima proposuit. Velut illud *babylonicum sine aspiratione*; peccavit enim misere qui transferre volebat *babylonicum ψιλή*; 'ψιλή enim hoc loco genus tegimenti est, non grammaticorum terminus.' '*Caducifer praedicationis portator* . . . Illustrat hominis stupidi errorem Cyrilli glossa *κηρυκιοφόρος caducifer*, ubi *κηρύκιον ὃ βαστάζουσι οἱ πρέσβεις* et *κήρυγμα haec praedicacio* permutavit.' Cuius rei qui plura exempla petet, in Thesauro glossarum emendatarum facile inveniet. De tempore, quo illa fragmenta scripta sint, dubitari non potest; pertinere videntur ad sextum saeculum vel septimum. Vix recentiores 'glossae nominum' sunt[1]); anglosaxonica certe octavo saeculo Kluge tribuit (cf. Glossae nominum ed. Gustavus Loewe p. VIII). Sed de Anglosaxonicis infra disputabitur.

Notabile sane videatur talibus glossis bilinguibus iam Adamantium saeculo sexto usum esse, cuius haec adfero a Cassiodoro tradita testimonia: p. 167, 7: *praeterea excipi cognovimus haec quae subiecta sua cum interpretatione reddemus, quae nusquam nisi in diversis cottidianis glossematibus repperi, batiola ποτήριον, basus φαλλός, τὸ αἰδοῖον τῶν βιολόγων, batulus μογίλαλος. haec nos, quoniam lecta non invenimus, inscrutata relinquimus. illa quoque nomina, quorum secunda syllaba in a litteram desinet, per b mutam scribentur, ut* [*bambalo ψελλιστής*] *baca κόκκος, balatro ἄσωτος, balatus βληχηθμός, barathrum ac talia*; p. 169: *besica ἡ φῦσα, vespa ἀνθηδών, beta σεῦτλον ἢ κατὰ Ἀττικοὺς τεῦτλον*; p. 171: *bufo*

1) De vestigiis quibusdam harum glossarum in vetustissimo codice Harleiano saec. VII exstantibus infra disputabitur.

φυσίγναθος; p. 173: *balvus ὁ ψελλός, balbae θύρα, bellaria τραγήματα*; p. 174: *villus ὁ μαλλός, villa ὁ ἀγρός*; *nisi in glossematibus bammo ὀξύγαρον atque bambalo ὁ ψελλιστής*; p. 175: *barrus ἐλέφας, bardus ἀναίσθητος, bargus ἀφνής, barba et quod in glossematibus inveni bargina ἡ προσφώνησις βαρβαρική*; *vergiliae πλειάδες*; *berna . . . ὁ οἰκογενής*; p. 177: *bissum etiam, quod integrum significat ἀκέραιον, per b mutam in glossematibus repperi*; p. 178: *battualia quae vulgo battalia dicuntur . . . exercitationes autem militum vel gladiatorum significat. inde etiam battuatores τοὺς βασανιστάς dici puto*; p. 180: *rubeta ὁ φρῦνος*; p. 186: *larba δαιμόνιον, obba ποτήριον*; p. 190: *enervo ἐκνευρίζω*; p. 192: *excepto libo id est ποπάνῳ*; p. 193: *vibex ὁ μώλωψ, verbex τὸ πρόβατον*. Ex his locis et verbis apparet quam usitatum fuerit grammaticis sexti certe saeculi glossaria consulere. Ceterum de nonnullis harum glossarum docta exstat Buecheleri disputatio in Mus. Rhen. vol. XXXV p. 69. XXXVII p. 33.[1])

CAPVT V. DE GLOSSARIIS MEDICOBOTANICIS

§ 17. Hermeneumata medicobotanica quotquot edidi vetustiora vol. III p. 535—633 graecolatina sunt, uti iam ex inscriptionibus plerisque cognoscitur. Velut inscriptio codicis Vaticani reginae Christinae haec est fol. 165^{r}: *INCIPIVNT HERMENEVMATA de decem speciebus medicamentorum . . . de graeco in latinum translatis;* item fol. 172^{v}: *INCIPIT HERMENEOMA hoc est interpretatio pigmentorum vel herbarum de multis compositis. Translatum ex graeco in latinum;* in cod. Vatic. 4417 haec: *IN DEI NOMINE INCIPIT NOMINA DE GRECA IN LATINA.* In ceteris ubi legitur 'VOCABVLA HERBARVM' *vel* '*HERMENEVMMA hoc est interpretatio pigmentorum vel erbarum*' vel similis inscriptio, res eadem est: sunt igitur *λέξεις* graecolatinae, quamvis hic illic latinograecae et latinolatinae immixtae sint. Longe plurimae harum glossarum ad herbas pertinent; excipiendum est unum glossarium, nempe quartum medicobotanicum codicis Vaticani 1260 (cf. III praef. p. XXXII), quod fol. 177^{r}—178^{r} continetur (v. p. 596—607 editionis nostrae), quippe quod ex maiore parte non tam ad herbas quam morbos spectet. De quibus glossis cum a ceteris valde recedant seorsum agendum esse existimo. Insunt enim excerpta ex scriptoribus pessime habita, quibus explicantur medicorum termini quidam, quod ex parte duce Cassio Felice fieri et dudum in ad-

1) Iam quarto saeculo Hilarium Pictaviensem vestigia quaedam exhibere glossarii graecolatini adhibiti exposuit A. Zingerle Commentat. Woelfflin. p. 215 sqq.

notationibus monueram (cf. vol. VI praef. p. VII) et post me accuratius docuit Otto Probst Philol. t. LXVIII p. 550sqq.; cuius disputationem hic illic correctam in eis quae secuntur pro fundamento esse volui.[1]) Quam arte hoc glossarium cum Cassii Felicis copiis cohaereat, disces velut ex his glossis III 599, 12/13: *cilica terrogi cata elefantiosus* = III 602, 35: *laviancia ter rogiata*, de quibus desperassem, nisi subvenisset Cassius Felix c. XIIII (p. 21, 7): *labia hiantia sive crispata Graeci chile caterrogota vocant.* Vnde apparet in glossis quas attuli scribendum esse *chile caterrogota* [elefantiosus] ⟨*labia hiantia*⟩ et *labia hiantia chile caterrogota.* Huc etiam III 606, 25 pertinere in Thesauro glossarum emendatarum adnotavi. Alterum locum Probst attulit l. s. s. p. 551; exstat enim III 603, 36 haec glossa: *officidata aqua cum naturali colore,* quam iure ille contulit cum his verbis p. 120, 11 exstantibus: *utendum etiam aquis calidis naturali calore plantatis — nam Graeci autofye idata vocant* (= *αὐτοφυῆ ὕδατα*): unde elucet *officidata* esse *ofye idata* et ante *aut* periisse. Ab his exemplis profectus Probst indicem locorum parallelorum proposuit, quorum partem tantum ipse adnotaveram. Quos locos subicere placuit:

	Cass. Fel.
p. 596, 10[a]: *Arania ersipela minor milio similis in cute;* cf. p. 600, 23: *erpinas. i. aranea.*	p. 42, 5 sqq.: *Araneas Graeci a serpendo, quod herpin (herpenas g) dicunt herpetas dicunt . . . est et aliud genus herpetis, quem Graeci cenchrias vocant, si quidem in superficie cutis pustulas minutas milio similes ostendit, quam Latini vulgo araneam verrinam (rania vermia c) vocant. in curationibus autem similiter ut erysipelata superius curabis.*
p. 596, 11: *abile pletoricum;* cf. 604, 24: *pletorum corpus suci plenus*(!)	p. 84, 16: *si et plethoricum corpus habuerint aegrotantes, quod nos latino sermone abundabile (habile g p) dicimus sive multitudine suci plenum.*
p. 597, 6: *acoras icar;* cf. p. 598, 35: ⟨*a*⟩*coras tineas capitis* (ubi quod proposui *ἰχώρ* falsum esse recte contra me Probst monuit, qui *icar* ex *in corio* ducit).	p. 10, 6: *tineas capitis Graeci achoras vocaverunt. emergunt frequenter in corio capitis.*
p. 597, 10: *aqua timentis ydropici.*	p. 166, 9: *hydrofobici . . . i. e. aquam timentes.*
p. 597, 13: *attonia debilitas visicae, quae urinam continere non potest.*	p. 117, 1: *si vero atonia fuerit vesicae i. e. debilitas, subito urinae egerendae delectationem patiuntur.*

1) Haec dudum scripseram; nunc video de aliquot glossis huius glossarii illustrandis et corrigendis bene meritum esse Maximilianum Niedermann 'Recueil de Travaux publiés par la Faculté des Lettres' septième fascicule (Neuchatel a. 1918).

p. 597, 15: *alfus melenis maculae nigrae.*

p. 597, 18: *acderion* (h. e. *ἐχδόριον*) *caracteras;* cf. p. 598, 28: *caracteras macularum in vultu mulierum ostensum* et p. 605, 29: *stigmata acderion.*

p. 597, 19: *apostema collectio vel vulneratio ex malis humoribus.*

p. 597, 20: ⟨*di*⟩*aquilon fascimentum.*

p. 597, 22: *agrocordanas verrucas.*

p. 597, 25: *asmaticus calor pectoris vel suspiriosus;* cf. p. 605, 26: *suspiriosi qui cum labore alenant* (= *anhelant*).

p. 597, 26: *agresian* ·*i*· *temperantia temporis* (quam falso tractavi in thes. gl. em.).

p. 597, 29: *antracas carbunculus.*

p. 597, 30: *alfus leucus maculas albas.*

p. 597, 33: *anadrom̃ matricis ascensio.*

p. 597, 34: *acinestafile gargarion;* cf. p. 600, 26: *epiclosis uva* et p. 601, 32: *gargarion epiclosis* (cf. Probst Glotta II p. 112).

p. 597, 36: *apoferasis* (= *ἀποφόρησις*) *secundatio* (= *secunda detractio* Probst) sanguinis.

p. 597, 38: *anhelitum qui de aliena laborant;* cf. p. 603, 29: *ortompnia anhelitum.*

p. 597, 45: *alumen lipari alumen liquidus;* cf. p. 602, 43: *lipari alumen liquidus.*

p. 598, 23: *colfus sinus;* cf. p. 605, 25: *sinus ulcus* et p. 606, 47: *ulcus petigines alitudines pestiferas.*

p. 598, 29: *cacoetis parotidas aliae curabiles* e. q. s.

p. 598, 32: *cacoquemia fialtis* (cf. p. 601, 8: *fialtis quae incibo vexantur pro indigestione vel crudatione ciborum* ·*i*· *incoctione*).

p. 16, 7: *maculas nigras Graeci alphus melaenas vocant.*

p. 20, 15: *stigmata dicuntur characteres nominati, quos militantium manus vel feminarum Maurarum vultus ostendit. tolluntur vero periculose medicamento discoriatorio, quod Graeci ecdorion vocant.*

p. 25, 20: *collectiones Graeci apostemata vocant.*

p. 85, 11: *cerotarium ex diaquilon confectum.*

p. 19, 17: *secundum Graecos tres differentias habere verrucae ostenduntur, nam dicuntur acrochordones* (*acrocordanas* g).

p. 93, 20: *asthmatici dicuntur latino sermone anhelosi vel suspiriosi.*

p. 13, 12: (*cantabries*) *emergit frequenter ex . . . intemperantia corporis quam Graeci acrasian vocant.*

p. 37, 15: *carbunculi quos Graeci anthraces vocant.*

p. 15, 4: *maculas albas Graeci alphus leucas vocaverunt.*

p. 188, 17: *ad matricis adscensum . . . quem Graeci anadromen dicunt.*

p. 75, 9: *si* (*uva*) *fuerit rotunda in similitudinem acinae, stafyle a Graecis appellatur, quam nos uvam dicimus . . . identidem si grossa vel vastior fuerit . . . gargareon appellatur.*

p. 79, 7: *ut secundam detractionem facias, quam epaferesin* (*apoforasim* c) *vocant;* cf. p. 40, 15.

p. 106, 4: *spleneticis et orthopnoicis id est is qui ab splene anhelitum patiuntur.*

p. 125, 14: *aluminis lipari id est liquidi* ℈. *singulas et semis.*

p. 28, 9: *pendigines sive sinus Graeci colpus vocaverunt. contingunt frequenter quottes ulcera vel apostemata . . . fuerint . . . mala positione sanata.*

p. 24, 6: *parotides . . . eveniunt frequenter in aegritudinibus malignis quas Graeci cacoethes appellant.*

p. 100, 8: *et ad fastidium et ad humoris malignitatem, quam cacochymian vocant.*

p. 599, 5: *croniotis morbus regius sine febre;* cf. p. 603, 6: *morbo regium ictericum;* p. 603, 35: *oxitis ictoricus cum febre.*

p. 599, 35: *diabitis acceptum potum qui statim per urinam reiectant.*

p. 599, 37: *devilitatio capillorum defluxio vel aliis membris.*

p. 599, 43: *diatoncilidanon medicamen ex hirundinibus factum.*

p. 599, 46: *dispnia ortopniae* (v. *anhelitum*).

p. 599, 48: *deseruntas linuntas.*

p. 599, 53: *diacrisma illinimentum.*

p. 600, 2: *deacarto medicamen.*

p. 600, 6: *edropicus inflatus edropicorum causae sunt III* e. q. s.

p. 600, 11: *edram podicem.*

p. 600, 12: *evismonem proriginem.*

p. 600, 13: *elmingus lumbricus longus in homine.*

p. 600, 18: *emotoicus qui sanguinem reiciunt.*

p. 600, 19: *enema ·i· eiectio.*

p. 600, 22: *epelemsia subita insensatio et cadens cum spumatione et rapto membrorum.*

p. 600, 27: *enprostotonus mentum qui pectus habet infixum.*

p. 600, 28: *eotropas ragadas.*

p. 600, 31: *empiema encatalemsis.*

p. 600, 33: *ersipela ignisacer;* cf. p. 601, 43: *ignis acer epulatio pustularum circa cutem.*

p. 600, 49: *egilopas fistola secus oculum nata;* cf. p. 606, 23: *⟨fis⟩tolas ·i· aegilopas* et p. 598, 21: *cademopio fistula* et p. 605, 5: *siringias cademopia.*

p. 128, 6: *icterici dicuntur morbo regio laborantes . . . et sunt ictericorum distantiae duae, una cum febricula, et appellatur a Graecis oxites id est acuta, altera sine febre diuturna, quae appellatur chronites.*

p. 116, 10: *appellatur a Graecis diabetes, siquidem mox potione accepta per urinales vias . . . descendat.*

p. 11, 21: *defluxio capillorum contingit ex debilitate corporis.*

p. 82, 19: *inlinimentum, quod appellant dia ton chelidonon, id est ex hirundinibus.*

p. 94, 1: *dyspnia a Graecis dicitur id est difficultas respirationis, et orthopnia aliter dicitur.*

p. 113, 11: *calculosis, quos lithiontas vocant, et minctus difficultate laborantibus, quos dysuruntas vocant.*

p. 76, 21: *diachrisma . . . id est inlinimentum.* Cf. p. 82, 20.

p. 38, 13: *dia chartu medicamentum.*

p. 181, 4: *est autem hydropica passio diffusio humoris aquosi cum inflatione* e. q. s.

p. 178, 5: *in sessu quem Graeci edran vocant, diversa podicis vitia efficiuntur.*

p. 23, 2: *pruriginem omnem Graeci cnesmonen vocant.*

p. 172, 17: *lumbrici, quos Graeci elminthas dicunt.*

p. 85, 17: *emoptyicos Latini sanguinem spuentes appellant.*

p. 132, 25: *enema id est iniectio.*

p. 168, 16: *est autem epilepsia subitus corporis casus cum spumatione et raptu membrorum effectus.*

p. 84, 2: *emprosthotonos . . . ut etiam mentum fixum pectori videatur.*

p. 178, 23: *ad condylomata et ragadas . . . quas Graeci ectropas vocant.*

p. 32, 18: *empyemata . . . nam Graeci en catacalypsi* (*en catalypsin* gp) *vocant.*

p. 40, 6: *ignis sacer . . . a Graecis erysipelas appellatur.*

p. 32, 11: *ad universas fistulas vel ante oculum aegilopas;* cf. p. 30, 6: *fistulas Graeci syringas appellant.*

p. 601, 15: *fitiriasis cantabriem.*

p. 601, 21: *fitisis ulceratio pulmonum vel toracis;* cf. p. 606, 27: *tisica passio vulneratio pulmonis cum defluxione corporis.*

p. 601, 36: *ichimeda pernionis;* cf. p. 604, 7: *pernionis articulorum dolor vel digitorum.*

p. 602, 14: *idima inflatio in facie aquosa.*

p. 602, 15: *ilius tumor vel implicatio sentinarum.*

p. 602, 16: *idrolio aqua cum oleo;* cf. p. 602, 21: *idrolion vinum cum oleo mixtum.*

p. 602, 33: *lipidasmin squamosa;* cf. p. 605, 34: *squamosa scabies.*

p. 602, 36: *liptusmia lassitudo.*

p. 602, 38: *licinas zernas;* cf. p. 607, 6: *zernas derbitas.* Cf. Heraeus Arch. XIV p. 119.

p. 603, 1: *melancolicus inundatio nigredinum fellis.*

p. 603, 11: *massuminon mastigaturium.*

p. 603, 38: *ozenas mala habitudo in naribus;* cf. p. 601, 24: *fetor pessimus odor* et p. 604, 22: *polipum ozenas.*

p. 603, 44: *oxalmen acetum et sal mixtum.*

p. 604, 3: *poliesmus plurimum et habundanter fluor sanguinis cum largo cursu.*

p. 604, 4: *pissada ·i· sciada.*

p. 604, 45: *ragadas diversa vitia ani maxime in sanguinis fluxum.*

p. 605, 6: *stranguiria quae parvas cum dolore per urinam guttas emittunt*

p. 605, 13: *scotomatice graece girus dicitur ·i· vertigines nigras patiuntur et cadunt.*

p. 13, 10: *cantabriem Graeci pityriasin vocant.*

p. 90, 8: *est autem pthisica passio ulceratio pulmonis et thoracis cum defluxione corporis.*

p. 18, 2: *Latini perniones . . . Graeci vero chimetla dicunt* e. q. s.

p. 179, 11: *antiqui seu veteres medici dicunt esse idema, quod nos aquosam inflationem dicimus.*

p. 131, 16: *ileos . . . molesta cum . . . omnium intestinorum tumore distentio cum tortione.*

p. 140, 15: *ex ydrelaeo calido, id est ex aqua calida et oleo admixto modico sale.*

p. 21, 17: *scabiem squamosam dicimus, siquidem corticosas squamulas in cute ostendunt quas Graeci lepidas vocant.*

p. 33, 13: *cum ingenti animi defectu quem lipothymian vocant.*

p. 19, 2: *impetigines quas Graeci lichenas vocant, Latini vulgo zernas appellant.*

p. 16, 11: *ex melancholico humore efficiuntur, id est ex nigri fellis redundantia.*

p. 64, 4: *apoflegmatismum masticatorium . . . adhibere, quem Graeci masomenon vocant.*

p. 62, 15: *polypum et ozaenas quas nos fetores narium dicimus.*

p. 30, 21: *in aceto salso . . . quod Graeci oxalmen vocant.*

p. 13, 21: *si aetate iuvenes fuerint patientes et secundum naturam plurimo sanguine abundaverint, quos Graeci polyemos vocant.*

p. 137, 13: *ad ischiadicam et psiadicam.*

p. 178, 5: *diversa podicis vitia . . . ut sunt ragades.*

p. 115, 14: *stranguria, id est urinae paulatim per guttas exclusio.*

p. 171, 14: *trociscus ⟨conveniens⟩ scotomaticis, id est qui subito ante oculos tenebras patiuntur, et spiritu inflatis epilepticis.*

p. 605, 16: *sclero duria;* cf. p. 605, 27: *scirosis duritia sine dolore.*

p. 605, 18: *siadica* e. q. s.

p. 605, 22: *scerobeta tussis sicca.*

p. 605, 40: *scuria per quam in totum denegatur urina.*

p. 606, 16: *structio litargicus.*

p. 606, 17: *sincopen cardiacus.*

p. 606, 28: *terarizos dentium dolor.*

p. 606, 29: *trasin peduculus;* cf. p. 606, 30.

p. 606, 31: *trociscus rotulus.*

p. 606, 38: *tonotica* (sc. *epithima*) *confortatoria* (*vel sitim tollendam*).

p. 606, 41: *tarmicum sternutatio naris.*

p. 606, 43: *topicis localibus propriis.*

p. 607, 3: *vitriola dragantus.*

p. 108, 12: *ad duritiam splenis vel saxietatem, quam Graeci scirrosin dicunt.*

p. 137, 13 (supra).

p. 72, 4: *tussis arida* (*sicca* p) *a Graecis xerobeches appellatur.*

p. 115, 13: *ischuria* (*scuria* cp) *i. e. ex toto urinae abstinentia.*

p. 156, 12: *sternutatio spissa ex euforbio vel struthio . . . excitat lethargicos.*

p. 157, 2: *aliquanti . . . hanc passionem* (scil. *cardiacam*) *syncopen appellaverunt.*

p. 63, 15: *efficiuntur dentium dolores . . . ut etiam ipsi dentes cavernentur, maxime illi maiores vel molares qui quattuor radicibus fixi esse noscuntur, quos Graeci tetrarizus vocant.*

p. 11, 14: *pediculosa passio . . . quam Graeci pthiriasin vocant.*

p. 64, 8: *rotulas finges, quas Graeci trociscos vocant.*

p. 97, 6: (*epithima*) *tonoticon . . . id est confortatorium.*

p. 171, 6: *ptarmico medicamento, id est sternutatorio, nares . . . apoflegmatizabis.*

p. 63, 8: *topicis medicamentis, id est localibus proprie ipsis in locis uteris.*

p. 19, 10: *trociscus appellatus a Graecis lichenicos . . . chalcanthi, lepidos aeraminis* e. q. s. (supra scr. p°: *i. vitriolum*).

Ex eis quae exhibui exemplis, quamvis non eodem iure omnia ad Cassium Felicem revocentur, id unum constat: excerpsisse quondam hominem minime doctum illos de medicina libros, inprimis vero ea inde abstulisse quibus latina morborum nomina graecis vocabulis explicantur (ut in his: *tineas . . . Graeci achoras vocaverunt, quam Graeci acrasian vocant, quos Graeci anthracas vocant* e. q. s.), et elementorum ordine digessisse; his autem accedit alius auctor, ex quo maxime verbosiores morborum descriptiones desumptae sunt minus corruptae quam quae ex Cassio Felice proveniunt; cf. 596, l. 4. 8; 597, l. 9 (inprimis initia singularum litterarum ad hunc auctorem spectant); adspersae sunt etiam glossae mere latinae, ut 597, 39: *assatum sine aqua coctum;* 598, 22: *clavus furunculus* e. q. s. Vnde haec fluxerint, fortasse alii eruent. Nunc satis videor de hoc glossario disputasse.

§ 18. Cetera glossaria medicobotanica medicamenta inprimis continent, qualia praeter omnes Dioscurides in libris de materie medica compositis egregio successu tractavit. Cuius copiae tantam auctó-

ritatem etiam apud Latinos nactae sunt, ut per omnia saecula propagarentur, excerperentur, describerentur. Similis cum his prosapiae, ut taceam de Plinio, qui ex eisdem cum Dioscuride fontibus partem synonymorum hausit[1]), est etiam Pseudapulei herbarium, quod quinto saeculo tribuunt docti: cuius verba in eis quae secuntur ex codice Vratislaviensi benigne Ienam transmisso afferam. Glossaria medicobotanica in tres familias dividi possunt. Primae familiae hermeneumata Senensia (p. 542—548) esse moneo, quibus accedunt codicum Vaticani 1260 hermeneumata altera (p. 579—586) et Parisini (p. 631—633), quae etsi non una re differunt, in universum tamen artissimo vinculo cohaerent. Alterius familiae hermeneumata sunt codicum Vaticani 1260 prima (p. 549—579) et Cassinensis (p. 535—542). Tertiae denique familiae hermeneumata tribuo codicum Vaticani 1260 tertia (p. 586—596), Vaticani 4417 (praeter litteras B et C cum glossario primo Vaticani 1260 congruentes; p. 616—630), Bernensis (p. 607—616). Haec nunc hermeneumata eo quem dixi ordine quam paucissimis fieri potest pertractabo.

Igitur glossarium Senense ad eandem familiam pertinere cum glossariis Vaticani codicis 1260 altero et Parisino praeter inscriptionem (Sen.: *Incipit ermeneumma hoc est interpretatio pigmentorum vel erbarum* = Vat.: *Incipit hermeneoma hoc est interpretatio pigmentorum vel herbarum de multis compositis. Translatum ex graeco in latinum* = Paris.: *Incipit hermeneguma idest interpretacio pimentorum vel herbarum diversarum*) velut haec glossarum series demonstrat:

Sen.	Vat.	Paris.
Arsicon auripimento	= 579, 2	= 631, 2
Ambrosia appio rustico	= 580, 18	
Arnoglossa plantagine	= 580, 4	= 631, 6
Alterdus iusquiamo	= 580, 5	= 631, 7
Adragne portolaca	= 580, 6	= 631, 8
Absto calce	= 580, 7	= 631, 9
Aglaflotis id est pionia		
Alos antis flos salis	= 580, 31	= 631, 10
Adarcis quod supra		= 631, 10
Artes idem dictamnu		
Ancimis camemola	= 580, 8	= 631, 11
Abdius barba Iovis	= 580, 9	= 631, 12
Arnia agnine carne		
Aizos quod supra		= 631, 12
Artiotitas pomas iuniperi	= 580, 1	= 631, 3
Agnasfagne portolaica		

1) Cf. de tota hac re Wellmanni disputationem Hermae tomo XXXIII (a. 1898) insertam.

Ampelus leuco vitis alba	= 580, 10	= 631, 13
Ampelus melina vitis nigra	= 580, 11	= 631, 14
Agrestis hoc est lambrusca		
Agnuspermo semen salicis marini	= 580, 12	= 631, 15
Asaro bulgagine	= 580, 13	= 631, 16
Ales idest salis		
Asfodilo albutio	= 580, 14	= 631, 17
Adragnis idem portulaca		
Anagallis lulio	= 580, 16	= 631, 19
Actis sambucus ebulum	= 580, 30	
Amurca idem fete olei		
Agrustis gramen	= 580, 21	
Alumen scissum	= 580, 22	
Alumen album		
Alu tamisans		
Arteros ameos flores de ameo	= 580, 26	
Agrius canape	= 580, 17	= 631, 21
Amolu flos farine		
Adarciscippel gariofoli	= 580, 28	
Acris locusta		
Apoquima sorditia de nave	= 580, 15	= 631, 18
Ampilopraso vissicata aclius		
Anifatu musto usto		
⟨A⟩sparigus		
Amaron calamedria	= 580, 3	
Argemonia arestolotia longa	= 580, 19	
Aranello ampilo prasso		
Altea evisca		
Apostema collectio		
Agnusperma fructus verni		
Asimtin absentio		

Quae codex Senensis peculiaria habet, aliunde recepta videntur, ut 542, 15: *arnia agnina carne*; nam quod sequitur *aizos quod supra* pertinet ad 631, 12 et cum *abdius barba Iovis* in cod. Parisino recte est coniunctum. Vnde recepta videantur, vix dicas, quamquam nonnulla in libris alterius et tertii generis redeunt. Ceterum tria glossaria pariter vestigia haud pauca exhibent, quae modo ad Pseudapuleium modo ad Dioscuridem ducant. Sed talia herbarum glossaria cum sine dubio plura circumferrentur ex diversis eiusdem materiae recensionibus ducta, anceps est de fonte iudicium. Subicere liceat aliquot exempla, ut 548, 44: *poletria capillo Venere*; 548, 36: *octonis celaedonia maior*; 545, 76: *eraclia sisimbria*; 545, 40: *erigonon senitione.* Apertiora quaedam vestigia eaque diversa inter se cetera exemplaria ostendunt, quae absunt a codice Senensi, ut haec p. 581, 16: *centauria ·i· petronia . marion ulbosis . limites . amceracli . tirinias . apogerissa . pori-*

dis . enarcus . antiamas . fel terris. XII nomina unum sunt (cf. *centauria* in Thes. gloss. em.); et haec p. 633: *nomine erbe botracion, omeus choras, Tusci corofis, Siculi selinon agrion, Romani aperisu, Galli erba scelerat, Itali ·i· aperisu; nomine herba aristolocio, ali ·i· mele carpum, Itali ·i· terre malum, Daci ·i· absencium ret sticum, Punici genciana, alii das damum, Romani genciana, Italii comicialem; nomine herbe dra · c̃ · tea, ameus · as lepadias, Italii dracontea, alii auricula asinina; nomine erbe satirion, Romani priapiscus, Siculi orchis, alii testiculus leporinus.* Talia integra ex Pseudapuleio fluxisse certum est. Vt igitur comprehendam quid de his glossariis sentiam: fundamentum commune fuerunt hermeneumata herbarum, qualia tunc plura circumferebantur, quibus aut eadem subfuisse videtur materia aut similis eius quae apud Pseudapuleium et Dioscuridem exstat; adiecit auctor hermeneumatum Senensium haud pauca ex aliis glossariis, quorum certe aliqua pars redit in glossariis alterius et tertiae familiae; reliqua exemplaria ex Pseudapuleio quaedam addiderunt; pauca aliunde videntur esse sumpta.

Primum glossarium codicis Vaticani 1260 hanc habet inscriptionem: *dedecem speciebus medicamentorum, haec sunt de animalibus terrenis et marinis, herbis vel seminibus, lignis vel lapidibus, floribus vel lacrimis, sucibus atque metallis;* quae inscriptio quamquam ad id quod glossario inest aliquo saltem modo accommodari potest, tamen medicamenta herbarum, ut apud Dioscuridem quoque, longe superant. Herbarum autem certe maiorem partem ex Pseudapuleio fluxisse dudum perspexi; cf. quae praef. p. XXXII et praef. vol. VI p. VII adnotavi; item in ipso Thesauro gl. em. multas glossas cum Pseudapuleio contuli. Quam arte hae glossae cum Pseudapuleio cohaereant, ex hoc exemplo disces. Herba dracontea in codice Vratislaviensi ita incipit: *herba dracontea, omoeos asclepias, alii dicunt pitonion, alii anthomanis, alii panchromaton, alii afrissa, alii therion, alii cronicae, alii augyon, alii lycion, alii lycorcon, alii lycopsolon, alii dorcadion, prophetae ezecontas, Ostanes tyfonos, Zoroastres terifonon, Aegyptii eminion, Romani colubrinam, Itali draconteam, alii oricla asinina, Libii adrizafot, Daci adila.* Quae nomina hoc ordine insunt primo glossario (p. 550, 57—62): *asclepias dragontea, antomalis dragontea, afrissa dragontea, aucgion dragontea, adrizafot dragontea, adilla ·i· dragontea* (omnia igitur quae ab *a* incipiunt ordine quo apud Pseudapuleium exstant posita sunt); item in aliis litteris, ut p. 557, 61—63: *cronice ·i· dracontea, colubrina ·i· dracontea, corcodrillion dracontea* (exstat apud Ackermannum); p. 560, 2: *dorchadion dragontea*; p. 561, 63: *ezegontas dragontea; eminion dragantea*; p. 567, 45: *licorcon ·i· dragontea, licopsolon ·i· dracontea*; p. 568, 12: *licorcorcon ·i· dragontea*; p. 570, 48: *oricula asinina ·i· dracontea*; p. 573, 28: *pitonion*

·i· dracontea, pagromaton ho/// dragantea; p. 578, 28: *therion thyonis terifonon unum sunt ·i· dragontea.* Quae est p. 578, 72 glossa (*talpiriola ·i· dragontea*), aliunde excerpta videtur (scil. ex glossario tertiae familiae: cf. p. 629, 53; 595, 56). Addere liceat exemplum ex L petitum, ubi sic est in cod. Vratislaviensi: *herba eliotropium a Grecis dicitur elioron, alii dialiton, alii scorpion, alii heraclea, alii croros crons, prophetae ematites, Galli uras corpiu, Pytagoras nisene, Aegyptii vertamnum, Itali mulcetram.* Quae sic exhibet glossarium p. 554, 41: *bertamnum ·i· eliotropium;* cf. p. 562, 27 *eliotropium ·i· bertaminum*; p. 557, 34: *cronosconis ·i· eliotropium*; p. 560, 33: *dialiton ·i· eliotropium*; p. 561, 45: *elioron ·i· eliotropium; ematites eliotropium*; p. 566, 5: *iscropion ·i· eliotropium*; p. 568, 67: *mulcetra eliotropia*; p. 576, 51: *scorpion ·i· elitropium.* Accedunt in glossario: p. 577, 34: *sicorium elitropia*; p. 557, 47: *corium ·i· eliotropium*, fortasse ex alio fonte. Caput XXXV tale est in codice Vratislaviensi: *herba centaurie maior, alii dicunt maronion, alii pletronia, Punici abussussi, alii limnitis, prophetae emeracleu, alii cironias, alii apogirissa, alii polydis, alii emercos, Aegyptii antimas, Itali fel terrae.* Quae sic exhibet glossarium: p. 550, 24: *avossucus ·i· centaurea maior, apogirisa centaurea maior, antismas centaurea maior*; p. 558, 30: *cironia centauria maior* (= p. 558, 27: *ciron ·i· centauria maior*); p. 561, 38: *ematracleum ·i· centauria maior*; p. 568, 6: *limnesto ·i· centauria maior*; p. 573, 40: *polidis ·i. centauria maior.* Sequitur apud Pseudapuleium herba haec c. XXXVI: *herba centaurie minor, omoeos celleborites, prophetae ema heracleus, Aegyptii amarat, Daci stirsozila, Itali febrifugia, alii fel terrae* [*polidus*] *emaepycus, Aegyptii antiunas, Romani fel terrae.* Sic autem in glossario p. 550, 27: *amara centaurea minor, antiunas centaurea minor*; p. 551, 52: *alicoronium centauria minor*; p. 560, 61: *eleboritis centauria minor*; p. 561, 39: *emeraclius idē emepicus ·i· centauria minor unum est*; p. 566, 3: *istiricotila centauria minor.* Haec quin ex Pseudapuleio repetenda sint, nemo dubitabit. Sed est etiam tertia series notabilis, in qua *centauria* est nulla ceteroquin distinctione facta, ut in his: p. 573, 39: *petronia centaurea;* p. 567, 33: *limnutis ·i· centauria*; p. 570, 25: *narcana ·i· centaurea*; p. 567, 71: *labadeon centauria*; p. 569, 49: *moromon ·i· centaurea*; p. 555, 31: *centauria fel terrae*: quae ex parte certe redeunt in magna illa glossa p. 581, 16 e Pseudapuleio ducta, quam supra (p. 54) commemoravimus. His denique accedit p. 567, 71: *labadeon ·i· centauria*, quam ex Dioscuride explicabis (*λιβάδιον*). Vnde apparet non ex eodem fonte omnia profluxisse, sed minimum ex duobus fontibus. Quae ex eis quae dixi eluceant qui reputabit, facile dimidiam partem glossarum et ad fontem et ad genuinam formam revocare poterit: pleraque quae dicenda sunt iam in Thesauro gloss. emend. indicavimus. Nunc ad alteram glossarum dimidiam

pervenio: quam sumptam esse ex glossario aliquo, quale continet codex Cassinensis, ex hoc ordine concludes:

535, 2 *Aspaltu id est bitumen* = 549, 16;
Andracimen idest bududomen
Agaru idest afrunuel = 549, 17;
Apoquimatos et elequimatos id est resina navis
Atanta idest flos flores
Acacia idest sucus velque
Andracimen idest portulaci
Asrocorde idest bulbicum = 549, 19;
Antereos idest flores de albucio = 549, 20;
Aneton idest aneto = 549, 21;
Agantelos idest sparagos = 549, 22;
Agaza idest agaras
Arsenico idest auripimento = 549, 23;
Atacana idest latassaris = 549, 24;
Ameos idest semen nucle = 549, 25;
Artemisia idest zimber = 549, 26;
Asfodilo idest albucio = 549, 27

Tales ordines in omnibus litteris exstant, sed modo minus modo magis turbati et cum ceteris mixti sunt. Vltima series haec est:

542, 26 *Radicula lanaria idest tritio idest citicia* = 574, 64;
Roda idest rosa = 574, 65;
Riza idest radix = 574, 66;
Radiolum idest felcina = 574, 67;
Radagne idest biblace = 574, 68;
Ramnus idest spina alba = 574, 69.

Quae in fine desunt (pars litterae R, dein litterae S—Z), ex codice Vaticano suppleri aliqua ex parte facile poterunt.

Ceterum etiam codex Parisinus 11219 multa cum primo glossario Vaticano, item cum altero communia habet, id quod iam praef. p XXXII adnotavi; una serie liceat demonstrare, qualis sit rei ratio:

Dorcadis id est capriolus = 582, 5
Dicamen id est laregatus sive benedicta vel pituina = 582, 1
Dictamnus id est leporis auricula vel drochadion sive didemus = 582, 2
Durianus id est uva canina vel strugnus = 582, 7
Drimfagia id est agra cefaria = 582, 9
Drius id est rovor arbor = 582, 6
Dafnus id est laurus arbor
Dauco cretico id est semen de pastenacas vel dauci semen = 582, 10
Dragontea id est asclepias sive cronice tagantis vel proserpinale sive dorchadion = 582, 12
Dictamnus id est pusillio sive pullicaris vel labrum Veneris
Damnis id est laurus = 559, 33
Dapus cocta id est lauri bacas vel daffinidon = 559, 36
Damasonium id est cito coctu = 559, 38
Deagridium id est squamonia = 559, 44

Dicamen id est resina = 559, 46
Dentrolibanus id est ros marinus = 559, 48
Decacopegias id est stercus caprunus = 559, 49
Diacoziam id est lactis qui ex lapidibus fluminalibus cocuntur = 559, 50
Diodila id est millefolium = 559, 54
Dardana id est personatia = 559, 58
Diadema id est malva = 559, 59
Dapniodis id est drinos sive victuriola = 559, 61
Denteron id est olixatru = 559, 56
Davaria id est lactarida = 559, 69
Disofi id est quinquefolia = 559, 70
Dardan id est gentiana = 560, 3
Dardanos id est aristolocia rotunda = 560, 4
Discolofan id est camimela = 560, 7
Dapnites id est laurum terranium = 560, 13
Dagrion id est lacrima = 560, 16
Dorchadion id est capriolina carne = 560, 24
Dendron id est titimalli = 560, 27
Dodila id est camefiteos = 560, 30
Damascineos id est brittanica = 560, 31
Dendro limolu id est eviscus = 560, 32
Dialiton id est eliotropium = 560, 33
Diaxilon id est aspalatu = 560, 34
Dragagantia id est nervia = 560, 38
Diafanus id est speclaris = 560, 41

Prior igitur pars quamquam non ex ipso Vaticano fluxit, aperte tamen nescio quo modo cum eo cohaeret, nisi quod glossae contaminatione dilatatae sunt; altera pars ex codicis Vaticani glossario primo excerpta est.

Tertium Vaticani codicis glossarium (p. 586—596) — idem glossarium continet cod. Vatic. 4417 nisi quod litterae B et C ex primo glossario petitae sunt — etiam codex Bernensis exhibet, cuius scripturam p. 607—616 integram expressi. In inscriptione est: *Interpretatio herbarum vel pimentorum.* Qui composuit glossas, ita auxit, ut lemmatis et interpretamentis saepius mutatis novas glossas procuderet, velut 586, 9: *aristolozia rotunda ·i· ciclaminus* = 588, 7 *ciclaminus aristolozia rotunda*; 587, 43: *bulbus narcissus agrestis* = 593, 11 *narcissus bulbus agrestis*(!); 592, 71: *marcosider ·i· ulbarus* = 596, 32 *ulbaro marcosider*; 593, 41: *oticias sellia* = 595, 31 *sellia erba ortigia*, alia id genus. Notabiles sunt aliquot glossae interpretamentis germanicis insignes, ut 587, 35: *augor ·i· hranca*; cf. 596, 29: *vitis alba ·i· hranca*; 596, 34: *virgulta ·i· uualda* (cf. etiam 582, 60); adde *rubiarois uuarancia* 594, 43 (de qua cf. Kluge 'Zeitschr. f. d. W.' XIV p. 160): ex quibus, quamquam etiam in aliis eiusdem libri Vaticani glossariis exstant, colligas in Germania esse glossarium ortum. Omnino non paucas glossas pecu-

liares habet; aliae consonant aut cum duabus ceteris classibus aut cum altera utra ex his. Cum Pseudapuleio paucissimae conspirant: quas noli credere ex illo sumptas esse; neque enim fieri potest, ut in re simili nomina diversa sint omnia. De singulis nunc disputare nolo; satis habeo ad ea relegasse, quae in Thesauro glossarum em. composita sunt.

Haec habeo quae de glossis medicobotanicis vetustioribus disputem. Quomodo cum his recentiorum glossariorum specimina cohaereant, velut glossae Alphita, Sinonoma Bartholomei, corpora Simonis Ianuensis et Matthaei Silvatici, infra quaeretur (cap. XVII).

CAPVT VI. DE PLACIDO GRAMMATICO

§ 19. Ab his hermeneumatis quae proprie dicuntur ad glossaria ut redeamus — quamvis etiam hermeneumata ad ordinem elementorum digesta glossariorum nomine a veteribus comprehensa esse constat — nescio quam glossarum *συναγωγὴν* maiore iure primo in loco ponam quam quae Placidi grammatici nomine circumfertur: sic enim commode in viam quam p. 12 deseruimus reversi vetustiorum glossographorum latinorum vestigia tandem aliquando recuperabimus. Placidus quis et quo tempore fuerit non traditur. *INCIPIVNT GLOSSAE PLACIDI GRAMMATICI* inscribitur in libris Romanis; '*de Placidi glossis*' vel notulae similia significantes in libro glossarum singulis Placidi glossis sunt praemissae. Nec in subscriptione quicquam inveni quod huc pertinere posset. Solus liber Corsianus et inscriptionem habet hanc: *Incipiunt Glossae LVCTATII PLACIDI GRAMMATICI IN PLAVTI COMEDIAS*, et hanc subscriptionem: *FINIVNT GLOSSAE LVCTATII PLACIDI GRAMMATICI:* cui libro quod accedit apographon codicis Hamburgensis, i. e. cod. Londinensis Egerton 270 (anni 1826: '*Luctatii Placidi grammatici glossae hucusque nondum typis editae*'), propterea nullam vim habet, quia in Hamburgensi ipso tale nihil exstat. Vnde librarius doctrinam suam hauserit, facile divinabis: scilicet ex illa glossarum 'affatim' in apographo Havniensi Lindenbrugii adnotatione (cf. Sitzungsberichte der K. Sächs. Ges. d. W. 1888 p. 229): '*sub Placidi nomine hae glossae a doctis laudantur et fortassis an sunt Placidi interpretis Thebaidis et Achilleidis Papinii Surculi Statii.*' Nec dubito quin etiam Corsiani libri inscriptio simili 'doctrinae' debeatur; additamentum enim illud 'in Plauti comedias' fidem non augere infra videbimus. Certe non est cur Luctatium appellemus grammaticum, ut qui cum interprete Statii qui 'Lactantius' audit nihil commune videatur habere. De tempore glossographi nihil adfirmari potest nisi quod in mira anthologiae Salmasianae prae-

fatione (cf. vol. V praef. p. 3 cum additamentis Riesii Anthol. I² p. 371) glossae Placideae haud paucae iam usurpatae sunt. Sexto igitur saeculo eum olim de coniectura adscripsi; cf. 'Sitzungsberichte der K. Sächs. Ges. d. W.' a. 1896 p. 66 (etiam de praef. Salmasianae anthol.), ubi suspicatus sum ex Africa glossas in Hispaniam delatas esse, qua certe in terra anonymus qui librum glossarum composuit et Isidorus Hispalensis (cf. Deuerlingii praef. p. XIX et Wessnerum 'Isidor und Sueton' Hermae tom. 52 p. 263) his copiis usi sunt. Ex Hispania etiam codex Parisinus nov. acquis. 1298 saec. XI provenit, de quo cf. V praef. p. XIsq. Quamquam confidentius neque de Placidi patria neque de tempore dici potest. Testimoniis addenda sunt, quae apud Remigium Autissiodorensem et Hincmarum Remensem inveniri Manitius 'Gesch. der lat. Litt. des Mittelalters' p. 509 et 350 docte monuit.

De Placidi codicibus Guilelmus Meyer, Gustavus Loewe, Gottholdus Gundermann, ipse olim satis desudavimus: quae ex his studiis de artis criticae fundamentis dicenda esse visa sint, praefationis p. III—XX breviter, sed cum cura comprehendi: quibus neque alii quod adderent habuerunt neque mihi ipsi nunc quae suppleam praesto sunt. Ex eis quae dixi apparet non semper certum esse haec vel illa glossa utrum Placido adscribenda sit necne: qua de quaestione post me sano iudicio usus paucis tractavit Paulus Karl (de Placidi glossis, Comm. phil. Ien. VII 2) p. 84sqq., ut non lubeat ad eandem nunc rem relabi. Materiem glossarum non omnem esse eiusdem generis post Loewium Gloss. Nom. p. 86 idem Karl p. 89sqq. sobrie et egregio successu exposuit ordinibus quibusdam discretis glossarum ab reliquis admodum diversarum. Tales ordines in libris Romanis, quos solos hac in re duces sequi possumus, hi sunt: p. 6, 4 (*Allaterati palmulis*)—p. 8, 2 (*Amussis*); p. 8, 5 (*Boni aequique*)—p. 8, 24 (*Boni consultum*); p. 13, 22 (*Cirea stercus*)—p. 16, 6 (*Cabonum*); p. 16, 8 (*Damium*)—p. 16, 43 (*Dispuditum*); p. 21, 2 (*Exerimus*)—p. 21, 32 (*Exhauterantibus*); p. 21, 34 (*Futor*)—p. 23, 4 (*Flatare*); p. 24, 14 (*Genuinorum*)—p. 24, 28 (*Glomerum*); p. 25, 12 (*Hilum*)—p. 25, 30 (*Hirudo*); p. 28, 21 (*Ingruit*)—p. 29, 29 (*Impotens*); p. 29, 31 (*Kalende*)—p. 29, 33 (*Kalumnia*); p. 29, 35 (*Ludicrum*)—p. 30, 11 (*Luncuns*); p. 33, 4 (*Manticulatio*)—p. 33, 30 (*Manducum*); p. 33, 32 (*Nautea*)—p. 34, 7 (*Nullationem*); p. 36, 17 (*Obstipeculus*)—p. 37, 7 (*Offucas*); p. 37, 9 (*Pedor*)—p. 37, 31 (*Pedo*). In extremis litteris similes ordines nunc quidem desunt. Hos autem ordines ex certis indiciis distinximus, scilicet hisce: 1) glossae quas modo secrevi in universum brevitate quadam excellunt prae ceteris multo amplioribus; 2) lemmata saepe simplicissima sunt et eas formas exhibent, quas ha-

buerunt eis locis unde fluxerunt; his accommodantur interpretamenta: contra in amplioribus lemma et interpretamentum plerumque per *est, id est, significat, dicitur* iunguntur; 3) non paucae ex glossis brevioribus aperte ad priscam latinitatem spectant et cum Festo similitudine quadam continentur. — Quae ordinum et glossarum differentia his exemplis illustretur (p. 13, 24): *Caculae lixae aut servi militum; Consonant vocem dimissam sentiunt; Capedulum vestimentum capitis; Creperae res incertae dubiaeque, unde et crepusculum; Connum proximum; Coniecere coescere (= coercere); Casinar senex* e. q. s. et ex amplioribus quae praecedunt: *Congesta dicuntur quae ex multis in unum congeruntur, ut fata, vestes et frumenta aut paleae in struem congestae; Commenta plura significat; dicimus enim comminisci crimen confingere; dicimus et commenta interpretationes commentariorum ut commenta iuris, commenta Virgilii; Coerciti vindicati, id est in quibus crimen punitur. coercere enim vindicare. item cohercere dicimus circumvenire, ut civitatem fossa vel campum fluvius (= fluviis); Considere est in uno loco sedere; Cultus est animi ac loci; Consulto a consulendo et tractando dictum est, quod sic fit ut consulat et nocere non possit.* Quae sit inter ampliores et breviores discrepantia, recte Karl etiam glossis parallelis docuit quae in utrisque ordinibus ad similem rem spectant; velut hae sunt: 1) p. 9, 1: *Boa animal est quod valde persequitur boves, unde et nomen habet boa* = p. 8, 9: *Boba vehemens rubor, interdum genus serpentis*; 2) p. 20, 2: *Exanclare exhaurire ex Graeco veniens, quod quidem verbum Plautus saecularis poeta comicus posuit in Stico: neste (= ne iste) edepol vini pauculo (= poculo) pauxilolo exanclavi saepe* = p. 21, 5: *Exanclare exanimare vel exinanire* et p. 21, 29: *exanclata exhausta et quasi exangulata, id est per angulos quoque exquisita*; 3) p. 4, 13: *Adorea panis de adore, id est laus in bellica* = p. 6, 9: *Adoria gloria vel bona fama*; 4) p. 4, 4: *Autumant: asserunt confirmant vel adseverant* = p. 6, 27: *Autumant dicunt loquuntur*; 5) p. 13, 10: *Caespites frutices et scribimus diptongum* = p. 14, 36: *Caespitibus glebis terrae cum suo gramine; interdum alio loco ramis significat*; 6) p. 34, 14: *Conticinium dicimus quando omnes silent; conticescere enim silere est* = p. 15, 24: *Conticinio tempore noctis post galli cantum, quod cecinit et conticuit*; 7) p. 27, 16: *Ingluvies gula vel voracitas* = p. 29, 4: *Ingluviem Cornutus ventrem, Plinius edacitatem*; 8) p. 57, 18: *Confieri pro fieri adiecta praepositione. hoc Vergilius. Terentius vero: hoc confit quod volo et spero confero (= confore) pro fero (= fore)* = p. 15, 38: *Confiet parabitur conficietur.* Eiusdem si prosapiae ordines essent utrique, mira certe haec discrepantia videretur. In extremis litteris quod tales ordines omnino desunt, id per se facile ita interpretari possis, ut illos postea abiectos esse dicas. Certe in nostrorum librorum archetypo numquam exstiterunt, cum nec codex Pa-

risinus nec liber glossarum talium glossarum exempla suppeditent. Qui Anthologiae Salmasianae praefationem scripsit, in quam ex Placidi glossis multae transierunt, eum etiam in extremis litteris breviores glossas videri legisse infra docebimus. Age vero nunc ipsas glossas accuratius perlustremus; initium autem a brevioribus faciemus.

Conspicua est etiam in his partibus quaedam glossarum duplicitas, ut p. 6,20: *Abludam paleam* et p. 6,30: *Apluda furfuribus alii pannicique*; p. 6,11: *Angrae intervalla arborum* et p. 7,3: *Ancras convalles aut arborum intervalla*; p. 6,5: *Actutum statim, continuo* et p. 6,35: *Actutum brevi, festinanter, prope⟨re⟩*; p. 6,7: *Ad incitam ad extremam fortunam* et p. 7,12: *Ad incitas ad summam rerum perturbationem desperationemque*; p. 8,12: *Baxae calcei mulieris alti* et p. 8,16: *Baxeas calciamenta*; p. 8,8: *Bubinare sanguine inquinare* (*inquinari* codd. em. Deuerling); *bubinarium autem est sanguis qui mulieribus menstruis venit* et p. 8,18: *Bubino* (= *Bubinario*?) *menstruo, id est fluore*[*m*] *sanguinis* (ubi *inquino* olim supplevi); p. 13,30: *Casnar senex* et p. 15,34: *Casnari seni Oscorum lingua*; p. 16,38: *Damium Bonae deae sacrum* et p. 16,8: *Damium sacrificium quod in operto fit, quod Bonae deae mulieres faciunt*; p. 21,5: *Exanclare exanimare vel exinanire* et p. 21,29: *Exanclata exhausta et quasi exangulata, id est per angulos quoque exquisita*; p. 21,7: *Effafilatus exerto humero, id est extra filum manum* [*id est extra*] *proferens* et p. 21,21: *Exfabillavero exeruero.* In eis glossis quas ultimas attuli certum est etiam lemmata ad diversos locos pertinere; idem dicendum de lemmatis *ad incitam* et *ad incitas*; lemmata quae sunt *Apluda, Angrae, Baxae, Bubinare, Casnar, Damium, Exanclare* ad doctum glossographum pertinere saltem possunt, qui nominativos et infinitivos posuit, ipsis testimoniis fortasse submissis. Vnde conicias ad duos minimum fontes revocandos esse hos ordines; alteram partem ex glossematum scriptore nescio quo fluxisse, quales § 2 tractavimus, ex docti glossographi thesauris alteram; neque fieri non potest ut in utriusque generis glossis eidem loci scriptorum pro fundamento sint. Sed cave temptes singulas glossas reliquas huic vel illi generi adscribere; nam ne in eis quidem quae duplices sunt res certa est, nedum in eis, ubi parallelae glossae non succurrunt. Sed esse etiam alias quasdam glossas notabiles in his ordinibus rectissime Karl p. 95 monuit, nempe velut hasce in una littera C: 1) p. 14,36: *caespitibus glebis terrae cum suo gramine; interdum alio loco ramis significat*; 2) p. 14,37: *colurnis ex cornu factis. nam et colurni qui ex corulo fiunt*; 3) p. 14,18: *caudeam iunceam, quod iuncea cauda emergat. dicitur et scirpum et tibi tibin*; 4) p. 14,31: *confoeditos foedere copulatos, quoniam † enumere coniuges non erat usitatum*; 5) p. 15,10: *conspicillo ita ut conspici possint, quod aiunt*

longis lineis. Quae glossae cum omnes ad certos scriptorum vel poetarum locos spectent, obscuri aliquid habent, quod removeatur, si in margine ipsius scriptoris haec posita fuisse sumas, h. e. in commentario margini addito. Quod ita fuisse si probabiliter statuit Karl, tertium fontem deteximus, ex quo etiam alia deprompta esse possunt. Velut in littera N p. 34, 5: *neniam finem; alias carmen mortuorum* (cf. Truc. 213); in littera H p. 25, 28: *herbam dedit; mos enim contendentibus erat vulsam herbam ⟨si⟩ qui vinceretur porrigendi, ut nunc dicitur*; in littera G p. 24, 18: *galliciola cortice nucis iuglandis viridis, per quem corpus humanum intellegi vult*, scil. Lucilius? (cf. 1184 ed. Marx). Sed iterum moneo ne temptemus reliquas quoque glossas huic vel illi generi adscribere: nam ariolandi periculum in his quam maximum esse censeo. Satis habeamus id unum monuisse: 1) glossas in his ordinibus exstare simplices, quales anonymos illos grammaticos vetustissimos congessisse diximus; 2) nonnullas glossas ad doctos videri pertinere glossographos, quales etiam Servius exscripsit; 3) inesse quaedam vestigia locorum ex commentariis margini adscriptis petitorum.

Ne ampliores quidem ordines, ad quos nunc accedo, ex uno et eodem fonte ductos esse merito monet Karl p. 99 sqq., ad quod demonstrandum eisdem quibus antea utitur argumentis, scilicet glossis quae simili quidem lemmate notabiles sunt, sed discrepantibus interpretamentis, velut p. 3, 6: *altrinsecus non ex alto, sed ex altera parte* et p. 5, 26: *altrinsecus hinc et inde vel desuper, sicut extrinsecus dicimus ab eo quod est exterius et intrinsecus ab eo quod intus est*; adde p. 3, 2: *abuti et bene uti est et male uti* et p. 5, 34: *abuti duas res significat, modo contemnere et non uti, modo valde et satis aliqua re uti.* Accedit quod etiam re differunt glossae; duo enim genera saepius licet discernere: adnotationes et ad artem grammaticam et ad interpretandos auctorum locos pertinentes. De illis Loewe GL. N. p. 87 egit; cf. p. 9, 15—11, 8 in littera C, quibus tres tantum alieni generis interpositi sunt; p. 17, 1—17, 8 in littera D; p. 18, 11—18, 20 in littera E; p. 23, 5—23, 11 in F; p. 37, 32—37, 42 in P, ut minores ordines et glossas singulares omittam. Alterius generis exempla aliquot tractavit Karl p. 100 sq., velut haec p. 19, 18: *eo ingenio* [*ea natura*] *omnia generans: ingenium pro natura posuit*; p. 23, 21—22: *fastidiosum renidens: vel pro adnuens et consentiens vel deridens. renidens enim plerumque vultus dicitur laetitia vel risu perfusus, fastidiosum vero pro fastidiose dixit, nomen pro adverbio, ut est 'torvumque repente clamat'*; p. 28, 5: *immensorum thesaurorum: ratio quidem facit, sed propter euphoniam immensum dixit*; p. 39, 22: *regulas proponentes ac magiae retes: hic regulas doctrinas vel disciplinas*

magorum ostendi vult; p. 84, 2: *mentis*: *genetivum casum pro nominativo posuit: debuit enim dicere mens*; p. 94, 6: *praecessit hiems: in temporibus melius dixit praecessit, quia aliud sequitur vel quod illud ipsum* [*ideo*] *rediturum est. nam quod praeteriit, redire non potest*; p. 96, 18: *regionem intra degit: poetico more fecit. nam si volumus rectius loqui, in regione degit aut intra regionem dicimus. et postposuit praepositionem et perdidit vi*[*a*]*m suam, ut in arte legimus.* Hae et similes glossae quin ex commentario vel ex commentariis provenerint, vix quisquam dubitabit; qui collegit saepius parum diligenter versatum esse aptis exemplis Karl p. 102 exposuit. Idem merito addit nonnullas glossas ad neutrum genus spectare, ut glossas quibus de mensium nominibus, de noctis partibus, de senatu, de scena aliisque rebus agitur: qualia nemo ex illis fontibus principalibus derivabit.

§ 20. Quicumque Placidi glossis sive emendandis sive explicandis operam dederunt, multas cum Verrii Flacci copiis certo vinculo contineri eos nullo modo fugere potuit. Quam necessitudinem diverso modo explicandam esse censuerunt docti. Nam cum Odofredus Mueller in Festi editione magnam partem glossarum Placidearum ex Festo derivatam esse dixisset, Fridericus Ritschelius Op. III p. 55 sqq. id recte se habere negavit, quem secuti cum Deuerling (praef. p. XV) tum Loewe (Gl. N. 94 sqq.) necessitudinem ex eorundem apud Verrium et Placidum fontium usu repetendam esse pronuntiaverunt. Quos contra Nettleship (Lectures and Essays pag. 247) sibi persuadere non potuit grammaticum quinti saeculi, quippe qui vetusti sermonis satis imperitus fuerit, eosdem ac Verrium auctores adiisse; probabilius esse censet ex glossariis pendere illum, in glossaria autem per rivos nescio quos multa ex Verrio Flacco translata esse. Quam sententiarum diversitatem Karl p. 104 sqq. ita mihi sustulisse videtur, ut non habeam quod opponam. Statuamus enim Placidum sua ex Verrio petiisse et adiciamus talium glossarum, simul autem locorum unde fluxisse putantur indicem solam A litteram respicientes:

Plac.		Fest. Pauli	Plac.		Fest. Pauli
Adoria	= 3, 12	*Adoriam*	*Annictare*	= 29, 2	*Adnictat*
Armillum	= 2, 5	*Armillum*	*Anate*	= 29, 9	*Anatem*
Antigerio	= 8, 5	*Antigerio*	*Artitus*	= 20, 14	*Artitus*
Apluda	= 10, 14	*Apluda*	*Apua*	= 22, 18	*Apua*
Antiis	= 17, 5	*Antiae*	*Aeruscans*	= 24, 7	*Aeruscare*
Actum	= 17, 13	*Actus*	*Adorans*	= 19, 5	*Adorare*
Aginam	= 10, 3	*Agina*	*Ausculatus*	= 28, 9	*Ausculari*
Ancras	= 11, 13	*Antras*	*Ambacti*	= 4, 13	*Ambactus*
Aginatorem	= 10, 3	*Agina*	*Altriplicem*	= 7, 14	*Alterplicem*
Ambulacris	= 21, 8	*Ambulacra*	*Ambronem*	= 17, 2	*Ambrones*
Arse verse	= 18, 15	*Arse verse*	*Amussis*	= 6, 9	*Amussim*

Ceterarum glossarum cum prorsus eadem sit ratio in reliquis litteris, aegre diceres cur, si excerptae essent glossae Placideae ex Festinis vel Verrianis, nulla neque veteris ordinis vestigia neque alia ulla dispositionis mutatae causa appareret. Sed accedunt argumenta graviora, velut ex diversa Placidi et Festi lemmatum forma repetita, ut iam Loewe monuit. Apud Verrium-Festum enim lemmata rarius genuinam quae est scriptorum ipsorum formam exhibent, sed a grammatico mutatam ita, ut nomina nominativos ostendant vel ex Verrii oratione pendeant, pro verborum formis in scriptorum locis exstantibus saepius infinitivi exstent: quod noli ad Paulum vel Festum revocare, cum longe plurimis locis ad ipsum Verrium pertinere videatur. Velut cum paene certum sit Fest. p. 162, 12 tale quid olim exstitisse: *Nefrendes dictos asserit Q. Mucius Scaevola arietes, quod dentibus frendere non possint. Ateius Capito infantes esse nondum frendentes, id est frangentes. Livius ...: quem ego non frendem alui lacteam immulgens opem* e. q. s., ex his vix potuit sua haurire Placidus p. 33, 39: *Nefrendem, infantem, nondum dentatum, qui frendere cibum non queat, id est frangere.* Item Fest. p. 161, 13 velut haec olim habuit: *Naenia est carmen quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam, quod vocabulum Afranius in Materteris posuit ..... Sunt qui eo verbo finem significari crediderunt, ut ait Plautus in Pseudolo: ubi ego cirumvortor cado: id fuit naenia ludo. Idem: huic homini amanti mea era apud nos naeniam dixit domi ... naeniam maesto* e. q. s.; contra haec Placidus p. 34, 5: *Neniam finem; alias carmen mortuorum* (cf. p. 86). Fest. Pauli p. 19, 5: *Adorare apud antiquos significabat agere* e. q. s.; Plac. p. 7, 36: *Adorans alloquens.* Fest. Pauli p. 91, 1: *Fratrare puerorum mammae dicuntur cum primum tumescunt;* Plac. p. 22, 28: *Fratrarent, turguerent, pubescerent.* Fest. Pauli p. 89, 3: *Futare arguere est, unde et confutare. Sed Cato hoc pro saepius fuisse posuit.* Plac. p. 22, 30: *Futavere fuere* et p. 22, 14: *Futavit fuit.* Fest. p. 109, 3: *Implorare inclamare, ad auxilium invocare;* Plac. p. 29, 12: *Imploratis invocatis.* Fest. Pauli p. 21, 8: *Ambulacra ambulationes;* Plac. p. 7, 11: *Ambulacris locis quibus ambulatur ex commodo.* Fest. Pauli p. 29, 9: *Anatem dicebant morbum anuum, id est vetularum, sicut senium morbum senum;* Plac. p. 7, 22: *Anate, sollicitudine, cura.* Fest. Pauli p. 39, 3: *Cocula vasa aenea coctionibus apta. Alii cocula dicunt ligna minuta quibus facile decoquantur obsonia;* Plac. p. 14, 36: *Coculis aereis vasis ad coquendum vel assulis aridis.* Ex Festo aliquo modo pendet Isid. XX 8, 1: *Omnia vasa coquendi causa parata cocula dicuntur. Plautus: Aeneis coculis mihi excocta est omnis misericordia.* Fest. Pauli p. 88, 15: *Fartores nomenclatores, qui clam velut infercirent nomina salutatorum in aurem candidati;* Plac. p. 23, 2: *Fartori nomenclatori.* Fest. Pauli p. 90, 10: *Fratilli villi sordidi*

in tapetis; Plac. p. 22, 23: *Fratellis sordium glomusculis.* Fest. Pauli p. 94, 14: *Genuini dentes, quod a genis dependent;* Plac. p. 24, 14: *Genuinorum dentium prope ultimorum.* Fest. Pauli p. 101, 17: *Habitudo habitus corporum;* Plac. p. 25, 14: *Habitudine habitu.* Ex tanta lemmatum discrepantia, quae minuitur, si Paulum nonnulla mutavisse statuimus, sed non removetur, rectissime me quidem iudice Loewius conclusit Placidum non a Festo pendere aut a Verrio, sed utrumque ab eodem fonte. 'Neque eum vere iudicare puto, si quis dicat Placidum vel eius glossarum auctores lemmata ex exemplis a Festo positis petivisse. Quae excerpendi ratio omnino non probabilis est, cum quo consilio excerptor usus sit non intellegatur. Immo Placidi cum totarum glossarum, tum lemmatum forma alios fontes ac Festi aut ipsius Verrii librum indicat.' Contrarium in nonnullis glossis factum esse supra suspicati sumus; quod non mirum est, cum ex grammaticorum ratione sit, in talibus aut nominativum ponere aut verborum primam singularis praesentis temporis personam aut infinitivum praesentis. In his nemo certe haerebit. — Huic argumento Loewii addit Karl p. 108 levius, sed tamen haudquaquam inutile hoc, quod Placidi et Festi interpretamenta aut omnino aut saltem aliquo modo inter se differunt. Quamquam non deesse glossas concedit, quas per se spectatas non improbabile sit ad Festum esse revocandas: post ea tamen quae eruimus admodum improbabile est his propriam eamque a ceteris diversam condicionem posse concedi. Quae cum ita sint, ordines brevium glossarum — de his autem et de his quidem solis valent, quae adhuc de ratione Placidi et Festi disputavimus — ex Festo fluxisse negabimus, licet minus aut magis similitudine quadam excellant..

Sed ut afferamus quae de singulis glossis dicenda sint, haec moneo: 1) non fluxerunt ex Festo, sed ex commentariis glossae *caudeam, caespitibus, colurnis, cluram, galliciola, herbam dedit, neniam;* 2) ex Festo non fluxerunt, quorum interpretamenta ab aliis grammaticis propius absunt quam a Festo, ut *cilones* (cf. GR. L. I 102, 1); *gerras* (cf. Non. 118, 22); *gramis* (Non. 119, 14); *porcam* (Varro de r. r. I 29, 3); *amussis* (Non. 9, 3); *infrequens* (Gell. XVI 4, 5); 3) ex Festo non fluxerunt glossae quarum interpretamenta a Festinis plane diversa sunt, ut *ciccum, acerata offula, apluda, aginam, assiduos, adorans, boba, cohum, eritudo, nautea, noegeum, favisae, ferentarii;* idem de glossis valet quorum veriloquia discrepant, ut *antiis, inciente, mulleos, exanclata, latro;* idem de glossis, quibus eadem vox inusitata pluribus interpretamentis explicatur sed diversis apud Paulum et Placidum, ut *antigerio, ad exodium, annictare, arcent, demum, exanclare, fratrarent, gorgo, gerro, investem, in mundo, insequis, numero, obdet;* idem de glossis quarum lem-

mata diversa, ut *capuli, extraneam, Iugi Iunoni, postliminio, immoene, moenicare, dacrumis;* idem de glossis quae ad diversos locos spectant, ut *exdorsuandum, ferocientes, occedere, omentat, emussitatos, collativus;* idem denique de glossis, in quibus Festus et Placidus alio quodam modo eoque non uno discrepant, ut *ambulacris, dissertim, dusmum, adulterina, gutturneo, in flustris, forago, arse verse, plotos, cassabundum, cassabundo, bardum, anate, deperis, genuinorum, murgiso, multifacere, cocetum, experitus, exlaudat, moraciis, coniector, concinnatus, censio, Catialem collem, doliola, iuxta oppidum, molocrum, pullum, ad manticulandum, antiquare, artitus, actum, aeruscans, ambronem, bellicam columnam, cossos, canterius, calpar, conlocare; clunaculum, coculis, cicindela, carisa, curriculo, effafilatus, genis, habitior, murrinam, manducum, nefrendem, obstrudulenta, offuciarum, papillas, pedo.* His adiungo talia: *adoria, crepero, ergo, hiras, igitur, laudare, ocreae, portum.* Maiore similitudine hae glossae cum Festinis continentur: *cracentes, altriplicem, flagratores, capedulum, calbae, flaxare, massucum, armillum, apua, ausculatus, ambacti, batos, cancros, dice, enumquam, escit, facul, fratria, festram, habitudine, nasiterna, ancras, bulga, caesariati, crumina, capronas, casnari, catillo, cassiculo, damium, eccere, flatores, fartori, imploratis, futavit, fulsit, fratellis, bubinare, noctipugam.* In omnibus his glossis de communi fonte cogitandum esse iam monui. Haec sufficiant de ratione dixisse, quae inter Festum et Placidum intercedat; cuius interest de singulis quaerere, legat quae Karl exposuit.

Pergo nunc ad ampliores Placidi glossas, quales extremae litterae solas exhibent. In his quoque sunt quae cum Festo comparari possint, sed et multo pauciores nec artiore vinculo conexae. Similitudinem quandam exhibent glossae hae: *acipenser, age, barrire, camuram, comptissimus, caespites, decrepiti, exanclare, facessite, faenero, infit, insignit, resultant, temetum*; quamquam haec similitudo interdum minor est, interdum talis, vix ut potuerit evitari. In ceteris praevalent quae discrepant, cum modo consilio diverso sint compositae (ut *pueras, promulgatum, condictum, crepido, osor, pellexeris, residuus*), modo ratione prorsus diversa explicantur (ut *hirpices, iubar, secus, nothus*) vel veriloqûiis discedunt (ut *incaestum, perduelliones, postumus*) vel cum aliis auctoribus multo artiore ratione continentur (ut *spiris, tonsae, pronuba, bucina*) vel recentioris aevi vestigia exhibent (ut *aedituus, comesationes, auctrix, procos*). De singulis glossis satis habeo ad ea delegasse, quae Karl exposuit. Vtriusque generis ordines qui contulerit, etiam ex ratione quae inter Festum et glossas intercedat ampliores longe recedere a brevioribus intelleget.

§ 21. Ex duobus igitur his fontibus Placidi glossae sunt contaminatae ita, ut modo ampliores glossae praecedant, ut in litteris A,

C, E, G, I, M, O, modo breviores, ut in litteris B, D, F, L, N, P, cum in littera H breviores medium locum occupent; item in amplioribus praecedunt glossae grammaticae, secuntur reliquae. In ordinibus breviorum glossarum rarissime scriptores adferuntur, scilicet p. 28, 26 Plautus Mil. gl. 74 (deest in libris Romanis), p. 6, 10 Virgilius, p. 29, 4 Cornutus et Plinius, p. 33, 10 Cornutus. Saepius auctores in amplioribus glossis appellantur, scilicet Virgilius 9, 16; 9, 17; 24, 1; 24, 3; 27, 2; 32, 3; 37, 32—34; 41, 7 (ter); Sallustius 3, 16; 27, 2; 31, 21; Horatius 9, 18; Cicero 24, 30; 40, 5; Lucanus 37, 39. Plautus (Plautus saecularis poeta ...) 20, 2. His apertis testimoniis addendi sunt aliquot Vergilii loci, ubi deest ipsum nomen, ut 23, 21 (Aen. VII 399); 40, 10 (Aen. III 57; 73; VI 573/4). Sed multo plures locos illorum scriptorum subesse etsi non diserte indicatos et consentaneum est et intellexerunt docti. Qua in quaestione fuerunt qui multum tribuerent Corsiani codicis inscriptioni, de qua supra egimus (*Incipiunt glossae Luctatii Placidi grammatici in Plauti comedias*), quo in numero etiam Ritschelius fuit; cf. notissimae commentationis Op. III p. 60: 'Nicht als wenn nun gleich die Placidusglossen, wie sie uns vorliegen, mit Haut und Haar als Plautinisch in Anspruch zu nehmen wären, was ja angesichts so vieler eingedrungener Spätlinge — offenbarster, zum Teil recht barbarischer Erzeugnisse des Mittelalters — behaupten zu wollen reine Torheit wäre. Aber darum kann doch ein ursprünglicher Kern Plautinischer Glossen der jetzigen Sammlung, als einer nur durch Überarbeitung mehr und mehr interpolierten, zur Grundlage gedient haben.' Cui sententiae illud favere videatur, quod re vera haud paucas glossas ad Plauti versus pertinere modo demonstrare modo suspicari possumus. Plautinos versus iam Deuerling multis glossis adscripsit, quod haudquaquam pari probabilitate fieri posse ipse intellexit; eandem quaestionem post Ritschelium H. A. Koch Mus. Rhen. vol. XXVI p. 550 sqq., Loewe in Prodr. p. 255 sqq. et Gloss. Nom. p. 95, multi alii opportunitate oblata tractaverunt, ex quorum disputationibus notabiliora exempla sive certa sive diversa ratione probabilia subicere placuit: *involant invadunt, arripiunt* p. 28, 37 = 78, 33 (Amph. 245); *conticinio tempore noctis post galli cantum, quod cecinit et conticuit* p. 15, 24 = 58, 24 (Asin. 685; cf. Gött. Gel. Anz. 1908 p. 820 sqq.); *nautea aqua corii foetida, in qua coria macerantur* p. 33, 32 = 86, 12 = 119, 29 (Asin. 892; Curc. 99; cf. Loewe Prodr. p. 285); *laterna Punica a pellibus, quas ab angulis regularum adfixas extendunt* (Aul. 566; cf. Koch l. s. s. p. 553); *calvitur frustatur, decipit* (Cas. 169); *in fermento est videtur fermentari, id est tacite et dissimulanter ira fervet* (ita Schoell, libri corrupti sunt; cf. Cas. 325 et Merc. 959; fortasse ad alium locum spectat, ubi *in fer-*

mento est fuit, nisi dittographia est pro *in fermento iacet*); *conspicillo ita ut conspici possint quod aiunt longis lineis* p. 15, 10 = 58, 13 (Cist. 91; huc rettulit Seyffert); *collativus, magnus, e collatione factus* p. 16, 1 = 57, 27 (Curc. 231; Loewe GL. N. 114); *habitior plenioris habitus* p. 25, 22 = 72, 22 = 107, 36 (Epi. 10); *iudicatus iudicio addictus damnatusque* p. 29, 17 = 79, 7 (Men. 96); *igitur tum, deinde* p. 29, 3 = 76, 4 (Mil. gl. 772); *immoene improbum culpandum vel interdum 'munere liberatum'* p. 29, 9 = 77, 29 (Trin. 24); *nasiterna vas aquarium* p. 34, 3 = 86, 9 = 119, 33 (Stich. 352); *coepere incipere* p. 14, 45 = 54, 8 (Pers. 121); *caudeam iunceam, quod iuncea cauda emergat: dicitur et scirpum et tibi tibin* p. 14, 18 = 53, 12 (Rud. 1109); *ad incitas ad summam rerum perturbationem desperationemque* p. 7, 12 = 44, 19 (Trin. 537); *iterant dicunt, indicant* p. 28, 38 = 79, 1 (Trin. 832); *manifestarium nocentem vel noxium* p. 33, 8 = 83, 6 = 116, 4 (Trin. 895); *habco habito, quod nunc frequentative tantum dicitur; 'qui hic habet' pro habitat* p. 25, 26 = 72, 21 = 107, 37 (Truc. 246). Quibus exemplis petitis ex ordinibus breviorum glossarum docti etiam alia maiore vel minore probabilitate adiecerunt: sed non contigit neque continget demonstrare Plautinas glossas esse fundamentum harum glossarum, cum iam Koch rectissime docuerit (Mus. Rhen. XXVI p. 549 sqq.) etiam aliorum poetarum priscorum vestigia apertissima exstare. Velut *aeque quicquam, nihil* p. 7, 23 = 45, 14 pertinere videri ad Ter. Andr. 434 (cf. Donat. ad h. l.); *ad manticulandum* p. 6, 6 = 44, 25 duce Festo ad Pacuvium referendum esse. *Iuxta oppidum prope carceres* p. 28, 7 = 79, 17 ad Naevium revocavit Loewe GL. N. p. 100; *moraciis nucibus longis* p. 33, 16 = 84, 29 = 117, 45 ad Titinium idem ibidem; *ambacti servi* p. 7, 43 = 47, 2 ad Ennium idem ibidem. Idem Loewe haud ita paucas glossas ad Lucilium pertinere docuit Prodr. p. 298 sqq., Gl. N. 97, ut *bubinator tricosus et inconstans* p. 8, 11 = 50, 34 (cf. Lucil. v. 417); nonnullas adiecit Karl l. s. s. p. 90, cum Marx acri iudicio usus haud pauca sprevisset ab aliis prolata. Praeterea nemo opinor Plautinis glossis sex ad urbis Romae loca pertinentes glossas adscribet, de quibus Buecheler Nov. ann. vol. 105 p. 567 egit. Sed utut de hac vel illa glossa iudicabimus, vix erit qui neget pro Corsianis illis verbis 'in Plauti comoedias' potius dicendum fuisse 'in priscos auctores': sed cave hoc ad totum glossarium revoces praeter breviores glossas, quae iam Festi testimonia ad priscam latinitatem pertinere demonstrant. Nam quamquam etiam in amplioribus glossis vestigia prisci temporis insunt, in universum tamen a brevioribus longe discrepant. Quis enim cogitabit de grammaticarum glossarum mole ad priscam latinitatem referenda, quis de noctis partibus, nominibus mensium, glossis ad senatum pertinentibus priscis scriptoribus addicendis cogitare audebit,

nisi risum excitare malet? Recentioris igitur notae est tota haec glossarum συναγωγή, ut ne de lemmatis illis, qualia sunt *Aere vitam ducit ac manu*, *Fastidiosum renidens*, *Futura alucinentur*, *Iuvenale phaos*, *In aeternae vitae crepidine fundatus*, *Locis his quae eruerant repletis*, *Numeros omnimodos pulsas tuo plectro*, *Romam ex aquilone Raetiae stringunt*, *Regulas proponentes ac magiae retes*, dubitari possit, quin ad scriptorem recentiorem eundem vel plures non poetam pertineant, quamvis haec vel illa in versuum formas revocata esse a doctis probe sciam. Cuius originis haud pauca vestigia etiam in interpretamentis remanserunt; cf. sub *Numeros omnimodos* e. q. s. verba extrema haec: *alii ennachordon, qui his septem adiunxerunt caelum et terram, vel propter novenarium ab astagiis*, ubi *astagiis* nisi est corruptum recentissimum esse videtur. Cf. quae rectissime exposuit Buecheler Mus. Rhen. XXXV p. 405 et Heraeus Arch. t. VI p. 556. Inter glossas ampliores etiam talia esse quibus non tam prisca verba quam rerum vocabula originatione obscura aut explicatu difficilia exponuntur, ut *noctis partes*, *nomina mensium*, *senatus*, *clima*, *lacteus circulus*, *cuniculi*, *differentia inter iuventus iuventas iuventa* Kettnero duce Deuerling p. XVI adnotavit. Ex quibus quae ad '*noctis partes*' pertinent e Suetonii prato de natura rerum nescio quo modo sumpta esse Kettner vidit ('Zur Kritik der glossae Placidi, Dramburg 1871/1872 p. 14); cf. Becker (praef. ad Isidori N. R. p. XXII) et Reiffersche id (Suet. p. 429). Idem de Isidori verbis valet non ex Placido, sed ex Suetonianis locis ductis. Idem denique valere de mensium explanatione s. v. *Ianuarius*, de glossis *senatus*, *clima*, *lacteus circulus*, *cuniculi*, de differentia inter *iuventus iuventas iuventa* Deuerling praef. p. XVI sq. exponit. Sed de singulis glossis quaerere nolo, nec meum esse puto hoc loco vestigia haud rara, quibus ad hos vel illos auctores ducimur, enotare: in universum de genere et proventu harum glossarum nunc minus quam antea dubitari posse confido.

Placidi copiis quinto vel sexto saeculo usus est qui anthologiae Salmasianae (cf. praef. p. V) praefationem notissimam e glossematis consarcinavit eumque vocabula tantum non omnia ex ordinibus breviorum i. e. vetustissimarum glossarum mutuatum esse vel obiter intuenti facile apparebit. Ex amplioribus glossis hae fluxerunt: *antistat*, *coniectat*, *lampenam*, *alucinari*. Desunt omnino apud Placidum hae: *pos*, *oblatero*, *inreptet*, *ravim*, *carnatoriis*, *returem*, *vasculam*, *oppitandum*, *pedam*, *vitulantibus*, *coagmentem*, *sonivium*, *fellibrem*, *tensore*, *struppos*. Ex his quae deficiunt quattuor tantum in litteris A—N locum habuerunt, reliquae omnes in litteris O—V: quare cum constet extremas litteras glossarum multitudine a prioribus differre, Loewe Gl. N. p. 85 sqq. in his lemmatis accedentibus partem glossarum amissarum superesse coniecit.

Desunt autem in nostris libris, ut Karl docuit, in litteris Q—V omnino breviores glossae: videtur igitur qui composuit praefationem exemplari glossarum usus esse, quod in litteris A—P paucis quidem glossis abundavit, extremos autem breviorum ordines, quos in his litteris nunc deesse vidimus, etiamtum habuerit. Nam quae exstant in praefatione glossae, tales sunt, quas ad breviores pertinuisse ultro conicias, praesertim cum etiam inter has glossas plures cum Festo cohaereant, ut de brevioribus supra exposuimus (p. 66); cf. *pedam, ravim, sonivium, struppos, vitulantibus*. Quod qui verum esse putabit, etiam in his litteris breviorum ordines olim quidem exstitisse, sed nescio quo casu perisse sumet; quos nondum sic uti nunc sunt cum aliis fuisse contaminatos existimo, sed loco discretos. Quamvis incertam esse hanc coniecturam ipse concedo.

Quomodo glossae Placideae in reliqua glossaria viam invenerint, partim infra exponetur, partim ex eis quae praef. vol. V p. XIII—XX exposuimus intellegitur: nunc ad Nonium pergo, quocum haud ita paucae glossae aperto quamvis non eodem omnes vinculo coniunctae videntur.

CAPVT VII. DE NONIO MARCELLO ET FVLGENTIO

§ 22. Nonii glossas a viris doctis saepius tractatas esse iam in ea parte qua de vestigiis Verrii vel Festi verba feci expositum est (cf. p. 11). Ex quibus glossis nunc tales affero, quae artiore quadam ratione cum Placido cohaerere videantur: *coepere incipere* Plac. V 14, 45 = V 54, 8 = Non. 89, 14 (*coepere incipere*); *conspicillo ita ut conspici possint, quod aiunt longis lineis* V 15, 10 = V 58, 13 = Non. 84, 5 (*conspicillum, unde conspicere possis*); *exspes sine spe* V 18, 12 = V 67, 18 = Non. 12, 4 (*exspes dicitur sine spe*); *facesse, fac, interdum* ⟨*recede*⟩ V 22, 32 = Non. 306, 26 (*facessere est facere*) et 306, 32 (*facessere significat recedere*): cf. V 23, 5 = V 68, 10 = V p. XVI; *famulatio servitium, ut eritio dominatio* V 22, 9 = V 68, 21 = Non. 206, 34 (*famulatio ut dominatio*); *formum calidum* V 22, 3 = V 70, 12 = Non. 531, 24 (*... a formo quod est calido*); *hiare aperire* V 25, 16 = V 74, 3 = *Non.* 318, 30 (*hiare est aperiri*); *ibus iis, illis. Plautus in Milite glorioso: ibus stipendia dinumerem* V 28, 26 = V 75, 9 = V 110, 35 = Non. 486, 11 (*ibus pro is ... Plautus Milite: latrones, ibus dinumerem stipendium*); *iuventus iuventas iuventa. iuventus iuvenum multitudo, Iuventas dea iuventutis, iuventa ipsa nostra aetas* V 28, 10 = V 79, 6 = Non. 433, 13 (*iuventus et iuventa et iuvenilitas differunt hoc: iuventas iuvenes, iuventa aetas ipsa* e. q. s.); *nasiterna vas aquarium* V 34, 3 = V 86, 9 = V 119, 33 = Non. 546, 5 (*nassiterna vas aquale*); *sacrilegium di-*

citur sacri furtum; legere enim et sublegere furari dicitur V 42, 13 = V 97, 15 = V 146, 53 = Non. 332, 33 (*legere subripere significat: unde et sacrilegium dicitur, id est de sacro furtum*; secuntur exempla, in quibus 'sublegere' est eo quem exspectamus sensu). Quibus exemplis alia non ita pauca, sed minore plerumque evidentia addi possunt. Ex quibus noli conicere Nonii copiis usum esse qui Placidi glossas consarcinavit; nam quae similes sunt glossae complures apud Paulum Festumve exstare his credes exemplis: p. 59, 11 *invenitur quoque apud maiores et infinitivi modi coepere*; p. 86, 18 *facessere significat interdum facere ... interdum vero pro abeat ponitur*; p. 87, 4 *famuletium dicebatur quod nunc servitium*; p. 104, 10 *iuventutis sacra pro iuvenibus sunt instituta*; p. 169, 11 *nassiterna est genus vasis aquari*. Quibus nescio an *conspicillo, ibus, hiare* addi possint, quas Paulus non exscripserit. Longe plurimas harum glossarum inter glossas breviores Placidi locum habere moneo, id quod optime congruit cum ratione supra accuratius tractata (p. 64 sqq.). Qua via glossae quae cum Festo conspirant in Nonii compendiosam doctrinam pervenerint, duplex est virorum doctorum sententia: aut ex ipso Festo vel Verrio fluxisse existimant, quod me quidem iudice minus probabile est, aut ex commentariis fluxerunt easdem cum Festo glossas praeter alia continentibus. Ceterum Nonium quinque glossariis usum esse Lindsayi coniectura est, de quibus conferatur eius libellus qui inscribitur 'Nonius Marcellus Dictionary of Republican Latin' ed. Oxonii a. 1901; adde Mus. Rhen. LVII p. 196 sqq.): quorum tamen glossariorum si quando fuerunt cum nulla vestigia relicta esse videantur, non meum esse puto in difficili hac re et ab his quaestionibus aliena iterum desudare.

Neque vero haec quam modo tractavi sola et unica ratio est qua glossaria cum Nonio cohaereant. Quinti enim voluminis p. 637 sqq. editum est glossariolum sic inscriptum: *Incipiunt glosas Agelli et Marcelli*; ubi *Marcellus* est *Nonius Marcellus*, *Agelli* autem est *Auli Gelli*. Edidi has glossas ex codice Leidensi[1]); antiquiorem formam, h. e. lemmata testimoniis abiectis in brevius redacta et in marginibus codicum Nonianorum adnotata, ex apographo I. H. Onionsii publici iuris fecit W. M. Lindsay 'Harvard Studies' vol. IX p. 70 sqq. De glossarum harum condicione et auctoritate cf. G. Loewe Prodr. p. 170 sqq., Gl. N. p. 234 sqq., L. Mueller Nov. Ann. t. 93 p. 389 sq., Advers. Non. p. 271 sqq., Hertzius Gell. ed. mai. II p. XXIV, Lindsay praef. Non. p. XX sqq.,

1) Arevalus in Isidorianis vol. II p. 265 codicem Vaticanum 1558 adfert: *incipit liber de proprietate sermonis ex Nonio Marcello iuxta seriem alphabeti: Avernus lacus* etc.; desinit *Vulpinari dictum est* etc. Idem aliud glossarium anonymum: *Apud iuxta* commemorat, a qua glossa etiam Leidensis collectio incipit. Hunc codicem non vidi.

Goetz praef. vol. V p. XXXV (ubi in alia glossaria quomodo transierint exposui). Ab his glossis diversae sunt quas e codice Harleiano excerptas Lindsay in Arch. vol. IX p. 598 sq. paucis tractavit ad mediam vel seram latinitatem spectantes; quas tamen, cum scholia potius iure vocentur quam glossae, ne Additamentis quidem inserendas putavi (cf. idem Lindsay praef. Non. p. XXV; scripsit corrector cod. Harleiani saec. X). Quod A. Gellio tribuuntur glossae Nonianae, notabile esse existimo, cum Nonium ex Gellio saepissime pendere vetusto hoc testimonio confirmari appareat. Glossarium quod in codice Leidensi 67 E exstare monuit Loewe Prodr. p. 146 cum hac inscriptione: *Incipiunt glose noni cum ciceronis*, certe Nonii non est, sed maximam partem 'e Ciceronis personati synonymis ... derivatum', ut ex his excerptis apparet: *auruspex mathimaticus auriolus augorio praesagatur inspector sortilegus magus, aucupes uiscillarii inscantes* (= *uisc.*) *cantu fallantes fistolarii, excersit euasit erupit effuğ elapsus est extulit se eripuit se, homicida latro sicarius gladiatur pcussor emissarius sanguinarius sanguibibus grassator, mollis mansus mansuetus sincer, murice siricum byssum iacinctum celinum erenimus veste regia purpora regia, opacum arbustum silvestre nemorosum stirpetrum, uix ista mox ista necdum ista dixerat.* In quibus serae latinitatis vestigia sunt apertissima. Cf. Lindsay 'Harv. Stud.' IX p. 68 adn.

His Nonii vestigiis addendi sunt nonnulli loci sub ipsius nomine allati, ut his in glossis Aynardi (Corp. gl. V p. 615 sqq.; cf. Manitius Gesch. d. lat. Lit. d. M. I p. 488 adn. 1): *bidentes sunt biennes oves, id est duorum annorum, non a duobus dentibus, quod falsum est teste Marcello* (p. 53, 13); *silicernium est adhuc lugubre carmen, quod senibus exhibetur teste Nonio Marcello* (48, 3); *vopiscus est tarde natus vel qui ex duobus conceptis uno abortu excluso alter ad partum legitimum deducitur teste Marcello* (p. 557, 3). Item in glossis Iuvenalianis (V p. 652 sqq.) haberi tenuissima quaedam lectionis Nonianae vestigia Lucianus Mueller Advers. Non. p. 273 adnotavit; cf. *sublevit illusit* (Non. p. 45, 18); *tolutim volubiliter* (p. 4, 1). Porro Guilelmus Schmitz in codice Bernensi quodam (358) notarum Tironianarum saec. X invenit excerptas ex Nonio aliisque scriptoribus glossas quasdam, manu secunda additas. Cf. quae dicta ab eo in Panstenographici Lipsiae a. 1869 editi I p. 207 sq. Denique in glossario Barthii recentiore (cf. Mommsen Opusc. VII p. 515 et infra p. 339) etiam Nonii copias adscitas esse Loewe Prodr. p. 164 monuit.

§ 23. Cum Nonio coniungo quem ante me iam Hadrianus Iunius, item Mercerus et Gerlach cum Rothio aliique cum Nonio ediderunt 'Fabii Planciadis Fulgentii v. c. expositionem sermonum an-

tiquorum ad grammaticum Calcidium' (Helm p. 109—126), h. e. sexaginta duo vocabula glossematica explicata et testimoniis illustrata opera Fulgentii, quem episcopum fuisse notissimum Ruspensem contra Lerschium (Bonnae a. 1844) Skutsch P. R. E. s. v. Fulgentius et Otto Friebel (Fulgentius, der Mythograph und Bischof = Studien zur Gesch. und Kultur des Altertums, Paderborn 1911) demonstrarunt et evicerunt. Quod cum Nonio coniunxerunt docti hoc opusculum, recte fecerunt, cum Fulgentius ipse Nonii copiis usus esse videatur (cf. L. Mueller Advers. Non. p. 259 sq.; Wessner Fab. Planc. Fulg. Expos. serm. ant. = Comment. phil. Ien. VI 2 p. 134); quamquam praeter Nonium etiam aliorum scriptorum locos velut Festi et Varronis sive ipsorum sive scriptorum ab illis pendentium videtur ante oculos habuisse. Nec illud improbabile Fulgentium etiam glossas nescio quas vetustiores inspexisse, quarum nunc praeter id quod tractamus opusculum nec vola nec vestigium exstat: nam quae similitudines deprehenduntur inter Fulgentium et glossaria nostra — nisi ita explicandae sunt, ut Fulgentiana in glossaria recepta esse dicamus — non tales sunt, ut horum vel illorum glossariorum locos a Fulgentio adhibitos esse contendamus. Tota autem quaestio vix umquam ita solvetur, ut omnis scrupulus ex animo evellatur; nam tanta est scriptoris in glossis concinnandis socordia levitas vanitas, vix ut possit superari. Quod cum ita sit, non potui a me impetrare, ut 'Expositionem sermonum antiquorum' ipsam inter monumenta glossographica reciperem. Ac si nihilo setius longe plurimae Fulgentii glossae sexto et septimo voluminibus illatae sunt, hoc inde repetendum est, quod Fulgentii liber formam glossarii induit et sic in ipsa glossaria transmigravit: de qua re satis habeo quae Wessner adscitis Loewii et Gundermanni excerptis et adnotationibus l. s. s. p. 139 sq. composuit commemorasse, scilicet haec: 'die Expositio sermonum antiquorum eignete sich sehr gut zur Herstellung eines Glossars; man brauchte nur die Belegstellen wegzulassen resp. die Lemmata mit den Erklärungen zu excerpieren. Zwei solcher einander sehr ähnlicher Excerpte haben wir im Cod. Monac. 14429 und Cod. Sangall. 397, beide aus dem 10. Jahrhundert und voneinander unabhängig; ferner im Paris. 2685 s. X, Bonn. 218 saec. XI und Paris. 8048 s. XIII, in letzteren beiden Handschriften unvollständig. Einen nicht ganz durchgeführten Versuch der Kürzung haben wir in der Kölner Hs., die ja auch den Vermerk 'Excerptum' trägt. Solche Fulgentiusglossare hat man nun offenbar schon frühzeitig angefertigt und die Glossen in andere Glossensammlungen eingereiht. Dies ist im Cod. Vatic. 1468 s. X der Fall; hier sind die Zwischenräume zwischen den Glossen des ursprünglichen Glossars durch eine zweite gleichzeitige Hand ausgefüllt und unter diesen

Glossen findet sich auch eine Anzahl, die aus der Expositio s. a. stammen. Im Codex Vaticanus 1469 und Cassin. 90, beide ebenfalls aus dem X. Jahrh., finden sich die Fulgentiusglossen gleich von erster Hand mitgeschrieben, woraus man den Schluß ziehen kann, daß unser Werkchen schon im 9. Jahrhundert, wenn nicht noch früher, behufs Aufnahme in Glossare excerpiert wurde. Ein paar Fulgentiusglossen (Simpolator und Suggrundaria) finden sich auch in den glossae Scaligeri (= Isidori). In den übrigen Glossaren des Corp. Glossar. Latin. IV und V lassen sich Glossen Fulgentianischen Ursprungs nicht nachweisen; hier und da vorkommende Übereinstimmung deutet vielleicht auf Quellengemeinschaft, dann allerdings nur ganz indirekte .... Hierher gehört auch das Elementarium des Papias, in welches zahlreiche Glossen aus der Expos. aufgenommen sind. Auch bei Osbern finden sich häufige Anklänge an Fulgentius, der, wie die Stelle p. 627 zeigt, dem Verfasser der Panormia nicht unbekannt war. In ein paar Glossensammlungen finden wir nicht die kurzen Glossen, sondern die vollständigen Artikel des Schriftchens excerpiert und unter andere Glossen aufgenommen; hier sind zu nennen der Cod. Cheltenhamensis 4626 und der Ambrosianus C 203 inf., letzterer aus s. X/XI.'

Praeter ea quae commemorata sunt glossaria — codicem Oxoniensem Iun. 83 (Bodl.) saeculi XIII ipse Wessner l. s. s. p. 79 attulit — etiam alia vestigia harum glossarum memorabilia exstare ex medio quod dicunt aevo propagata post ea quae Lersch Mus. Rhen. V 312 sq., Hellmann in Traubii 'Quellen und Untersuchungen' I 1 (Monach. 1906) p. XIV, Goetz 'Berichte der Königl. Sächs. Ges. d. W.' 1896 p. 73 sqq. diximus, Wessner p. 140, Skutsch p. 227 exposuerunt. Quam vero auctoritatem Fulgentius habeat in quaestionibus glossographicis, ex eis quae attuli satis apparebit. Qui quin nonnulla ex bonis fontibus hauserit, in his fortasse etiam ex hoc vel illo vetusto glossario, nullus dubito: sed cum ubique summa neglegentia nec minore vaniloquentia atque adeo mendacio usus sit, in universum magis ex glossariis sinceris hominis sublesta fide memoriam resuscitare poterimus quam ex hac quaestiones glossematicas illustrare. Certe qui promptuariis glossarum recte uti volet, ei semper cavendum erit, ne Fulgentii verbis decipiatur.

CAPVT VIII. DE SYNONYMIS CICERONIS

§ 24. Glossemata qui interpretati sunt saepe etiam synonyma quae dicuntur pro vocabulis glossematicis posuerunt, usitatiora scilicet pro obscurioribus: unde fit, ut cum doctrina quae est de synonymia a Graecis olim exculta et ad Romanos propagata reapse coniunctissimae sint quaestiones glossographicae. Ac saepius totae synonymorum

series iam in vetustissimis glossariis occurrunt eaeque magis minusve cohaerentes cum synonymorum collectionibus peculiaribus quae in libris manu scriptis etiamnunc circumferuntur. Velut in optimo codice Vaticano 3321 (saec. VII) addidit m. 2 hanc glossam (p. 134, 3): *Orator auctor causidicus patronus defensor eloquens facundus ingeniosus disertus promtus paratus copiosus opimus profluens abundans*: a qua vetustissima synonymorum recensio incipit. Sed etiam Pseudocyrilli qui dicitur exemplar saeculi VII talia synonyma exhibere p. 38 exposui. Accedunt multa alia glossaria et vetusta et recentiora, quae ex synonymis materiem suam ditaverunt, ut his recte uti qui velit de auctoritate horum synonymorum quaestionem prorsus neglegere nullo modo possit. Quod cum ita sit, paucis de his synonymis disputandum esse censui, non quo totam rem exhaurirem, sed eorum potissimum ut utilitati prospicerem, qui de glossarum fontibus quaerent.

Synonymorum quae in libris manuscriptis Ciceroni adscribi solent collectiones modo substantiva exhibent, ut *Signa argumenta rationes notae indicia testimonia vestigia coniectura suspiciones* (in codice Harleiano 5792 vetustissimo, ex quo etiam quae secuntur attuli) aut adiectiva, ut *Acer vehemens atrox concitatus ardens gravis acerbus asper amarus*, aut verba ut *Docet demonstrat planum facit probat declarat ostendit colligit explicat enodat expedit ad purum perducit ad liquidum ⟨perducit⟩*, aut adverbia, ut *Plane aperte diserte lucide distincte subtiliter ordinate eleganter*, saepius etiam talia qualia sunt *Vt res tulit ut postulauit ut poposcit hos ut exigit hos ut convenit ut par fuit ut decuit ut aequum ut rectum*, quibus accedunt alia. Quae collectiones modo sui similes sunt, modo magis minusve inter se differunt, modo prorsus diversam materiem habent. Omnino autem, quantum quidem ex excerptis meis, imprimis Parisinis, Leidensibus, Bernensibus, Londinensibus — neque enim semper synonymorum in excerptis meis olim conficiendis rationem habitam esse moneo, ut non possim spondere non hanc vel illam collectionem meliorem me fugisse — cognoscere potui, tres synonymorum classes constitui possunt. Prima classis eorum est quae ab *Orator actor* incipiunt: cuius classis bipertitae libri aut nullam habent praefationem, ut cod. Harleianus 5792 saec. VII († INC SINONYMA TVLLI CICERONIS DE COPIA LINGVE LATINE *Orator actor defensor ... scientia doctrina eruditio*), aut epistulam Ciceronis ad Veterium (vel Veturium) praemittunt, ut cod. Parisinus lat. 2183 saec. XI (*Incipit synonima ciceronis. Cicero veterio salutem ... Igitur ab oratore inicium capiamus. Orator actor defensor*), Montepessulanus H 416 saec. IX (*Cicero veterio salutem Orator auctor defensor*), Leidensis XVIII 67 F (*Collegi ea quae* e. q. s. *Orator auctor .... explicit synonima artis*

retoricae feliciter et paulo post *Cycero vetere suo salutem ... Igitur ab Oratore inicium incipiamus* e. q. s.), Bernenses Hageni (Anecd. Helv. p. CXVII) 178 saec. IX et 258 saec. IX (*Cicero veterio salutem ... Igitur ab oratore inicium* [*initium* 258] *capiamus. Orator actor* [*capiamus sic* INCIPIVNT GLOSE SENONIME CICERONIS *Orator actur* 258]). Secunda classis epistulam quidem habet, sed singulae synonymorum series ad alphabeti ordinem redactae sunt; harum igitur prima glossa est *Abditum opertum obscurum* e. q. s. Materies plerumque eadem est quae in illis quos modo dixi codicibus exstat; in singulis maiores vel minores diversitates sunt modo aucto synonymorum numero modo contracto vel alia ratione mutato; exempla sunto haec: cod. Parisinus 7641 saec. X (*Veturio Cicero salutem ... igitur per alfabetum initium capiamus. Abditum ... exspectat sustinet. Explicit synonyma artis rethoricae Ciceronis de formulis spiritalibus intellegentiae*); cod. Parisinus 242 saec. IX (*Incipit synonima ciceronis. Veturio suo ... igitur per alfabetum initium capiamus. Abditum ... Explicit synonima artis retoricae*); cod. Leidensis lat. 24 saec. X (*Incipiunt synonima cyceronis. Veturio cycero salutem ... igitur per alfabeta inicium capiamus. Abditum ... Explicit synonima cyceronis artis rethoricae*).[1]) Ex tali recensione synonyma pendent quae Mahne (M. Tullii Ciceronis quae vulgo feruntur Synonyma ad Lucium Veturium Lugd. Bat. 1850. 1851), primum ex editione Romana anni 1487, tum ex editione Parisina anni 1583 repetenda curavit.[2]) Tertia classis complectitur synonyma sine epistula ad litterarum ordinem digesta, velut cod. Neapolitani IV A 8 saeculi VIII (cf. Keil Gramm. lat. I p. X: *Incipiunt synonyma Ciceronis ordine litterarum composita. Amor ardor ... veru ensis gladius spatha sica mucro hasta lancea vacilla. Expliciunt feliciter synonyma Ciceronis ordine litterarum composita*.[3]); Montepessulani H 160 saec. IX (*Incip sinonima.*

1) Ex simili collectione synonyma hausta sunt quae exstant in cod. Parisino lat. 10588 saec. VIII/IX fol. 75—138, ubi haec est inscriptio: *Dauit de χρο cuncta profetauit et iosep qui corpus dni sepeli. In χρι nomine incipit ermaneumata ceceronis Abditum absconditum Abstrusum remotum latens abscon.* Haec subscriptio est: *Explı ermeneumata ceceronis. amen.* Cf. IV praef. p. XXVII.

2) His synonymis iam Ruhnkenium operam suam impendisse ex Mahnii praefatione p. V didici. Idem Ruhnkenius discipulum suum Ruardium ad edenda synonyma impulit, qui tamen opus ad finem non perduxit. Cf. Ruhnkenii Epistolae a Mahnio editae fasc. III p. 153 sqq. Ceterum primis litterarum renatarum temporibus etiam praeter illa quae attuli exemplaria saepius typis exscriptas esse has reliquias moneo.

3) Ex eis quae Carolus Barwick ex hoc libro in meum usum excerpsit, facile intellexi contineri haud paucos ordines cum classe secunda, velut *Belua fera iumentum luteus asinus* (?) *lutulentus plumbeus vecors bestia* = p. 7 (Mahne 1) *Belua iumentum asinus sus luteus lutulentus plumbeus pecus fucus; Vsitatum so-*

Auctor orator Absolutus prȩstantissimus . . . Vincula catene tormenta carcer nervus custodia verbera ignis acoleus fustes fragli flagelli). Eodem pertinere videntur codicis Vaticani vetustissimi 3321 '*synonima. Acer intentus veemens atrox concitatus ardens*' (in fol. 164 sqq.). Primae classis pars altera et tertia classis quae etiam vetustate eminent cum pariter epistulam omittant, hanc saeculo demum nono additam esse suspicor primae classis exemplari; quae deinde mutata est in collectionem alphabeticam pro *Veterio* reposita forma *Veturio* quae in prima classe rarissima videtur esse. Formam quae est *Lucio Veturio* nisi in recentissimis libris saeculo XV vix prioribus non inveni (cf. Sittl Arch. VI p. 595). In alphabeticis exemplaribus secundae classis saepe exstat haec vel similis subscriptio: *synonyma Ciceronis artis rhetoricae* (cf. codd. Paris. 7641 saec. X et 242 saec. IX, Laudun. 463 saec. XII, Leid. Voss. lat. 24 saec. X). In Harleiani vetustissimi inscriptione hoc est: *de copia linguae latinae.* Ibidem ante posteriorem collectionem exstat: † INCP: GLOSSA · SYNONIMA · CICERONI ·, ubi confidenter scriberemus *Ciceronis*, nisi in pagina sequenti legeretur: INCP: GLOSSA · SYNONIMA · Q^{v}E · CICERONI · Quamquam ne nunc quidem *tribuuntur* vel simile aliquid audeo supplere: videtur qui *que* scripsit '*glossa*' et '*synonyma*' coniungere voluisse. — Epistulae autem variae exstant recensiones, ex quibus nescio an haec vetustior forma evadat quamquam non satis plana, quam adnotata discrepantia potiore optimorum librorum placuit subicere (cf. Hagen Anecd. Helv. p. CXVII):

'*Cicero Veterio salutem. Collegi haec verba quae pluribus modis in unum digestis dicerentur, quo uberior promptiorque fiat oratio verborum consertione, quorum plerumque multo maior pars trahi* ⟨*potest*⟩ *in has omnes formas studentibus profuturas, cetera*[*e*]*que convenient, quod minime mirum sit, si pluribus locis eadem verba saepe releg*[*er*]*entur. Erunt enim*

1 *uetere suo* Leid. 67 F | *haec verba*] *ea quae* Leid. 67 F | *pluribus* Leid. 67 F. *plurimis* multi | *in unum digestis* om. Leid. 67 F ‖ 2 *dicentur* Bern. 258 | *quo*] *quod* Bern. 258. om. Leid. 67 F | *prumptior* Bernenses. *prumtior* Montep. Leid. 67 F | *fiat*] *etet* Leid. 67 F ‖ 2 sq. *eorum assertionum* (haec duo verba om. Leid. 67 F) *quorum plerumque multo* (om. Bern. 258 et Leid. 67 F) *maior pars traditur* (*trahi* Leid. 67 F) *uerborum consertione* (vel *consertionum;* haec duo verba om. Leid. 67 F) libri, quae correxi ‖ 4 *studentibus profuturas*] *posset* Leid. 67 F | *ceterum conueniet minime ac mirum erit* Leid. 67 F | *his eo quod* cod. Paris., Bern. 258 ‖ 5 sq. *sit*] *erat* Montepess. | *pluribus* Leid. 67 F *in plurimis* multi | *uerba leguntur* Leid. 67 F | *Erunt enim quod non memoriam fugerent* Leid. 67 F

litum adsuetum cotidianum crebrum adsiduum vulgare frequens familiare = p. 67 (Mahne 1) *Vsitatum solitum assuetum familiare frequens quotidianum crebrum assiduum vulgare,* alia.

magna (?) quod nostrae memoriae non refugerint aut quod multis significationibus dicta[e] conveniant remota. Igitur ab Oratore initium capiamus.'

1 *fuerint* Bern. 258 | *pluribus* pro *multis* Leid. 67 F || 2 *ueniunt remora* Bern. 258. *ueniat* Leid. 67 F | *incipiamus* Leid. 67 F.

Qua cum forma comparanda est recensio Romana Mahnii: *Collegi ea verba quae pluribus modis dicerentur, quo uberior promtiorque esset oratio, quorum plerumque multo maior pars in has orationis formas accommodari possit. Ceterum conveniet minimeque mirum erit, si pluribus locis eadem verba legentur, aut quod memoria fugerint aut quod pluribus significationibus conveniant. Igitur per alphabetum initium capiamus.* A qua forma Parisina recensio (p. V) magnopere differt. — Synonymorum Harleianorum recensio prior sic incipit: *Orator actor defensor patronus causidicus disertus eloquens facundus ingeniosus promptus ετοιμος exercitatus copiosus opimus profluens abbundans dicentarius.* Vt in hac serie semel graecum interpretamentum adiectum est, ita saepius idem accidit, velut in his: *comptus ενγκεημενος ενθετος* (cf. *συγκείμενος* II 440, 12; *εὔθετος* II 317, 18); *elatus επηρμενος* (II 306, 58); *pestantissimus* (sic) *ειαφορωτατος* (cf. *praestantior διάφορος* II 275, 43); *sagax εχεφρων αγχινους πολυπειρος* (II 321, 26 + II 217, 48 + II 412, 53); *gnarus ειδήμων εμπειρος επιστημων* (II 285, 12 + III 449, 80 + II 311, 16); *cordatus σκοπος κατανοντικος* (*κατανοητικός*); *politus εξησκημενος* (II 303, 31); *stolidus ηλιθιος* (II 324, 3); *incomptus ασυνθετος αθετος* (cf. *incompositus ασυνθετος* II 249, 11 et *incomptus incompositus*); *indoles ευφυης* (cf. II 320, 21); *adfatim δαψιδως* (II 266, 54 *δαψιλῶς*); *affectat παρατιθεται*; *adpetit ορεσεται* (cf. *appeto ὀρέγομαι* II 386, 28); *vastitas ερημια* (II 314, 11); *depresset κατωφερες* (II 346, 51 *depresse κατωφερές*); *erutus ανεσκαμμενος*; *emissarius οκαταβαλλωνφονευων*; *ferumen τερας* (II 453, 22); *procax προπετης* (II 419, 50); *biles χολικος* (cf. II 477, 51 *χολικός biliosus* et *χόλος haec iracundia* II 477, 53); *profligatus πεπωρωμενος* (II 401, 57); *destinus μονοτονος* (II 373, 11); *persulat εξοριζεται* (cf. *ἐξορίζω exulo* II 304, 10). In quibus tantus est cum Pseudocyrillo consensus, nullo modo ut casui tribui possit, praesertim cum in eodem codice utraque materies contineatur. Certe is qui scripsit plura addere graeca interpretamenta in animo habuit: quod cur non fecerit incertum est.

Ciceroni haec quae circumferuntur synonyma immerito adscribi dudum intellexerunt qui haec litterarum monumenta attigerunt; velut 'Erasmo iudice est tumultuaria non adeo multarum vocum collectio, ab aliquo Ciceronis studioso utcumque facta ex eius scriptis' (verba sunt Fabricii Bibl. lat. ed. Ernesti I p. 214: Fabricius ipse synonyma

Ciceronis et eiusdem differentias confudit); porro Mahnius p. V diserte negat Ciceronis haec esse; idem non uno loco adnotavit hoc vel illud vocabulum apud Ciceronem non exstare, posterioris latinitatis esse, expungendum esse, ut alia mittamus. Quod Sittl Arch. VI p. 595 Ciceronem quendam grammaticum recentissimum, quem Vergilius Maro saepius commemorat (de quo cf. Manitius p. 126), eundem quem glossarium Vatic. 1469 saec. X affert (*eresim Cicero sine aspiratione scribi debere ait*), auctorem esse suspicatur, nullo modo probari posse 'Berl. phil. Wochenschr.' a. 1890 p. 195 sq. exposui. De eadem quaestione I. W. Beck ibidem p. 298 sqq. disputavit, cum Sittl suam sententiam p. 267 a me defenderit. Beckii commentationem 'De Synonyma Ciceronis, een handboek der Synonymiek uit den tijd van Fronto, Bijdrage tot de geschiedenis der latijnsche lexicographie' (in annalibus qui inscribuntur *Coniunctis viribus* III 3 (1889) p. 158—186) in meas manus non pervenisse doleo. — Synonymiam iam vetustioribus temporibus a rhetoribus tractatam esse Quintilianus IX 3, 45 testis est, nec casui tribuendum puto, quod rhetores inprimis ex Cicerone synonymiae exempla petebant, ut Isidorus p. 518, 20 Halm.: *Synonymia est quotiens in conexa oratione pluribus verbis unam rem significamus, ut ait Cicero: nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, et item: non feram, non patiar, non sinam* [*et item opem ferre, auxilio esse opitulari succurrere et cetera similia* add. liber glossarum]. Item liber glossarum haec exhibet: *sinonima est quotiens plures sensus non quidem ab hisdem verbis incipiunt, sed ab eodem effectu communitatis ut abiit, abscessit, erupit, evasit et Cicero: callida mens, astutus animus, saxas* (= *sagax*) *animus, vigens animus.* Nec illud neglegendum videtur, quod Fronto p. 151 Nab. ad M. Antonium imperatorem haec scribit: *tum si quando tibi negotiis districto perpetuae orationis conscribundae tempus deesset, nonne te tumultuariis quibusdam et lucrativis studiorum solaciis fulciebas synonymis colligendis, verbis interdum singularibus requirendis?* Quibuscum conferenda sunt quae apud eundem Frontonem exstant p. 154. Ex his et similibus locis non improbabile fit, olim collectanea synonymorum ex Cicerone potissimum excerpta et paullatim aucta extitisse (cf. etiam quae Beck l. s. s. composuit), quae sexto saeculo non tam fundamento quam exemplo fuerunt magistellis in discipulorum usum synonyma colligentibus: unde etiam nomen desumptum esse puto. Ceterum ex eis quae mihi innotuerunt collectionibus — inter vetustiores etiam illa numeranda est quam auctor libri glossarum exhibuit divitissimam et interpretamentis deinceps pro lemmate positis ultra modum auctam et cumulatam (cf. Hagen p. CXVIII, Goetz der lib. gl. p. 5 sq. = 215 sq.) — nullam saeculo sexto vel quinto priorem esse

existimo, licet singula synonyma ex vetustioribus collectionibus transcripta esse putes. Num talem collectionem Isidorus ed. Arev. VI p. 473 (quem iam Hagen l. s. s. p. CXX attulit: *'venit nuper ad manus meas quaedam schedula Ciceronis quam synonyma dicunt, cuius formula persuasit animo quoddam lamentum mihi vel miseris condere'*) in mente habuerit, nunc magis quam olim dubito; primum enim in paucioribus tantum codicibus illud *Ciceronis* exstare videtur; tum illud 'lamentum' quod sibi vel miseris condidit Isidorus omnino nullam cum eis quas novimus collectionibus similitudinem prae se fert, quod quamquam aliquatenus ex instituta ratione explicari potest, tamen, ut apud Isidorum, mirum est. Vt autem etiam ipse aliquid ad tractanda synonyma conferrem, Harleiani codicis synonyma posteriora (a fol. 268^{v}) nondum edita subicere placuit adnotationibus ad singula emendanda vel explicanda adiectis (sed ut quae quasi *χιονηδὸν* scripta sunt iuxta ponerem).

§ 21.
1. *Arba humo terra arida agera tellum rura.*
2. *Verecundia reverentia* (secuntur duo v. vacui quibus in margine adscriptum est *deletum*).
3. *Absorditas ignominium* (secuntur quattuor v. vacui quibus in margine adscriptum est *deletum*).
4. *Aduliscens inpuues epheuus inuersius puer.*
5. *Peccator facinorosus impius delector scelerosus nefas reator admisor piaculator.*
6. *Cerne ///////* (*aspice* erasum) *aspice uide prespice intuę specula atende contemplar.*
7. *Questiones interrogationes enigmata adsersiones.*
8. *Intactus inproximus intenuos inquerellatus.*
9. *Subito statim frequentē mox confestim protinus continuo ilico repente depresenti ocius citius ardentius festinanter peruiciter celeriter uelociter ueriliter stanter.*
10. *Macula lauem nota flagitium dedecus . . . . pem uitum offectio.*
11. *Diuinam nectareum (!) inuescitam.*
12. *Molestia egritudo egrimonium inuicilitas infirmitas.*
13. *Mansuetudo mituositas clementia.*
14. *Adprehenditur tenetur aripitur nanciscitur.*
15. *Insidiauit inuidiauit zelauit emulauit.*
16. *Colliget congregat addet auget augeret augmenta.*
17. *Fortis firmus ratus rouustus ualidus ualens stauilis prepoter.*

---

1. = *humus* | *agera* = *agri* | = *tellus* ‖ 3. = *ignominia* ‖ 4. *adulescens* | *inpubes* | *ephebus* | *investis*? *inberbis*? ‖ 5. *delictor* | *nefarius* | ex *reatus* factum | *admissor* ex *admissum* factum | ex *piaculum* factum ‖ 6. *perspice*? | *attende* | *contemplare* ‖ 7. *adsertiones* ‖ 8. *inproximus* novum | *ingenuus*? ‖ 9. *frequenter*? | *perniciter* | *viriliter* | = *instanter* ‖ 10. labem | ⟨*tur*⟩*pem* = *turpe*? | *vitium* ‖ 11. *investitam*? ‖ 12. *inbecillitas* ‖ 13. ex *mitis* factum? ‖ 14. *arripitur* ‖ 15. *insidio insidiavi* analogis formis firmari potest ‖ 16. *Colligit* | *addit* | *aggerit augmentat* ‖ 17. *robustus* | *stabilis* | *praepotens* ‖

18. *Dux inpulsor ciuis perniciosus hortator du umber iudex aruiter.*
19. *Agreste indomesticus indomitum.*
20. *Domum habitaculum larem aedem aulam magalium mapalium dieta prunctuarium.*
21. *Nonsperantes diffidentes noncredentes* (secuntur 11 versus vacui; item quae sequitur columna vacua).
22. *Medicus* (secuntur tres v. vacui; in margine est: *deletum*).
23. *Dementatus.*
24. *Perfectus* (secuntur 3 versus vacui; in marg. est: *deletum*).
25. *Delire abolire delinire.*
26. *Anxitas tribulatio meror mestitia feralia erumna logubriae calamitas infelicitas miseria* (1 v. vacuus) *pusillanimitas* (1 v. vacuus).
27. *Pruuus insolens rebus dirus lubricus peperezator aridurius indeclinabilis perplex pertinax faccelius* (1 v. vacuus).
28. *Mare amfitritem equor fluctuosa estiosa uoraga.*
29. *Opem auxilium presidium adiutorium* (1 v. vacuus).
30. *Calix crater cymbio cyathus poculum.*
31. *Salet aemiciat hedulat.*
32. *Pugna bellum prẹlium duellum demicatio.*
33. *Errat buccuratur frustratur palerat erroneat.*
34. *Abundanter affatum.*
35. *Sanitas sospitas incolomitas ualitudo.*
36. *Herus dominus dominator.*
37. *Aduena proselytus incula ospis peregrinus alienigina exter altetribus exterinus extertinus.*
38. *Abortibat.*
39. *Inmortalis intactus ambrosius inmutabilis.*
40. *Remuneratio retributio reconpensatio.*
41. *Innocens insonus.*
42. *Filia gnata.*
43. *Vinculam lautumia nerua obscura atra tenebrosa lurida furba.*
44. *Magnus summus apex sublimis almus prẹcipuus* (1 v. vacuus).
45. *Fraglat olet redolet.*
46. *Pallidus uiridus.*
47. *Offectus semianimus exsanguis semeuus.*

---

18. *duumvir:* cf. II 577, 47 | *arbiter* ‖ 20. ex *magalia* et *mapalia* nata | *promptuarium* ‖ 25. *Delere abolere* in quartam coniugationem transiit ‖ 26. pro *Anxietas?* | *lugubria?* ‖ 27. *Pravus* | *saevus* | cf. *lubricus fallax* | *peperizator* a πέπερίζειν? | *oridurius,* pro quo etiam *aridurius* exstare potuit | *perplex*] an *perlax* = *pellax,* pro quo non semel *perlax* legitur | *cf. factiosus fallax deceptor* ‖ 28. *aestuosa* | *vorago* ‖ 30. *cymbium* ‖ 31. *Salit* | cf. II 60, 33: *emicat* ἐξάλλεται προπηδᾷ λαγχάνει | *hedulat*] cf. *haedulat* παιγει (ubi παίζει gh) II 68, 3. An *haedulare* est *haedulorum more salire?* Ceterum ex latinograecis glossis haec synonyma saepius pendere videntur: cf. 18. 56. 115. 127. 143. 148. 156 ‖ 32. *dimicatio* ‖ 33. *vagatur?* | *palat?* cf. *palare errare* IV 266, 37 | cf. *erronei errantes,* unde videtur forma *erroneat* ficta esse ‖ 34. *affatim* ‖ 37. *incola hospes* | *alienigena*: cf. II 378, 2 | *exter aliae tribus externus exterrenus?* ‖ 41. *insons* ‖ 43. *Vincula* | cf. *nervus* | *furva* ‖ 46. *luridus* ‖ 47. *Affectus?* | *semivivus* ‖

48. *Misce pota coae.*
49. *Negat apernet inficiatur.*
50. *Reuerentia substinentia.*
51. *Longe procul aeminus existetur uallum.*
52. *Vinus* (tres v. vacui) *temetum.*
53. *Valde nimis multum* (secuntur 7 v. vacui).
54. *Insipiens brueus darnus . . temus* (lac. 2 litterarum) *nugax blateron stolidus* (1 v. vacuus) *demens aebeius.*
55. *Ambulauit abiit discessit profectus est perrexit comitatus est.*
56. *Dico ennarro loquor gnaro geror affaro* (sequitur novum lemma *Spo* et duo v. vacui).
57. *Box trion.*
58. *Pantana defecta humida ruscida.*
59. *Prope comminus . . . mani* (lacuna 2—3 litt.) *fere contini accelere.*
60. *Reddere retribuere remunerare reconpensare.*
61. *Incluserunt abstruserunt retruderunt.*
62. *Falsiloquax finctus strofarius infidus perlax.*
63. *Linanticus iners desiduus ignauus nifacunius.*
64. *Exiliatus extorris flamescens.*
65. *Potiora meliora utiliora salutariola* (*la* pro *ra* corr.) *salubriora saluber.*
66. *Subtilis ex · lis* (lac. unius litt.) *tenuus commis excessus inanis caducus.*
67. *Adhuc actenus.*
68. *Mansuete singillatim rare conpositiue.*
69. *Renouat rudem.*
70. *Irascitur comminatur.*
71. *Sine timore intrepidus.*
72. *Inportauilem.*
73. *Insatiauilis auidus ambigus.*
74. *Silentium sileuat.*
75. *Mouitio motio impetus.*
76. *Vigilia lacubratio.*
77. *Indiuiduae indiuisae inherctę.*
78. *Satiare reficere.*
79. *Floret uernet filositat.*
80. *Fundamenta moenia.*

---

48. *coae* obscurum ‖ 49. *aspernit*? | *infitiatur* ‖ 50. *suspicientia* ‖ 51. *extra vallum*? ‖ 54. *brutus* | *darnus . . temus* non expedio | *blatero* | = *ebis* = *hebes* ‖ 56. *enarro* | cf. *gnarrat narrat* διηγεῖται II 34, 38 | *queror*? *garrio*? | *affaro* ex *affari* factum | *Spo* obscurum ‖ 57. obscura: *bootes septentrio*[*n*]? *box* (= *boca*) βηρίον? ‖ 58. *Pantana* non intellego ‖ 59. . . . *mani* non expedio | *continuo celere*? ‖ 62. *perlax* = *pellax;* cf. 27 ‖ 63. *Linanticus* non expedio: *Lunaticus*? | *infacundus?* ‖ 64. *flamescens*] an *flammescens* = *torrens* a torrendo? *famescens?* ‖ 65. *salutariora* ‖ 66. *exilis* | *tenuis* | cf. *subtilis comis* IV 220, 27 | an *excaesus inanis caducus* novum exemplum sunt? ‖ 67. *hactenus* ‖ 68. *Mansuete* a ceteris separandum videtur ‖ 69. *rudem facit*? ‖ 73. *ambigus* non expedio: an per se intellegendum? ‖ 74. *silenta*? ‖ 76. *lucubratio* ‖ 77. *inerctae* ‖ 78. *Sarcire*? ‖ 79. *vernat* | *floritat*? ‖

81. *Spinae dumis.*
82. *Inio ambio desidero opto cupio uolo.*
83. *Reparat disicat.*
84. *Discrede direme.*
85. *Timor trepidor.*
86. *Fnus cadauer corpus.*
87. *Controuersioso.*
88. *Arduum* (secuntur duo v. vacui).
89. *Ambiguum aceps duuium perplexum obtectum* (secuntur 15 versus vacui: item tota quae sequitur columna vacua).
90. *Furiosus .. nax* (lacuna 2 litterarum; sequitur 1 versus vacuus) *abreptilius feruidus iracundus.*
91. *Gladium ensem telum mucronem sicat daculum.*
92. *Saltabunt histriabunt striniabunt.*
93. *Opinor* (1 v. vacuus) *spero* (4 v. vacui).
94. *Cliens amicus adalis.*
95. *Sacrificium olocaustum immulasionem munus hostiam deliuotium flagitantia liuamina.*
96. *Perscrutans temptans.*
97. *Similem imitante instar equalise.*
98. *Scutum clypeum.*
99. *Incessanter assiduae crebro.*
100. *Curret transpilat.*
101. *Significauit protendit.*
102. *Tetiget accelerat.*
103. *Ferom puluinarium sepulchrum aggersia.*
104. *Dispersit dilaceuit dispalercuit discribuit.*
105. *Fruges cerealia frumenta comea uictualia alimonia copia messaria.*
106. *Ruuustrum flauum uirsum burrum rufum.*
107. *Maceria parietis murum.*
108. *Cereps uir sine muliere.*
109. *Sol titan feuus oriens eoa.*
110. *Iustus fas.*
111. *Permanentia seruitium pertulantiam.*
112. *Lacerdus uadus.*
113. *Pascha sollemnitas.*

---

81. *dumi* ‖ 82. *Inhio* ‖ 83. *Separat desecat*? ‖ 84. *Discerne dirime*? ‖ 85. *trepidor* falso fictum ‖ 86. *Funus* ‖ 87. excidit velut *versutus;* cf. IV 295, 22 ‖ 89. *anceps dubium* ‖ 90. . . *nax*] *minax*? cf. IV 365, 12 | *arrepticius* ‖ 91. *sicam capulum*? ‖ 92. *cf. Saltatores histriones scenici* IV 388, 34: unde *histriabunt striniabunt* venisse videntur ‖ 94. cf. *amicus sodalis* IV 308, 34 ‖ 95. *holocaustum* | *immolationem* | *devotum*? | *fluitantia*? | *libamina* ‖ 97. *imitantem* | *aequalis*? ‖ 98. *clipeum* ‖ 99. *assidue* ‖ 100. *transsilit*? ‖ 101 *portendit* ‖ 102. *Tetiget* et *accelerat* lemmata sunt ‖ 103. *Feralia*? | *aggeries*? cf. thes. gl. s. h. v. ‖ 104. *dilaceravit?* | *dispalescuit?* ‖ 105. *commeatus* | *necessaria* ‖ 106. *Robustrum* pro *Robustum* falso cum *rufum* compositum | *byrrum burrum* ‖ 107. *paries* ‖ 108. *Caelebs* ‖ 109. *Phoebus* | cf. II 62, 9 ‖ 110. *Iustum*? ‖ 111. *Permanentia* non expedio | *petulantiam* ‖ 112. Obscura: *Sacerdos vates*? ‖

114. *Fons . . . dus* (lacuna 2—3 litterarum).
115. *Meretrix anxicia scors luxoriosa baratha.*
116. *Ocultem clam.*
117. *Mala facina.*
118. *Fortuna fatus genium thymelia.*
119. *Lanterna fanarium* (1 v. vacuus).
120. *Porcus abros aper.*
121. *Ergo igitur immo sed denique.*
122. *Aquam ymfus latix lympus licuor.*
123. *Ceruus alce* (1 vers. vacuus).
124. *Aeditiuus ornator templi aruspicus litix* (30 v. vacui).
125. *Quandum usque quod quousque* (2 v. vacui).
126. *Ouessus pinguis copulentus* (*o* ex *u*) .... *tentus refectus plenus opimus* (duo v. vacui; man. saec. IX *aediiuvs* exercitationis causa, scripsit).
127. *Nauis ratis lunter lintrum puphem carbasum scapharium naue* (1 v. vacuus).
128. *Cumparans emens nundinans* (duo v. vacui).
129. *Virga imperialis gestamen sceptrum.*
130. *Derisio subsannatio splodatio.*
131. *Augurium omen uexillum typum tropeum.*
132. *Ammogenitus iocunditas ilaritas.*
133. *Futura uentura posteriora.*
134. *Astra stillas sidere boete.*
135. *Furo baccator peculator.*
136. *Propheta roreus presagus presciens prouidus sagax uatis prǫuisor.*
137. *Adet nuncupat clanget tinnet.*
138. *Notrita alumna educata.*
139. *Quo inquinata poluta squalorosa sordida lubrica profana.*
140. *Collexio caterua glouus.*
141. *Pudicus subrius castus.*
142. *Prudens catus epicureus solers sagax astutus stoicus gnauus ardalius.*
143. *Latro grassator abigens.*
144. *Rixa disceptatio iurgium instigatio.*

---

114. *liquidus* (*liqdus*)? ‖ 115. Cf. II 566, 34: *anxicia meretrix* (*cf. ad 31*) | *scortum* | *barathrum* ‖ 116. *occultim* ‖ 117. = *facinora* ‖ 118. *fatus* = *fatum* | *genium*] cf. thes. gl. s. v. | *thymelia* non expedio: exspectamus *τύχη* ‖ 119. *fanarium*] cf. Italorum fanale; notabile est *fanarium* iam septimo saeculo extitisse ‖ 120. *apros?* ‖ 122. *nymfa latex lymfa liquor?* ‖ 123. *alce*] cf. Solin. 20, 7 Mommsen ‖ 124. *Aedituus* | = *haruspex* | cf. *litices cornices id est cornu canentes* ‖ 125. *Quantum* ‖ 126. *Obesus* | *corpulentus* | .... *tentus*] *extentus* spatio non accommodatur | *refertus* 127. *Navis* | *linter* II 125, 17 in serie *lu* est | *lyntreum σκαφη* est II 432, 45 | *puppem* ‖ = *scapham* ‖ 128. *Comparans* ‖ 130. *splodatio* = *explosio* ‖ 132. *Animositas?* ‖ 134. *stellas sidera* | cf. thes. gl. sub *bootes* ‖ 135. *Furit bacchatur* | *peculatur* est *furat* ‖ 136. *roreus* non expedio | *vates* ‖ 137. *adet* non expedio ‖ 138. *Nutrita* ‖ 139. *Coinquinata polluta* | *squalorosa* singulare est ‖ 140. *Collectio* | *globus* ‖ 141. *sobrius* ‖ 142. *sollers* | *cf. ardelio acutus* Mai VI 509 ‖ 143. *abigeus;* cf. II 3, 33 ‖

145. *Lesit me ignauit me.*
146. *Atrox impius.*
147. *Artatio angustia.*
148. *Balbus atubus.*
149. *Cerimoniam culturam.*
150. *Malificus certumus ariolus cincator maginus.*
151. *Cursitum sepius curro* (4 v. vacui in foramine).
152. *Glutto lorgor edax conponolatus.*
153. *Acerso accuso.*
154. *Altum terreatum.*
155. *Duricordius heuitus* (*h* s. scc.).
156. *Veterata prisca olitana etula anitia.*
157. *Deuulgo triumpho depublico.*
158. *Longum lateque ultro citroque cognitum est.*

145. *inpugnavit* Wessner ‖ 148. *cf. battulus* et II 25, 39; 68, 22 ‖ 150. *certumus* non expedio | *circlator*? *cf. cindator γόης* | *magus*? ‖ 151. *Cursito* ‖ 152. *lurco* | *corpulentus*? ‖ 153. *Accerso* ‖ 154. *terreatum* non intellego: *turritum*? ‖ 155. = *hebes*? cf. 54 ‖ 156. *cf.* II 246, 27 | *vetula* | *anicla*? *anita*? ‖ 158. *Longe* ‖

Synonyma Harleiana posteriora mirum est cum prioribus nullo alio vinculo coniuncta esse nisi quod utroque loco bilinguia glossaria adhibita videntur. Item a ceteris synonymorum collectionibus mirum quantum distant ac multa singularia exhibent, in his rara illa vocabula (cf. ad 31) quae e glossariis graecolatinis fluxerunt, quo in numero unum est, quod nisi ex glossis nominum omnino non novimus. Cetera modo cum Pseudophiloxeno conveniunt, ut illud *haedulat*, cuius tertium testimonium non exstat, modo cum Pseudocyrillo, unde statuendum erit omnia ex eiusmodi aliquo codice esse derivanda, de quo p. 46 verba fecimus. Inter rariora vocabula etiam illud *alcē* pono, quod in glossariis ceteroquin non inveni. Notabile porro est *lanterna fanarium; fanarium* pro *fanalium* vel *fanale* dicitur, unde discimus iam septimo saeculo hanc formam exstitisse. His addendae sunt formae aliquot vulgares, ut *stanter* pro *instanter, splodatio, dispalescuit, discribuit*, aliae. Haud pauca medelam etiamnunc exspectant. Certe inter reliquas synonymorum collectiones nullam novi, quae cum hac iure comparari possit. Sed satis nunc de his disputavisse videor; frequentiora synonymorum vestigia in eis glossariis sunt, quae a libro glossarum pendent, in quem ingentem synonymorum copiam receptam esse iam supra monui.[1])

1) Cod. Bern. 358 fragmentum continet saeculi VIII (cf. catal. p. 347) ex litteris O P Q R excerptum; pleraque glossemata synonymorum naturam prae se ferunt, ut *⟨O⟩pacum fronduosum ⟨u⟩mbrosum nemorosum, Praesagium profetia sive signum futurorum vel ostensum, Quies pax silentium somnum.* Rariora non offendi.

CAPVT IX. DE DIFFERENTIIS

§ 25. Synonyma qui collegerunt eo id consilio fecerunt, ut scriptoribus praeberent unde altera voce pro altera posita orationem veste induerent varia et multiplicis coloris; de differentiis qui scripserunt, potius 'quibus notionibus vocabula inter se differant et quomodo eorum significatio primaria saepe usu obscurata ex ipsa origine sit cognoscenda' (Handii sunt verba) docere conantur. Quae disciplina apud Romanos Graecorum vestigia ingressos vetustissima est, siquidem fidem habemus eis quae Isidorus Hispalensis in praefatione libri de differentiis verborum exhibet: '*de his* (scil. *differentiis*) *apud Latinos Cato primus scripsit, ad cuius exemplum ipse paucissimas partim edidi partim ex auctorum libris deprompsi.*' Sed rectissime Otto Iahn in Act. Soc. litt. Sax. a. 1850 p. 271 et cum eo Beck libelli 'de differentiarum scriptoribus latinis' editi (Groningae a. 1883) p. 5 Catonem de hac disciplina quicquam scripsisse negaverunt, quamvis eum ad vim et usum synonymiae enixe animum attendisse exempla ab Isidoro allata et ex orationibus excerpta satis demonstrent. Quod genus litterarum multi cum grammatici tum rhetores aequali studio excoluerunt, quo in numero Aelius Stilo, Varro, Nigidius Figulus, Verrius Flaccus, alii commemorandi sunt. Haud pauca exempla ex vetustioribus fontibus Gellius attulit, maiorem molem Nonius libro quinto qui est 'de differentia similium significationum' partim Gellii copiis usus partim aliis veterum auctoribus; ac sane iam ante Nonium differentias colligi coeptas esse testis exstat Charisius p. 205, 16: '*illi qui de differentiis scribunt*', quae verba ex Iulio Romano fluxisse probabile est. Quin etiam novimus talem collectionem, siquidem et subscriptioni fidem habemus quae est post notissimam differentiarum collectionem codicis Montepessulani H 306, inter Suetonii fragmenta positam (Reifferscheid p. 274 sqq., Roth p. 306—320): '*Explicit praescriptae verborum differentiae ex libro Suetoni Tranquillini qui inscribitur Pratum*' et huic inscriptioni: '*Incipiunt differentiae sermonum Remi Palemonis ex libro Suetonii*'. Quae si fide digna sunt, Suetonius differentias Remmii Palaemonis (cf. '*glosae Palaemonis grammatici*' in catalogo Laureshamensi saec. IX, quas Manitius Mus. Rhen. t. XLVII ⟨a. 1892⟩ p. 44 haud male cum his differentiis contulit) in Prata recepit. Sed verum esse quod de Palaemone dicitur rectissime docti negarunt; nam illa inscriptio fluxisse videtur ex una differentia collectionis Handianae (v. p. 90) in eodem codice Montepessulano inscriptioni ipsi proxime praecedente hac: *Palemon oicetenus* (= *Vicetinus*) *insignis grammaticus romā habetur qui quondam interrogatus quid inter stillam et guttam interesset, gutta inquit stat, stilla*

cadit; quae verba ex Hieronymi chron. ad a. Abr. 2064 desumpta sunt. Contra in his differentiis legitur: *gutta imbrium est, stilla olei vel aceti.* Itaque cum subscriptio nihil habeat, quod ad Palaemonem pertineat, cum porro in ipsis differentiis aperta discrepantia sit ab eis quae Palaemoni expresse tribuuntur, illa inscriptio ficta esse ex verbis proxime praecedentibus merito dicitur (cf. Reifferscheid p. 450): Palaemonis igitur nomen removendum erit. Alia quaestio est de Suetonio. Totam enim collectionem ex duabus esse partibus conflatam et rebus et ordine disparibus recte viderunt docti; posteriorem partem Suetonio tribuit Reifferscheid, priorem Beck (Arch. f. lat. Lex. VI p. 262), neutram Roth praef. p. XCVI sq. Certum unum est, scilicet illam subscriptionem non prorsus fictam esse posse; sed singularia quaedam si statuimus apud Suetonium exstitisse, haec traducta in collectionem uberiorem effecisse, ut tota collectio Suetonio adsignaretur, libri Montepessulani testimonio satis fecisse videbimur. Nam multa exstare in hac farragine quae recentiorem aetatem redoleant ex eis quae viri docti protulerunt apertum est, alia quaedam vetustissima inesse non minus certum puto; de multis iudicium anceps erit.[1])

Praeter Palaemonem cum collectionibus nunc exstantibus etiam alii viri vetustissimi conectuntur, velut cui praescribitur in copiosissimo illo thesauro Montepessulano '*differentiae Probi Valerii*' (ed. *Keil* GR. L. IV 199 sqq. ex codicibus Montepessulano et Vindobonensi); quae collectio quomodo cum Probo cohaereat exposuit Carolus Barwick Herm. t. LIV (a. 1919) p. 421. Initium hoc est: *Inter austrum et ostrum hoc interest quod austrum ventum significat, ostrum vero purpuram esse demonstrat.* De quibus differentiis ad orthographiam inprimis pertinentibus cum sic iudicaverit Keil praef. p. XXX: 'quare siquid omnino nomini Probi tribuendum est, in hoc quoque differentiarum libello quaedam ex libris Probi quibus posteriores grammaticos usos esse constat, excerpta esse putaverim, quae postea cum aliis observationibus ex consuetudine extremae aetatis profectis mixta sunt', ipse potius sententiae Beckii subscribo (p. 11) parum bonae frugis nihilque quod ad Berytium illum veterem velis referre inesse. Vt has differentias a Berytio abiudicavimus, ita Frontonis nomen immerito prae se fert collectio apud Keilium GR. L. VII p. 519 sqq. edita; ubi quae esse solet inscriptio: *Cornelii Frontonis de nominum verborumque differentiis,* eam non habet cod. Neapolitanus, cuius in indice capitulorum haec

1) Haec scripseram ante quam Wessneri disputatio de Isidoro (Herm. t. LII) edita est: ipse nihil nunc muto, sed quae Wessner de his et aliis quaestionibus ad differentias pertinentia p. 268 sqq. protulit, nemo negleget, qui Isidori differentias tractabit. Schmekelii somnia ultro abieceram.

leguntur: *incipiunt nunc plura secundum differentiam verborum et nominum* (cf. Keil I p. XI). Celebre Frontonis nomen primus Ianus Parrhasius praefixit. "Sunt autem haec 'Frontonis' synonyma plane eiusdem indolis atque 'Probi' et 'Suetonii' differentiae; continent inutilium viliumque observationum copiam magnam pluraque quae ad novicios quam quae ad veteres probosque auctores redeant" (Beck p. 19). Certe ad Frontonem, quamvis hunc rhetorem talibus disquisitionibus operam dedisse constet, quod probabili ratione referatur non invenio. Anceps iudicium erit de Terentio, cuius nomen praemissum est differentiis nonnullis editis ab Hageno Anecd. Helv. p. CXXXIII: *Terentius de verbo tractans hanc differentiam dicit: Invoco in adiutorium, provoco ad iracundiam, voco ad honorem, evoco ad officium, revoco errantem, convoco simul* e. q. s. Vbi Terentium Scaurum dici Hagen putat, quamvis cum orthographicis Scauri quaestionibus haec nihil commune habeant; cf. quae idem Hagen p. CXXXIV exponit (qui simul de Terentio discipulo Prisciani cogitat). Quin etiam Ciceronis quaedam collectiones esse feruntur, velut hae: 1. *Differentiae similium orationis partium a Cicerone et ab aliis sapientibus viris in sensu et litteratura per alphabetum*, quas edidit e cod. Montepessulano H 306 Beck de diff. script. p. 28 sqq. (de qua editione cf. Gundermann Phil. Anz. XVII p. 506). Prima differentia est: *Inter absconditum et absconsum: absconditum rationis est, absconsum consuetudinis.* 2. *Differentiae Ciceronis* quae dicuntur in cod. Bernensi 178, quas edidit Hagen Anecd. Helv. p. 275 sq. Initium hoc est: *Inter metum et timorem et pavorem hoc interest* e. q. s. Cuius collectionis similis ea est quam Beck de Sulpic. Apoll. p. 51 sqq. tractavit (cf. etiam Sittl Arch. f. lat. Lex. VI p. 595; nam quam sub IV adfert, cum his aliquo vinculo contineri probabile). 3. His adde impressa exemplaria quae indicavit Sittl p. 595 (II. *Cicero de dictionum proprietatibus iuxta alphabeti ordinem* et III: *Cicero de proprietatibus terminorum iuxta ordinem alphabeti*). Quod illustre Ciceronis nomen his differentiis praemissum est, per se non mirum videatur, cum Nonius, ut uno teste utar, permulta exempla imprimis Ciceronis exemplis illustret. Sed probabilior certe in cod. Bernensi 178 alia est explicatio: inscriptionem ex eis quae praecedit synonymis 'Ciceronis' fictam esse. Cf. Hagen p. CXX, Goetz 'Berl. ph. W.' a. 1890 p. 196. In codice Montepessulano nescio an exemplorum ex Cicerone adhibitorum recordatio subsit. His submitto collectionem uberrimam apud Arev. V p. 1 ff. (cf. nunc Manitium p. 68) novissimum editam Isidori, qui in praefatione se ad Catonis exemplum ipsum paucissimas partim edidisse differentias, partim ex auctorum libris deprompsisse dicit; nempe edidit ab ipso collectas, deprompsit ex auctoribus ab aliis praeparatas. Quae

differentiae in duas discedunt partes: aut differentiae verborum sunt ad alphabeti ordinem prolatae (incipiunt sic: *Inter aptum et utile: aptum ad tempus, utile ad perpetuum*), de quibus solis hic agimus, aut differentiae rerum (differentiae dogmaticorum terminorum, ut *trinitatis* et *unitatis*, aliorum). Differentiae autem verborum cum eis collectionibus, quibus hodie utimur, in universum coniunctae videntur artissimo vinculo; nec illud neglegendum, quod Isidorus saepe ex eisdem fontibus vel excerptis hausit in hoc libello quibus multas Etymologiarum differentias debet. Inter eos autem scriptores quos adhibuit est Agroecius, cuius multos locos transcripsit (cf. 16, 19, 21, 24, 25, 28, 29, 30, 31; hos et alios locos iam adnotavit Pantinus apud Arevalum). Porro haud paucas differentias ex Servii commentario et genuini et Danielis quem Donati esse vult Lammert (de Hieronymo Donati discipulo a. 1912) derivavit; cf. eiusdem Pantini adnotationes ad 34, 38, 48, 62, 76, alias multas. Sed ne ceterae quidem collectiones neglegendae esse videntur, quarum locos modo auxit modo contraxit. Isidori copiae cum in librum glossarum traductae sint, eius vestigia in glossariis e libro glossarum ductis frequentissima esse moneo. His quas tractavi differentiis accedit collectio anonyma[1]), cuius primum exemplum est '*inter polliceri et promittere*', e tribus inprimis recensionibus nobis nota; prima est apud Arevalum, ut vetustiores editiones Dubrevilii et Gothofredi silentio praetream, VII. voluminis p. 426 sqq. (cf. nunc historiam criticam diligentissime scriptam quam dedit A. Macé, de emendando differentiarum libro qui inscribitur de proprietate sermonum et Isidori Hispalensis esse fertur, Rennes 1900); alteram proposuit Putschius GR. L. p. 2203 sqq. (e codice Bernensi 330); tertiam Hand in ind. Ien. a. 1848 (quae sic incipit: *Inter auxilium et praesidium et subsidium hoc interest* e. q. s.). Agmen claudant differentiae miscellae quas Widmann edidit in Fleckeiseni Ann. a. 1883 p. 649 sqq. (cf. Beck ibid. a. 1885 p. 639 sqq.), et eae quae in magno libro glossarum insunt (cf. Hagen l. s. s. p. CXXIV sqq. et Goetz der liber glossarum p. 216).

Iam vero de differentiarum ratione ut agamus, tria verborum genera sunt et similitudine quadam et discrepantia notabilium; aut in significatione similitudo est posita discrepante forma, ut *polliceri* et *promittere*, *aptum* et *utile*, *amor* et *cupido*, quod genus praeter cetera Nonius

1) Cf. de his differentiis quae Carolus Pascal exposuit (Letteratura latina medievale, Catania 1909 p. 177—188). Ex libro Vaticano reg. 310 saec. X esse inscriptionem hanc: *de proprietate sermonum vel rerum*, ex Ambros. I 1 sup. saec. IX hanc: *de proprietate nominum vel rerum* adnotavit Manitius p. 69; cf. Pascal p. 183 sq.

tractavit; aut similitudo in forma est discrepante significatione, ut *lupus* et *lepus, proprius* et *propius, austrum* et *ostrum, avenam* et *habenam, aes* et *es* (ab *esse*); talia rarius habent vetustiores, ut Nonius, cum maior pars e scriptoribus de orthographia fluxerit, frequentiora sunt in recentioribus tractatibus, ut apud Isidorum; aut denique similitudo et in forma posita est et in significatione, ut sunt *arbor* et *arbos, meret* et *meretur, amplectitur* et *amplexatur, pometum* et *pomarium, eligo* et *seligo, annuit* et *abnuit*, alia huiusmodi, qualia etiam Nonius multa habet. Qui talia composuerunt, non semel ad elementorum ordinem digesserunt, unde factum est, ut ab eis excerperentur et truncarentur, qui glossaria condiderunt. Iam si sequimur Beckium p. 24, 'inter Agroecium et Isidorum ..., hoc est in confinio saeculi V et VI, aliquis exstiterit oportet qui omnes quotquot congerere potuit inde ab antiquissimis usque ad Servium differentias in unum cogeret, abbrevians nimirum explicationes et plerumque exemplorum copiam apud veteres auctores obviam recidens, multa etiam de suo adiciens'. Quo differentiarum thesauro usi sunt, qui collectiones anonymas de quibus egimus confecerunt. Quam Beckii coniecturam ut olim reieci ('der lib. gloss.' p. 216), ita ne nunc quidem ut probarem a me impetrare potui; immo scholarum in usum tales tractatus ita scripti sunt, ut vetustiores collectiones magis minusve pro fundamento haberentur, contraherentur, augerentur, contaminarentur. Editionem Beckii dudum promissam etiamnunc exspectamus.

§ 26. Appendicis instar adnotatiunculas quasdam quae sunt de vocibus animalium cum differentiis ratione quadam coniunctis nec semel in glossaria illatis huic capitulo annectere liceat. Voces animalium apud Latinos — nam Graecorum similes tractatus nunc non respiciam — praeter Varronem (de l. lat. p. 120, 10—121, 11) inprimis Suetonius collegit, ex cuius libro fragmentum maius ad hanc rem pertinens Hugucio videtur servavisse (cf. Reifferscheid p. 247 sqq. et Quaest. p. 449 sqq.). Suetonium excepit quinto saeculo Polemius Silvius, cuius voces animalium conspirant cum eis quas ex glossariis quibusdam novimus, velut e cod. Leidensi de quibus cf. Loewe Gl. N. p. 248. Eodem pertinet cod. Parisinus lat. 1750 in fol. 143^{r} saec. X exeuntis: *Vocis uariae animantium. Ouis bobat. Canis latrat. Lupus ullulat. Sus grunnit. Bos mugit. Equus hinnit. Asinus rudit. Vrsus saeuit. Leo fremit. Elefans barrit. Coruus croccit. Merulus frindit. Turdus truculat. Anser sclingit. Grus gruit. Miluus linugit. Apis bobit. Turtur gemit. Rana coaxat. Hirundo minurrit. Populus strepit. Ignis crepitat. Cursus aquarum murmorat. Ferum stridet. Aes tinnit.* EXPLCT. Quocum in universum congruit cod. Oxoniensis Bodl. Digb. 151, nisi quod ordine differt: *Ouis balat. Leo fremit. Canis latrat. Grus gruit. Elephans*

barrit. Sus grũmit. Asinus rudit. Anser sclingit. Bos mugit. Miluus miluit. Equus hinnit. Coruus croccit. Lupus ululat. Merula fringit. Ursus seuit. Turdus trutilat. Turtur gemit. Hirundo minurrit. Rana coaxat. Populus equitat. Ferrum stridet. Ignis crepitat. Apis boat. Cursus aq murmurat. Es tinnit. Aliam harum vocum recensionem exhibet liber glossarum, scilicet hanc (ex codice Parisino): *'nam uocem tam mutorum animalium quam hominum est esse declarantes sic efferunt: aquilas clangere, accipitres plipiare, uultures pulpare, coruos craxare uel crocitare, miluos lupire uel iugere, olores drensare, grues gruere, ciconias glottolare, anseres gliccire uel sclingere, pauones paupula* (sic!), *gallos cucurrire uel cantare, anates tetrissitare, turtures gemere, palumbes paucitare, perdices caccabare, grabulos fringulire, noctuas caccubire, merulos frindire uel zinziare, turdos trucilare uel soccitare, sturnos passitare, hirundines minurrire, passeres tittiare, apes bobire uel bombilare, cicadas frittinire. Feras etiam proprias uoces habere ita pronuntiant: Leones fremere, tigrides racharã, pardos felire, panteras caurire, uersos uncare uel seuire, apros frendere, linces urcare, lupos ululare, serpentes sibilare, elephantos uarrire, onagros magilare, ceruos rugire, tauros mugre, equos innire, asinos rudere, porcos grunnire, uerres quirritare, arietes lorettare, oues balare, hircos miccire, edos uebrare, canes latrare, uulpes gannire, catulos glattire, lepores uagire, mustelas drinorare, mures mintare, sorices desticare, ranas rabire uel coaxare.* Ex libro glossarum pendet Papias, cuius recensionem exhibet Reifferscheidius praef. p. XI. Ex eodem libro glossarum hausit scriptor codicis Londinensis mus. Brit. 'old Kings mss.' 13 CIV saec. XIV in fol. 213^{r}; item cod. Parisinus 7588 saec. XIII fol. XIII sqq.; item 6810 saec. X fol. 48^{r} B. — Tertiam porro recensionem continet Aldhelmus de re gramm. et metrica (Mai Auct. cl. V p. 569 sq. Reifferscheid p. 248 sq., ed. Ehwald p. 179; cf. Manitius Gesch. d. L. L. des Mittelalt. I 137; 'Wiener Sitzungsber.' 1886 p. 606 sqq.); quacum comparandus cod. Londinensis Mus. Brit. (bibl. Reg. cod. 15 B XIX) in fol. 86^{a} saec. IX/X: *DE GENERIBVS VOCVM. Apes abizant uel bambizant. Aquilae clangunt. Anseres crinciunt uel trinuunt. Aues minuriunt siue ũnicant uel uernant. Accipitres pipant. Anetes teretizant. Arietes crissitant uel glaterant. Apri frendunt. Asini uncant uel ridiunt. Arma crepant. Aes tinni. Afora profusa bilibit* (add. m. s. XVI *Barrus barrit*). *Boues mugiunt* (add. m. s. XVI *Cameli blaterant*). *Cornices butant* (add. m. saec. XVI *Cuculi cuculant*). *Cigni dessistant. Cycadae fretinniunt. Ciciniae* (ex *Coc.*) *cratalant et grotalant* (et s. scr. *uel critalant*) *uel cracci* /// /// /// /// *tant. Corui crocciunt uel croccant. Capri mictiunt. Canes balibant uel latrant siue ganniunt. Catuli gratilant. Cerui ruguunt. Citharae sonant.*

*Canis uenetica nictit. Elephanti brariunt. Equi hinniunt uel grugulant. Gallinae cacinant uel gurguriunt. Calue fringilliunt. Craculi grinciunt. Herondines trissistant uel trissant. Hyenae hirriunt. Hedi balant uel belant. Infantes uagiunt uel u///uahunt. Leones fremunt. Linces hircant. Lepores uagitant. Lupi hululant. Littera murmurant. Milui uigiunt uel uigilant uel lu***. Merulę zinzilant. Mustelae drindrant. Mures mitriunt uel muniunt. Noctuae cucubiunt. Olores drensitant. Oues balant. Onagri uagillant. Palunbes runcitant. Passeres litiant uel parri///tinnipant* (erasa *n*; ultimae *nt* evanuerunt). *Paui paululant. Perdices cacabunt. Pulli pipinant* (*uel perpinant* s. scr. m 1). *Panterae chanriunt. Pardi peliunt. Porcelli grunniunt* (*Porci grundiunt* adscripsit m. 1). *Ranae coxaxant. Sturni parsitant. Surices deditant. Serpentes sibilant. Siluę strepunt. Turdi socitant uel faccillant* (infra add. m. 1: *Tauri mugiunt*). *Vultures pianbant. Venti flant et tremunt. sibilant. Vrsi urgunt uel seuiant. Verres quintant. Vulpes eiulant. Homines loquntur. Rustici iubilant.* † *Tigrides bracant. Tube clangunt* (signum † indicat non suo loco haec esse posita). *Haec genera uocum non ad uocum sonoritatem tantum pertinent quam discretionis gra prolata sunt.* — Similia insunt in cod. Cantabrigiensi (univ. libr.) L l I 14 saec. XIV, item in cod. Matritensi bibl. nat. A 16, sed multis corruptelis inquinata, quas nolo repetere.

Haec habui quae de vocibus animalium proferrem, quamquam totam hanc quaestionem exhaurire neque volui neque potui: sed quae a me adnotata essent ab hac praefatione prorsus excludi aut perire nolui.

CAPVT X. DE SCHOLIIS ET TRACTATIBVS GRAMMATICIS

§ 27. De fontibus glossariorum qui quaerere sibi proposuerint, nimirum scholia vetera, quippe ex quibus haud levissimam materiae glossematicae partem fluxisse constet, non praeteribunt. Quis enim est qui nesciat — uno ut utar exemplo — quot glossae doctiores ex Servii commentariis provenerint cum genuinis (cf. *Acidalia, Aconita, Acta, Adamas, Aganippe, Aminea, Amomum, Amphion, Amsancti, Ancora, Annuo, Arbustum, Ardens, Atridae, Axis*) tum Danielis quae dicuntur (cf. *Agitator, Amera, Vannus*), quarum magnum numerum in Thesauro glossarum emendatarum indicavi? Quae per quos rivulos mearint antequam glossariis sint insertae quo saepius dubitabis, eo acceptiora nobis erunt opuscula quaedam ex vetustate propagata quae doceant, talis transitus quomodo certe potuerit evenire. Qualia opuscula in tres classes discribi possunt. Ac prima quidem scholia amplectitur quae forma non mutata sublata et in ordinem litterarum aliquem redacta sunt. Cuius classis luculentissimum specimen excerpta praebent ex

scholiis Bobiensibus Ciceronis tracta et a me tomi V p. 657—660 edita (de quibus nunc editionem Stanglii optimam II p. 281 sqq. post ea quae olim Nov. annal. t. 143 p. 429 sqq. exposui conferas). Quae glossae continuo ordine se excipientes si glossario nescio cui illatae essent, non potuerunt non disici ac disturbari. Alteri classi tribuo scholia contracta et ad glossarum similitudinem adducta, cuius exemplum produnt glossae Iuvenalianae publicatae olim ab Henrico Keil in Ind. Hal. a. 1876, repetitae a me tomi V p. 652 sqq., de quibus quae Ernestus Lommatzsch Quaest. Iuven. (a. 1895) p. 9 sqq. et W. Heraeus Woelfflini Arch. IX p. 594 sq. exposuerunt conferri iubeo. Quas glossas e scholiis factas esse ipsa forma testis est[1]); contractas esse easdem velut ex his disces vel similibus exemplis: VI 631 *Adipata dulcia;* cf. *dulcia, placenta veneno plena;* XIV 5 *fretillum fimo purgo;* cf. *fritillus pyxide cornea qui fimus dicitur graece ... aut fritillum pyrgum dixit;* VI 604 *Salios nobiles;* cf. *de familia nobili nomen tenuerunt;* VI 400 *Paludatus clamidatus;* cf. *euntibus ad militiam, clamidatis scilicet.* Ex parte autem tantopere decurtata sunt scholia, ut genuina forma magis magisque exuta ad glossarum similitudinem quam proxime accederent. Tertiae classis glossae sunt quae scholiorum pristina forma omnino abiecta proprium glossematum habitum induerunt. Cuius classis exemplum in glossis Terentii relictum esse censeo, quas quinti voluminis p. 529 sqq. edidi; in quibus vestigia scholiorum quamquam rarissima sunt, tamen aliquoties apparent veluti haec: *aliorsum aliter dicit* (531, 5); *accede ad ignem hunc: hoc est ad amorem tuum* (531, 6); *contumelia: quod pater inique fecit* (531, 41); *cetarii: salsamentarii a ceto* (532, 53); *facinus: nunc scelus, alias factum* (534, 28); *gestiam: nunc exultem, alias cupiam* (534, 46). Longe plurima tamen exempla a glossis iustis nullo modo discedunt. Quod genus non semper dignosci poterit ab interpretamentis olim intra versus librorum ad explicanda difficiliora vocabula positis, quae numquam scholiorum formam habuerunt: quales libri interpretamentis exornati permulti ad nos pervenerunt, nec dubito aperte profiteri ingentem molem glossarum huius esse prosapiae videri. Glossatores autem, si hoc vocabulo uti licet, aut ex vetustioribus sive scholiis sive interpretamentis pendent, aut ipsi de suo haec interpretamenta creaverunt: ex quibus interpretamentis una cum lemmatis exscriptis et ad litterarum ordinem digestis fundamenta glossariorum quorundam evaserunt, de quibus infra seorsum tractabitur.

Inter scholia nulla tam saepe in glossario generali occurrunt quam

1) De his scholiis exspectanda est disputatio Wessneri, quam alio quodam loco editum iri auctor ipse, cum haec pars iam typothetae tradita esset, mihi scripsit.

Vergiliana: quorum etsi haud pauca in thesauro glossarum enotavi, tota tamen materies non ante exhauriri poterit quam indices commentariorum Vergilii meliores quam nunc exstant confecti et publicati erunt. Quod in recentioribus glossariis copia scholiorum Vergilianorum etiam maior est quam in vetustioribus, inde factum esse scito, quod ingens locorum multitudo ab Isidoro episcopo Hispalensi excerpta et in etymologias translata est: ex cuius rursus copiis recentiores dici nequit quot modis pendeant. De quibus scholiis ab Isidoro adhibitis docta nunc exstat Georgii Homeyer disputatio (de scholiis Vergilianis Isidori fontibus .1913), qui post Barwickii (Philol. 70 a. 1911), Philippi (die historisch-geograph. Quellen in den Etymol. des Isidorus v. S. a. 1912), Lammerti (de Hieronymo Donati discipulo. Com. Ien. IX 2) curas demonstravit Isidorum et Servii genuini scholia plurima exscripsisse et commentarium illum additicium, qui Lammerto non diversus esse videtur a Donato, pleniorem tamen quam nunc est, id quod Donati in Terentium commentarii locis, item Hieronymi et scholiorum Lucani Statiique demonstrari potest. Quae omnia et multa alia cum neglexerit Schmekel in libro nuper edito (Die positive Philosophie II Isidorus von Sevilla, sein System und seine Quellen. Berlin 1914), huic certe quae est de fontibus quaestioni satis facere nullo modo potuit; nec me movit, ut meam quam dudum mihi informaveram de his rebus sententiam abicerem. Atque spero mox[1]) ab alio viro docto in Schmekelii rationes diligenter inquisitum iri. Praeter scholia Vergiliana adscita sunt in glossariis quamquam rarius commenta in Lucanum, Persium, Iuvenalem, item Statium, quorum locos aliquot in thesauro glossarum attuli, multo plures tamen indagari posse nunc scio. De glossis Iuvenalis conferenda sunt quae apud Friedlaenderum in ed. Iuven. praef. p. 106 sqq. composui, quibus haud pauca nunc addere possum. De scholiis Lucani apud Isidorum cf. Endt 'Isid. und die Lucanscholien' Wien. Stud. XXX p. 294 sqq., Philipp l. s. s. p. 59 sqq. — Etiam Ovidii scholia quaedam exstiterunt, quorum vestigia, ut unum afferam exemplum, codex Parisinus lat. 7530 saec. VIII servavit. Exstant ibi in fol. 302ᵃ, 303ʳ, 303ᵃ glossulae sic inscriptae: *INCIPIT GLOSE. Almus s̄cs sibe abolendo dictus. Arbiter iudex eo quod arbitrio suo causas dirimat* e. q. s., h. e. glossae eaedem

1) Nec haec spes me fefellit; interim enim praeter doctam Wellmanni censuram de hoc libro scriptam (cf. 'Berl. philol. Wochenschrift' a. 1916) commentatio prodiit Wessneri ('Isidor und Sueton' Hermae tom. LII a. 1917 p. 201 sqq.), qui non modo Schmekelii rationes optimo successu confutavit, sed simul planissime docuit, quomodo librum suum compilaverit et ex quibus fontibus episcopus Hispalensis.

fere quas exhibui V p. 546 sq. ex cod. Vaticano 1471; in his sunt etiam glossae ad Metam. I 1 sqq., quarum pars sine dubio ex scholiis fluxit. Sed cum plenior sit cod. Parisinus, priorem certe glossarioli partem hoc loco exhibere visum est.

Fol. 302^{v} *INCIPIT GLOSE. Almus sanctus sibe abolendo dictus. Arbiter iudex eo quod arbitrio suo causas dirimat. Aether cęlum quia nobis non uidetur et igneus esse dicitur. Aethera aer. notandum quia aer accusatiuum singularem aera facit sicut aether aethera. Arduus altus. Artum strictum. Affatim abundanter id est nutritor siue nutritus. Alamnus et qui alit et qui aletur. Auceps aues capiens. Aerumna miseria. Equor mare siue capus abequalitate dictum. Atrox crudelis. Equitas iustitia. Agelasus dicitur qui numquam ridet. Angor tristitia. Augur diuinus dictus eo quod auium garritus idest uoces adtendat. Auia extra uiam. Euum saeculum. Tellus terra dicta quia ex ea fructus tollimus* (Metam. I 12). *Chaos permistio elementorum qualis mundi fuit antequam per species diuideretur. G C.* (I 7). *Rudis nouus* (I 7). *Indigesta incomposita* (I 7). *Molis magnitudo* (I 7). *Necquicquam nec aliquid* (I 8). *Iners piger* (I 8). *Congesta adunata uel permixta* (I 8). *Titan sol* (I 10). *Phoebe luna* (I 11). *Librata suspensa ex equali parte* (I 13). *Amphitrites oceanum mare magnum extremitas unius cuiusque rei* (I 14; contaminata; cf. *margine* I 14). *Pontus mare* (I 15). *Innabilis innatabilis qui natare non potest* (I 16). *Lucis egens lucem opus habens quasi dixisset obscurus* (I 17). *Obstabat repugnabat* (I 18). *Vmenia humida* (I 19). *Diremit separauit secreuit segregauit diuisit* (I 21). *Liquidum celum subtile dicitur et perspicuum* (I 23). *Spissum grassum uel pingue* (I 23). *Exemit eduxit* (I 24). *Aceruus congregatio lapidum uel cuiusque rei sed et congregatio manipulorum sic dicitur* (I 24). *Dissociata disiuncta* (I 25). *Conuexum decursum uel inclinatum* (I 26). *Emicuit superius se extulit* (I 27). *Arx summitas uel repugnacula seu domus* (I 27). *Densior spissior* (I 29). *Elementa initia cuiuscumque rei uel litterae* (I 29). *Circumfluus qui circumfluit id est circundat* (I 30). *Coercuit refrenauit* (I 31). *Congeriem congregatione* (I 33). *Secuit secauit* (I 33). *Foret esset* (I 35). fol. 303^{r}. *Glomerauit insimilitudinem gloui rotundam effecit* (I 35). *Freta maria* (I 36). *Ambite circumdare* (I 37). *Stagna stando dicta ubi aqua pigra est* (I 38). *Obligum decum decursum* (I 39). *Partim diuisa per partes* (I 40). *Liuerior largior* (I 42). *Plaga quaelibet pars mundi ut oriens uel occasu* (I 48). *Totidem alias tantas* (I 45). *Temperiem temperamentum* (I 51). *Imminet desuper pendet* (I 52). *Onerosior ponderosior* (I 53). *Consistere inesse* (I 54). *Motura mouitura* (I 55). *Obsisto resisto* (158). *Flammina uentorum flatus* (I 59). *Lanient lacerent* (I 60). *Eurus nomen uenti* (I 61). *Nabathea regna orientalia* (I 61). *Iuga summitates montium* (I 62). *Occiduo occidentali* (I 63). *Zephyrus fabonius* (I 64). *Horrifer horridus* (I 65). *Pluuius pluuialis pluuio pluuiali* (I 66). *Carentem non habentem* (I 67). *Disepserat diuiserat* (I 69). *Neu et ne* (I 72). *Orbus dicitur et qui lumen amittit et qui eum quem diligit* (I 72). *Sublimis altus* (I 85). *Satus seminatus* (I 89). *Visere uisitare* (I 94). *Norant nouerant* (I 96). *Praecipites decliue inclinate* (I 97). *Oppidum ciuitas* (I 97). *Inmunis sine munere* (I 101). *Saucia uulnerata* (I 102). *Arbuteos fetas. poma arbuti quam arbertum dicunt* (I 104). *Herentia pendentia* (I 105). *Patula aperta* (I 106). *Nectaris dulcedinis suauitatis* (I 111). *Flauum coloris aurei* (I 112). *Subiit ascendit* (I 114). *Deterior peior* (I 115). *Fuluus color est qualem harenam uidemus habere. nam et aurum fului coloris est* (I 115). *Iuppiter iouis* (I 116). *Vstus incensus* (I 119). *Canduit nunc ab igne caluit nunc splenduit* (I 120). *Subire in-*

trauere (I 121). *Frutices breues uirgulę* (I 122). *Obruta cooperta* (I 124). *Promptior paratior* (I 126). *Nauit natauit* (?). *Nauita nauta* (I 133). *Opifex artifex. Protinus ilico. Probus bonus. Probitas bonitas. Praestolatur exspectat. Potitur (ex Portitur) fruitur. Graius gregus. Danaus grecus. Paelasgus graecus (ex graegus corr.). Atrum nigrum. Claucum uiridem. Iliades singulari numero romulus intellegitur filius iliae et est patronomicum plurali numero aliades. troiani uel troianę dicuntur. ab alio oppido. est autem nomen patriae . . .*

Etiam in eis quae secuntur nonnullae sunt glossae, quae non sine causa ad Ovidium referantur; sed longe plurimae alienae sunt et recentioris aetatis. Talia excerpta ad alphabeti ordinem digesta facile glossariorum formam induebant: quibus cum aliis glossariis contaminatis vestigia prisci fontis magis magisque obscurabantur. Ex scholiis autem natas esse has glossas velut uno ex exemplo disces: *Iliades singulari numero romulus intellegitur filius iliae et est patronomicum plurali numero. aliades troiani uel troianę dicuntur ab alio oppido. est autem nomen patriae.* Quae spectant ad Metam. XIV 781 (cf. Prisc. II 34). Adde *fuluus color est qualem harenam videmus habere. nam et aurum fulvi coloris est.* Haec pertinent ad Met. I 115. Excerpta igitur haec esse ex scholiis glossisque marginalibus probabile existimo.

§ 28. Ad scholia de quibus longus esse nolo tractatus grammatici accedunt, quorum copias in glossarum formam mutatas glossographi in suum usum converterunt.[1]) Quot glossae Pseudocyrilli ex libro illo grammatico cuius § 7 rationem habuimus desumptae sint, supra expositum invenias. Inter scriptores quorum copias studiose adhibuerunt glossographi non infimum locum Hieronymum obtinere, doctum Donati discipulum, iam ab aliis perspectum est (cf. quae Loewe Prodr. locis plurimis adnotavit). Veluti additamenta codicum Parisini 7690 (a) et ex parte Hauniensis (c) ad Hieronymi commentarium Iesaiae redire, non ad nomina sacra quae Lagarde ediderit (cf. nunc 'Eusebius Onomastikon' ed. E. Klostermann 1904), iam Roensch adnotavit Mus. Rhen. vol. XXX (1875) p. 449 sqq.; certe vocabula hebraica in illo commentario exstare. Multas glossas eum qui libri glossarum materiam congessit ex Hieronymi commentariis hausisse iam ex eis cognosces quae in commentatione de libro glossarum scripta p. 262 (= 52) dixi. Alia Fridericus Lammert Philol. N. F. XXIX a. 1919 p. 395 sqq. et 'Berliner phil. Wochenschr.' 1917 p. 222 sqq. attulit. Quamquam haec

1) Ex collectionibus nescio cuius grammatici adverbia illa Plautina fluxerunt, quae Fridericus Ritschl Opusc. phil. II p. 228 sqq. optime tractavit. Nomen 'glossarii' his excerptis immerito tribuitur; nam mera lemmata sunt, interpretamentis praeter paucissima non additis. Talia legenti facile in mentem veniunt, quae Iulius Romanus in capite de adverbio ex Statilii Maximi quaestionibus excerpsit.

quaestio nondum exhausta est, ne eis quidem quae in Thes. gl. em. attulimus. Etiam in glossariis anglosaxonicis multa inesse quae ad Hieronymum pertineant infra docebimus.

Ex recentiorum grammaticorum serie duo inprimis glossographorum arva irrigaverunt (de quibus in 'Mélanges Boissier' paucis disputavi p. 223 sqq.), Priscianus et eius discipulus Eutyches (vel Euticius). Atque 'glossae de libro Eutitii' leguntur in cod. Parisino 14087 saec. IX fol. 97r—98v eaeque tam exiles sunt atque aridae, ut cur diutius in iis immorer non habeam. Plura de Prisciano dicenda, quippe ex quo et graecae et latinae glossae haud paucae emanarint: quarum cum per totam mediam aetatem vestigia pertineant, cur nihilo minus in glossariorum editione alto premantur silentio, paucis hoc loco exponam.

Agmen ducat glossarium copiosum, quod ex codice Laudunensi olim Miller edidit (cf. Notices et Extr. XXIX p. 118 sqq. Corp. gloss. lat. II p. XXVI sq.), ita compositum, ut grammaticus quidam (Martinus, si recte coniecit Miller), siquidem qui scripsit grammatici nomine non indignus putatur, graeca vocabula quae apud Priscianum exstent excerperet, excerpta latina interpretatione adnotationibusque suo Marte augeret: quo in negotio quomodo graeca vocabula corruperit, in partes dissecuerit particulis propriam vitam tribuens, etymis ineptissimis explicuerit, barbariae specimina sordesque insulsas immiscuerit, qui historiam studiorum graecorum in parte regni occidentali rimabuntur, non glossariorum perscrutatores linguam latinam illustraturi tractabunt.

Inter glossaria latina quae ex Prisciani libris enata sunt primo loco liber glossarum, quem Ansileubo episcopo multi tribuerunt, commemorandus est, in quem tractatum de vocis differentiis transisse in commentatione de libro glossarum scripta p. 55 = 265 exposui. Multo tamen et plura et uberiora excerpta Papiae elementarium continet, in quo quicquid in omnibus paene libris Prisciani, Boetii aliorumque invenerit iisdem notatum esse apicibus auctor dicit idque verum esse infra probabitur. Nec solum nomine adscripto excerpta Priscianea exhibet Papias, sed multo plura nomine oppresso, inprimis disputationes observationesque ad artem grammaticam pertinentes; nec uno loco Priscianea cum aliis additamentis contaminata invenies. Tertio loco commemoro 'derivationum' librum cum exemplis antiquorum scriptorum, adscitum illum in vastis concinnandis collectionibus Osberni monachi Glocestriensis (cf. A. Mai t. VIII) et Hugucionis Pisani, in quo libro et Prisciani excerpta uberrima et Pauli glossas plurimas exstare comparatis utriusque corporis copiis facile demonstrabis. De his omnibus infra diligentius agetur. — Restat ut de glossariis dicam quae ad ipsa Prisciani verba illustranda composita esse constat. Vnum ex

his iam Martinus Hertz commemoravit, qui praef. Prisciani p. XXIX haec scripsit: 'talium scholiorum corpus ex interpretamentis Scotorum, Donato, Servio, Paulo, Beda aliis consarcinatum exstat in codice monasterii Einsidlensis n. 32 saec. XI, membr. formae oct.' Quem codicem etsi oculis non vidi, tamen eandem farraginem continere suspicor quam in codicibus Leidensi inesse et Parisino possum testari. Codicem Leidensem (Voss. oct. 37, saec. XI) descripserunt Keil GR. L. I p. XXIII et Steinmeyer AHD. GL. IV p. 480, qui theodisca inde vocabula excerpsit. Glossae Priscianeae continentur p. 1—30, unde mihi excerpta praesto fuerunt quae Thewrewk de Ponor Loewio olim transmiserat. Codice Parisino lat. 7730 = Reg. 5069 saec. X usus est Keil in glossis Iuvenalianis edendis (ind. Hal. a. 1876). Prisciani glossae insunt in fol. 95^{v}—108^{v}, ex quibus nonnulla excerpsit Gundermann. Omnino confitendum est Hertzium de his glossis optime iudicasse; certe non fuit cur corpori glossariorum inferrentur.[1])

Ex medii aevi grammaticis affero Bedam, cuius liber de orthographia cum Placidi glossis et aliis contaminatus in codice Vaticano 1469 saec. X legitur, de quo IV praef. p. XVII, V praef. p. XVIII et p. XXX dixi. De Paulo Diacono qui Festi epitomen confecit infra tractabitur. Ex Eucherii libris non pauca in glossaria transisse Loewe saepius adnotavit. Mitto nunc glossas in 'librum glossarum' qui dicitur translatas, de quibus infra paucis disputabitur: satis sit hoc loco 'formulas spiritalis intellegentiae' commemorasse, unde nescioquis excerpta fecit et in glossarii formam redegit ('*glossae spiritales secundum Eucherium episcopum*'), quas glossas frequentissime in libris exstantes separatim Carolus Wotke edidit (cf. Pitram Spicil. Solesm. III p. 400) et docto commentario illustravit 'Sitzungsberichte der Philosophisch-historischen Classe der Kais. Ak. d. W.' vol. 115 (Wien 1888) p. 425 sqq.; cf. eiusdem editio (Corp. Script. eccl. lat. vol. XXXI) p. XVI. Incipit sic: '*Agricola deus, Ager mundus, Aures domini exauditio divina, Arcus intentio conminationis domini, Arma domini adiutoria eius in sanctos, Aquilo diabolus vel homines infideles, aquilo ventus, Auctor calor fidei, Aer inanis enuntiatio, Aestas venturae iocunditatis praefiguratio*' et sic explicit: '*umbra peccata, umbra aliquando poenae, umbra dilectio peccatorum, vigilare custodiam cordis adhibere, via Christus, zizania scandala vel male viventes,*

1) Etiam cod. Paris. lat. 7501 in fol. 211^{v}—220^{r} glossas ex Prisciano continet; item cod. Paris. lat. 13023 saec. IX. Cod. 7501 quomodo cum commentario Remigii Autissiodorensis cohaereat quem scripsit in Priscianum tetigit Manitius p. 508. Perbonum exemplar harum glossarum est in cod. Vaticano reg. Christinae 1650 saec. IX in fol. 11^{r}a—39^{v}a. Ex huius libri excerptis vidi permulta libro glossarum deberi.

zelum indignatio.' Quae excerpta cum in glossaria penetraverint, miras interdum turbas contaminatione procreaverunt, de quibus videas quae in Thesauro glossarum emendatarum hic illic suis locis adnotavimus.

Inter tractatus grammaticos, ex quibus glossographi hauserunt, Dosithei copias fuisse glossariolo demonstratur quod V p. 660—664 exhibuimus: quibus excerptis si interpretamenta addita essent, facile in ordinem glossematum inseri potuerunt. Etiam differentias Isidori in glossarum formas esse mutatas cod. papyraceus Sangallensis 226 testis est, quem Carolus Wotke accurate tractavit (cf. 'Sitzungsberichte d. Phil.-hist. Cl. d. Kais. Ak. d. W.' CXXVII pars 1). His adde glossaria ex Fulgentii Expositione sermonum antiquorum quae supra (p. 74) tractavimus, adde Nonii glossas, de quibus in eodem capite disputavimus, adde excerpta quae glossis 'asbestos' (IV praef. p. XVIII) inserta esse dixi Mus. Rhen. vol. XL (a. 1885) p. 324 sqq. et infra § 36; adde 'glossariolum de domiciliis', quod in multis libris exstare et variam formam subiisse ex docta disputatione cognosces, qua Christianus Huelsen has reliquias illustravit; cf. 'Mitteilungen des K. D. Archäol. Instituts' (Rom. 1902) vol. XVII p. 255 sqq., ex qua commentatione quid alii de his reliquiis censuerint commode disces (lemmata sunt *proaulum, salutatorium, consistorium, tricorum, zetae hiemales, zetae aestivales, epicastorium, triclinia accubitalia, thermae, gymnasium, colina, colimbus, hypodromum,* scilicet ad partes principales pertinentia quae in hominum nobilium domibus distingui solebant); quibus non dubito quin alia excerpta addi possint et possent, nisi fatis glossariorum modo contractorum modo auctorum modo aliter mutatorum quominus fontes cognoscerentur impediretur.

§ 29. Ex Isidori episcopi Hispalensis copiis glossographos multa abstulisse iam saepius commemoravimus: quocum qui inscriptionem secuntur quam Vulcanius glossis Scaligeri (cf. V p. 589 sqq.) praemisit ('Liber glossarum ex variis glossariis quae sub Isidori nomine circumferuntur collectus') glossarium olim a multis laudatum vinculo quodam artiore coniunctum esse existimabunt. 'Glossae Isidori' etiam in libro manuscripto Andegavensi glossario abavus minori praescriptum est, quod vol. IV praef. p. XXII commemoravimus. Sed si verum est quod Albertus Lemarchand ibidem de hoc codice dicit, inscriptio inde ducta est, quod illae glossae inter varia opuscula Isidori exaratae leguntur. Quas glossas nullo esse vinculo coniunctas cum eis quae 'Isidori' nomine a Scaligeri temporibus circumferebantur non est quod moneam. Ipsas vero 'Isidori glossas' quae dicuntur revera non esse Isidori Hispalensis aut nescio cuius Isidori iunioris, sed sexto decimo demum saeculo ex variis glossariis collectas et His-

palensi episcopo attributas infra § 60 copiosius exponetur. De his igitur glossis eo capite in quo versamur non disputabitur.

Igitur de glossariis quae Isidorus inspexerit quaerentibus initium capiendum erit a glossis Placidi, de quibus supra iam disseruimus (cf. cap. VI; adde Philipp l. s. s. p. 65 sq.). Ex quali libro pendere videatur Isidorus, praef. V p. XV indicavi: nempe 'ex eadem memoria [h. e. ex memoria quae est in magno libro glossarum] ni prorsus fallor pendet Isidorus; quibus idem differt, eis merito diffidemus, cum satis libere eum versatum esse in excerpendis auctoribus dudum intellectum sit'. Cf. commentatio mea 'der liber gloss.' p. 63 [= 273] sqq. Locos ipsos plurimos Deuerling in ed. sub apparatu, ipse in glossario generali indicavimus; neque habeo cur in hac re diutius verser, praesertim cum Wessner commentationis supra allatae pag. 263 sqq. optime de eadem re disputaverit, Placidi locos qui cum Originibus componi possunt collegerit, rationem qua Isidorus in his glossis adhibendis usus sit illustraverit.[1]) Isidorum autem praeter Placidum etiam alia glossaria adhibuisse neque demonstrari neque refutari posse opinor; primum enim non omnia quae olim exstiterunt glossaria ad haec tempora propagata esse constat; tum Isidorum manifestum est multa ex scholiis Vergilianis petisse, ex quibus etiam glossaria amplificata sunt; denique quae similia aut eadem leguntur apud Isidorum et in glossariis inde explicanda sunt, quod copiae Isidori a glossographis libentissime excerpebantur.

Ex scriptis Isidori inprimis liber decimus Etymologiarum huc spectat, cuius haec est praefatio (in edit. Arevali): *VOCVM CERTARVM ALPHABETVM. 'Licet origo nominum unde veniat a philosophis eam teneat rationem, ut homo ab humanitate, sapiens a sapientia nominetur, quia prius sapientia, deinde sapiens, tamen claret alia specialis in origine quorundam nominum causa, sicut homo ab humo, unde proprie homo est appellatus. Ex quibus exempli gratia quaedam in hoc opere posuimus.*' Ex quibus fontibus hauserit Isidorus ea quae decimo libro inseruit, ex parte iam Arevalus in adnotationibus optime exposuit; perspexit enim permulta ex scholiis Vergilianis profluxisse (cf. etiam quae Thilo de eadem re praef. p. XXXIX sqq. disseruit). Praeter scholia Servii quae feruntur etiam Donati commentarios, tum patres ecclesiasticos exscripsit, Augustinum, Hieronymum, Lactantium, Cassiodorum, alios; nec incredibile nonnulla ipsi Isidoro deberi. Ceterum hunc librum seorsum propagatum esse et descriptum ut integrum ita additamentis auctum certum est; cf. Loewe Prodr. p. 167, 21. Velut

1) Cf. idem ibidem: 'Nimmt man dies zusammen ..., so wird man doch wohl bei der alten Ansicht bleiben müssen, daß Placidus zu den Quellen Isidors gehört'.

in cod. Bern. 416 saec. XII glossarium exstat ab his glossis incipiens: *Argutus dr̄ qui argumentum cito inuenit in loquendo, Agilis ab agendo aliquid celeriter sicut docilis dr̄, Aerumpnosus ab erumpna* (*a rumine* codd. Isidori) *dictus quia miser per inopiam factus esurit et sitit, Astrosus ab astro dictus quasi sub malo sidere natus;* quae omnes ex Isidori libro excerptae sunt. Sed etiam aliunde quaedam illata esse his exemplis credes: *decempeda dr̄ uirga x pedum qua mensuratur terra, Euripus dr̄ fervor maris unde tractum est hoc nomen Euripides cuius pater in die natalis eius hostes suos navali praelio uicit eu bonum rippus quasi ripa inde maris feruor dr̄ eurippus quasi bona ripa per contrarium,* ut alia mittam. Excerpta quae mihi ad manum fuerunt Gundermanno debeo. Insunt etiam singularia quaedam, quae tamen ad mediam potius aetatem quam ad antiquitatem illustrandam pertineant. Velut haec: *merges dr̄ gerba quia in agro mergitur et sternitur.*

Praeter librum decimum etiam alias partes Originum excerptas esse ex eis disces quae in Thesauro glossarum emendatarum data occasione adnotavimus. Velut in cod. Parisino 5014 saec. XII leguntur '*exceptiones de ysidoro ethimologiarum. Analogia graece latine similium operatio*' e. q. s. Etiam parvolum illud glossarium codicis Parisini 7530 saeculi VIII, quod edidit ex 'Esidori iunioris Palestinensis episcopi' (scr. Isidori iunioris Hispalensis episcopi) codice Gaisfordius scriptor. lat. rei metr. p. 573, paucis tetigit Loewe Prodr. p. 231 sq., ex Isidori Originibus excerptum est. Exstat in codicibus plurimis, velut in cod. Leidensi Voss. lat. oct. 74 saec. IX p. 289—291, in cod. Guelferbytano 481 saec. IX, in Florentino S. Marci 38, in Veneto Bessarionis 497 saec. XI, Harleiano 3826; ex quo glossariolo multa in maiora glossaria recepta sunt, ut in cod. Carnotensi 90 nonnulla exstant. Prima verba haec sunt (in Parisino): *INCIP GRAMMATICAE ARTIS NOMINA GRECE ET LATINE NOTATA. Poeticus liber. Poeta unius libri opus. Poesis multorum librorum. Edilyon paucorum versorum, Monostichon unus versus. Distichon duorum versorum. Ephodon clausula in poemate. Epigramma titulus:* quibuscum conferas Isidori Orig. I 39, 21—23. Adde haec: *Macra longa. Brachia brevis. Oxia acuta. Baria gravis. Perispomeni circumflexus. Dasia hispidum vel asperum unde et haspicio* (*aspiratio?*) *Psile lene vel purum* (cf. Orig. I 19, 1 sqq.). Non desunt glossae aliunde illatae, velut ex Placido hae: *Thema norma vel forma sive materia. Periodos clausula sive circuitus nam colę totus versus est commata autem ipse incisiones pedum periodos vere tota sententia.* In plerisque exemplaribus velut in Leidensi prima glossa est *Poeta vates*; inscriptio ibidem est haec: *Incipiunt grammatice artis nomina grece et latine natura* (h. e. *notata*, ut est in Parisino).

Item ex Isidoro fluxerunt 'flosculi ex etymologiis breviter ablati ab Auxilio presbytero', qui exstant in cod. Vatic. 1469 (cf. IV praef. p. XVIII) in fol. 223ᵛa—271ᵛb, translati hinc in cod. Cassin. 90 (*Incipiunt flosculi ethimologum breuiter ablati ab Auxilio pb'ro* scripsit m.saec.XIII pro alia inscriptione nunc deleta), sed coniuncti cum alio glossario amplissimo, de qua re haec adnotavit Loewe: 'Vergleicht man den Auxilius des Casinensis mit dem des Vaticanus, so ergibt sich, daß ersterer mit einer gewaltigen Anzahl reiner Glossen (jedenfalls einem ganzen Glossar) verschmolzen ist. Im Vaticanus ist fast nichts von eigentlichen Glossen zu spüren, alles sind etymologica. Daß nun der Casinensis interpoliert, der Vaticanus der ursprüngliche Auxilius ist, ergibt sich aus dem Titel: *flosculi ex etymologiis breviter ablati* gibt ja an, daß es Excerpte aus den Origines sind. Ein Vergleich des Buchstabens Y in beiden Handschriften zeigte, daß der Casinensis alle Glossen des Vaticanus hat (noch viel andere natürlich außerdem), und zwar die Glossen 1—5 in derselben, die von 6—10 aber in umgekehrter Reihenfolge. Die Varianten der beiderseitig erhaltenen Glossen sind fast gleich Null. Das einverwobene Glossar ist aufs engste verwandt mit Cas. 402[1], somit aber auch mit der Sippe des Vatic. 1469[1]). De Auxilio, eodem procul dubio cuius in cod. Casin. 30 exstant quaestiones in Genesin (*Auxilii presbyteri quaestiones*), cf. Manitius p. 437 sqq., ubi alii fontes indicantur. Codicem Vaticanum ex Casinensi bibliotheca provenisse idem Loewe probabile videri adnotavit.

Talia autem excerpta exstant permulta, velut quae traduntur sub titulo 'Origo quorundam nominum per alphabetum' e. q. s. in cod. Parisino lat. 8865 (suppl. lat. 10. 2) saec. XIII fol. 216ʳ—262ʳ; adde cod. Parisinum 1750 in fol. 146—152; item cod. Parisinum lat. 16592 saec. XII, ex quo nobis excerpta misit O. Roßbach. Eodem pertinet glossarium codicis Bernensis 243 saec. X in fol. 1—9. Inter excerpta porro quae ex Isidoro fluxerunt haud mediocrem auctoritatem nactum est 'Summarium Heinrici' quod dicitur, de quo conferenda sunt quae post alios exposuit Steinmeyer tertio volumine: cuius paginas 58 sqq. editio ipsa occupat; de codicum classibus et historia critica p. 701 sqq. disputatum est. Quod 'summarium' post a. 1007 ortum esse inde constat, quod inter sedes episcopales Bambergensis enumeratur. Sed ut ad studia theodisca multum valet ita latinis quaestionibus paucissima quae bonae frugis sint adferre potest. Agmen claudat qui glossarium illud contexuit, cuius nuper fragmentum edidit ex codice Seidenstettensi saeculi XIII Petrus Ortmayr (Ein Bruchstück aus einem mittelalterlichen alphabetischen Glossar in der Seitenstettener Stiftsbibliothek, Linz 1913), quamquam etiam aliunde haud pauca immixta sunt, velut

ex Servio et Prisciano. Sed nullum medii aevi opus doctum tanto opere pendet ex Isidori libris, quam quod Ansileubo vulgo tribuunt Francogalli, apud nos sub nomine 'libri glossarum' notissimum, de quo nunc diligentius disserendum esse putavi: in qua disputatione me haud pauca repetisse ex commentatione mea de hac encyclopaedia olim proposita et Actorum societatis regiae Saxonicae volumini XIII inserta semel monuisse satis erit.

CAPVT XI. DE LIBRO GLOSSARVM

Cf p. 331, 27 sq.

§ 30. 'Liber glossarum', quo nomine per se quaevis glossarum collectio dici potuit, medii aevi magnam illam encyclopaediam inscriptam esse de qua vol. V praef. p. XX diximus codices quidam testantur, velut Bernensis, item Bambergensis (*incipit liber glossarum*): adde quod codex Palatinus in vetere catalogo Laureshamensi *'liber grandis glossarum'* dicitur. Vnde factum est, ut nos quoque Vseneri et Loewii exemplum secuti hoc nomen tamquam peculiare vasto illi glossario multis eisque vetustissimis libris tradito tribuerimus.

Ansileubi esse hoc glossarium in codicis Cambracensis vetustissimi folio primo anonymus adnotavit verbis hisce: Note qu'un anonyme a mise au premier feuillet du Ms. de S. Germain. "M. de Caseneuve dans ses Origines cite souvent le Glossaire d'Ansileubus Evesque Goth. comme sur les mots *armoiries, Mouton, Quay.* ce qu'il en cite sur ces trois mots se trouve dans ce glossaire, ce qui fait conjecturer que ce glossaire est veritablement celuy d'Ansileubus de M. de Caseneuve". H. D. M. Quam adnotationem, quamvis nunc non sit in cod. S. Germani, tamen a Benedictinis ibi lectam esse testatur 'Nouveau traité de diplomatique' tom. II (Paris 1755) p. 83 sq.: "D. Rivet ne dit rien d'autre chose de ce manuscrit (agitur de cod. S. Germani) sinon, que S. Isidore est le dernier auteur, qu'on y trouve cité, et qu'il paroit plus anciens que ceux, dont il venoit de parler .... Une note postérieure à sa donation, porte que M. de Caseneuve, dans ses Origines, cite souvent le glossaire d'Ansileubus évêque goth, auteur peu connu. Sur les termes *armoiries, mouton, quai* les citations de ce Monsieur se rencontrent, dit-on, dans le glossaire. D'où l'on conjecture, que c'est son Ansileubus. Catel cite aussi le glossaire d'Ansileubus ou d'Angileubus, qu'il avait copié sur un manuscrit de l'abbaie de Moissac. Mais les textes raportés par cet auteur prouvent, que les mscr. 12 et 13 de Saint-Germain en sont diferens". Cf. ibid. III (a. 1757) p. 66 sq. Vnde constat primum illum qui verba nunc perdita codici Sangermanensi adscripsit, librum glossarum cum Ansileubo coniunxisse nullo alio argumento

confisum quam quod loci apud Caseneuve tributi Ansileubo in hoc quoque libro exstant. De his igitur locis diligentius quaerendum est.

Liber quem reliquit Caseneuve inscribitur sic: 'Les Origines Françoises' et annexus est dictionario etymologico Menagii a. 1694 edito. In quibus Originibus hos locos 'Ansileubi' inveni (nisi quid me fugit): 1. p. 2 ('dans les glossaires de Papias et d'Ansileubus'): *Caplosus elisus*; 2. p. 7 ('le glossaire d'Ansileubus'): *Ascella locus sub bracchio*; 3. p. 12 ('le glossaire de l'Evesque Goth Ansileubus'): *Arma quibus deffendimur, rotunda: tela quibus oppugnamus, longa*; 4. p. 18 ('le glossaire de l'Evesque Goth Ansileubus'): *Bauones stulti rustici*; 5. p. 26 ('le glossaire d'Ansileubus'): *Bussus pinguis obesus* ('dans le glossaire d'Ansileubus il n'y peut avoir de faute dans l'écriture, parceque les mots de chaque lettre y sont rangés selon l'ordre de la premiere syllabe'); 6. p. 31 ('le glossaire d'Ansileubus'): *Calamaula canna de qua canitur*; 7. p. 31 ('le glossaire d'Ansileubus'): *Caplum funus a capiendo dictus*; 8. p. 33 ('le glossaire d'Ansileubus'): *Camisiae vocantur quod in his dormimus incamis*; 9. p. 40 ('le glossaire d'Ansileubus'): *Disseruisse aperuisse*; 10. p. 40 ('le glossaire d'Ansileubus'): *Divinacula sortes*; 11. p. 41 ('le glossaire d'Ansileubus'): *Pincerna scantio*; 12. p. 52 ('le glossaire de l'Evêque Goth Ansileubus): *Fridor frigus*; 13 p. 53 ('le glossaire de l'Evêque Goth Ansileubus': *Fimarium sterquilinium*; 14. p. 59 ('le glossaire de l'ancien Evêque Goth Ansileubus): *Agrenulae, ranae parvae in sicco morantes*; 15. p. 79 ('le glossaire d'Ansileubus, Evêque Goth'): *Mutilum sine cornibus*; 16. p. 87 ('Ansileubus'): *Kaii cancelli*; 17. p. 93 ('le glossaire d'Ansileubus dit la même chose = Isid. XX *Sagma quae corrupte vulgo sauma a Stratu Sagorum vocatur; unde et caballus Sagmarius et caballa Sagmaria*); 18. p. 94 ('l'ancien glossaire d'Ansileubus, Evêque Goth, où j'ay lu): *Saucius tristis*; 19. p. 95 ('Ansileubus'): *Asilium tabanum*. Ex quibus glossis liber glossarum has continet sine graviore discrepantia: 1; 2 (*Arcella — brachia* cod. Sangerm.); 5; 6 (*canit*); 9; 10; 11 (*scantia*); 16; 17; 18 (*Saucia*); 19 (*Asilum*). Contractae sunt gl. 3 (*Arma sunt quibus defendimur id est rotunda, tela quibus oppugnamur id est oblonga* omissis leviusculis quibusdam rebus cod. Sangerm. et Bern.); 7 (*caplum funis a capiendo quod eo indomita iumenta comprehendantur*). 8 (*Camisia vocata quod in his dormiamus in camis id est in stratis vostris* e.q.s., ita gloss. Salom. = Isid. XIX 22, 29). 12 (*Fricdor frigus frigidum*). 14 (*Agredulae ranae parvae in sicco vel agris morantes unde et nuncupatae*). 15 (*Mutilum sine cornibus sine truncos*). Maior mutatio in 4 est (*Baccunis stultis rusticis* et alio loco *Buccones stulti rustici* lib. gloss.). Prorsus deest 13; *fimarium* est apud Wuelckerum-Wright p. 797: *hoc fimarium hoc sterculinium a muckelle*. Quae qui diligenter inspexerit,

cur neget Caseneuve libri glossarum exemplar ante oculos habuisse non inveniet, sed nec integrum nec incorruptum, immo hic illic contractum et additamentis noviciis auctum illud fuisse censebit. Vnde didicerit Caseneuve Ansileubi fuisse glossarium, nescimus: sed illud nomen nesciocubi in ipso glossario perscriptum fuisse probabile existimo.

Praeter exemplar Caseneuvii illud non neglegendum erit quod Catel in libro qui inscribitur: 'Mémoires de l'histoire du Languedoc' (Toulouse a. 1633) adhibuit. Qui vir doctus, ut ipse in auctorum tabula indicat, duo glossaria inspexit, alterum quod simpliciter 'glossarium vetus' dicit, 'glossarium Ansileubi Gothi M. S.' alterum. Cuius generis prius illud glossarium fuerit, aegre dicas; commemoratur p. 6 ex eo glossa haec: '*Bracae breues solent esse, non enim solent habere tibialia, sed extendi ad genua*' et paulo post: '*unde et braccata quondam dicebatur Gallia*', de quibus videas quae nunc in Thesauro linguae latinae composita inveniuntur. *Bracas* autem in glossariis bilinguibus haud ita raro commemorari vol. VI p. 151 docuimus. Sed quod magis ad nostram quaestionem spectat, p. 19 hoc legitur: '*Bagina* pour *uagina* comme est escrit dans le glossaire d'Ansileubus Goth.' et p. 125: 'j'ay trouvé pareillement dans un ancien Glossaire d'Ansileubus que j'ay escrit à la main et lequel j'ay extraict des archifs de l'abbaye de Moissac que *Capitolium* est interpreté *Capitulum* et *Capitolinus qui Capitolio seruit*' et p. 183: 'Tay ches moy un ancien glossaire escrit à la main, composé par *Angileubus Gotthus*, dans lequel ce mot de *capitolinus* est expliqué *qui capitulio seruit*', denique p. 316: '*Conuenae* (comme dit un ancien Glossaire, que j'ay escrit à la main) *sunt aduenae de diuersis locis*' (quae glossa ex utro glossario sumpta sit, non indicatur; verba 'que j'ay escrit à la main' videntur ad Ansileubum pertinere). Ex quibus glossis quam primo loco attuli revera in libro glossarum inveniri moneo; pro *conuenae sunt aduenae de diuersis locis* libri glossarum exemplaria pura habent *Conuene aduene peregrini, Conuenae commanentes, Conuenae de diuersis locis ueni*; unde Papias hoc contaminando effecit *Conuenae aduenae de diuersis locis*; ac paene eandem formam exhibuit liber Ansileubi, quem exscripsit Catel. *Capitolium capitulum* in libro glossarum non inveni, sed lemmata *Capitolium Capitolia* excipit lemma *Capitulum*, unde nescio an illa glossae forma originem traxerit. Pro *Capitolinus qui Capitulo* (*capitulio* altero loco) *seruit* in libro glossarum est *Capitolinus capitulio seruiens* (pro quo *deseruiens* in quibusdam libris legitur). Vnde apparet, si Ansileubus ille cum libro glossarum coniungitur, exemplar quo usus est Catel a vetusta vetustorum librorum traditione aliquatenus diversum fuisse. Idem de glossario Caseneuvii valere cum perspexerim, non improbabile esse censeo de uno apud utrumque agi

glossario, quod Catel in archivo abbatiae Musciacensis (Moissac) invenit et exscripsit. Vterque enim vir doctus, Caseneuve et Catel, Tolosa sunt oriundi (Caseneuve natus est a. 1591, Catel 1560; liber Catelii prodiit a. 1633), uterque historiam Languedocensem tractavit: unde non dubito quin liber Musciacensis unicus testis sit qui Ansileubi nomen tradiderit. Quo fundamento tamen illud testimonium nitatur cum nemo divinare possit — nam in reliquis ut vetustissimis ita recentioribus exemplaribus nullum huius nominis vestigium est — in eis quae dixi subsistendum esse opinor. Nominis formam per se bonam esse et Vsener (Mus. Rhenan. 24 p. 384 = Kl. Schr. II 242) vidit et Arbois de Iubainville (cf. Berger de glossariis et compendiis quibusdam medii aevi ed. Parisiis a. 1879 p. 10) confirmavit. Adde quae Gustavus Loewe Prodr. p. 224 sq. exposuit.[1])

De tempore quo magnum hoc glossarium conditum sit qui quaeret, vetustissima quae ad nos propagata sunt exemplaria posteriori parti saeculi octavi tribuenda esse non negleget; quamquam cum iam tum libri exemplaria in diversam recensionem abiissent, primariam formam etiam paulo prius ortam esse certum videtur. Vnde olim non post 750 id factum esse conieci. De 'termino post quem' nescio an aliquid discamus ex eis quae Hagen in Anecd. Helv. p. XLIV adnotavit: 'nam cum locis fere plurimis (scil. libri glossarum) mera Isidori verba proponantur, non pauca inveniuntur Isidorianis, auctorum nominibus praetermissis, subiuncta, quae aut ad Donatum aut ad Servium aut ad alium artigraphum referenda sunt. Ex quibus ea inprimis commemoratione digna videntur, quae, dum Donati verba ipsa accurate exprimunt, alia illis admixta vel inserta vel superaddita habent. Quorum quae ad figurarum poeticarum explicationem pertinent, ad unum fere omnia in quadam arte codicis Bernensis 267 inveni, quam ex iisdem quibus Iuliani doctrina fluxit fontibus manasse infra .... demonstraturus sum.' Similia enim excerpta exstant in cod. Amploniano 10 (in folio), de quibus copiose disputavit R. Hanow de Iulio Toletano (ed. a. 1891); quae excerpta mihi ex Isidoro et Iuliano conflata videntur esse, quale genus tractatus ad librum glossarum consarcinandum adhibitum est; unde factum est, ut Isidoro tribuantur aliquot loci qui cum Isidoro ex parte tantum conspirant, saepius omnino non conspirant. Exempla quaedam l. s. s. p. 77 composui. Iulianum autem cum annis 680—690 floruisse certum sit, librum glossarum intra annos 690 et 750 conditum esse dixi. Cf. Manitius p. 133, quem mecum facere gaudeo.

1) Ceterum ad Vseneri verba haec nunc addita esse video (Kl. Schr. II p. 242): Geh. R. Bluhme schreibt mir: 'Anseleubana kommt vor a. 520 bei Mabillon de re dipl. und a. 543 bei Pardessus, diplomata nr. 140'; vgl. Förstemann col. 848.

De codicibus libri glossarum in libello meo de 'libro glossarum scripto' (cf. p. 104) uberius, brevius in praef. vol. V p. XX sqq. disputavi; mea ex hoc libro excerpta pro fundamento habere vetustissimum librum Parisinum 11529. 11530 etiam in eis quae infra afferam denuo monitum esse volo. — Qua in parte terrae 'liber glossarum' ortus sit, certe dici nequit. Ad quam quaestionem expediendam duplex via patet, ut aut ab eis quae continentur proficiscamur aut ab arte palaeographica. Illam viam quam priore loco commemoravi ipse olim ingressus exposui quantam partem Hispanienses scriptores et res habere viderentur; inter scriptores esse praeter Isidorum velut Orosium et Iulianum Toletanum; de Hispania agi capite copiosissimo (ex Orosio, Solino, Isidoro excerpto); permultos locos Hispaniae commemorari (ex Isidoro, Orosio, Eutropio); de Gotis disputari diligentissime (ex Isidoro et Orosio); Placidi glossarum exemplar tale adhibitum esse quale ex monasterio Hispaniensi Sancti Sebastiani vel Sancti Dominici abbatiae Silensis (Silos) noverimus (cf. V praef. XI et XII). Quibus argumentis aliud adiecit Mommsen (V praef. XX adn.; cf. Chronic. min. II p. 265) qui tractatum de Gotis monet ex tali recensione Isidori desumptum esse quae numquam Pyrenaeos superaverit. Vnde in Hispania ortum esse lexicon conieci l. s. s. p. 77 (= 287); v. praef. V p. XX. Cf. L. Traube 'Vorles. u. Abh.' II p. 167. Sed nuper Lindsay epistulis ad me datis ex indiciis palaeographicis potius Galliam meridionalem patriam libri esse maluit: quae argumenta qualia sint spero virum doctissimum de Isidoro et glossis bene meritum mox accuratius expositurum esse. Nunc enim has quaestiones mitto, ad lexici virtutem et auctoritatem tandem aliquando ut perveniam.

§ 31. Principale libri glossarum fundamentum esse Isidori Etymologias extra omnem dubitationem positum esse moneo. Cuius libri singuli loci exscripti, ad ordinem litterarum digesti, per totum lexicon dispersi inveniuntur. Fons in margine indicari solet sic: *esidori, esydori, ysidori,* pro quibus formis etiam per compendia varia auctor designatur. Etiam pleniore ratione usus est sive qui composuit sive qui transcripsit, ut '*Esidori ex libris ethimologiarum*' in fol. 27^{u} codicis Parisini vetustissimi; item in fol. 26^{u} (Apes). Aliquoties legitur '*Etimologiarum*' omisso Isidori nomine. De ratione qua cohaeret scriptura libri glossarum cum ceteris Isidori libris pauca monui l. s. s. p. 47 (= 257); accuratius quaesivit Anspach, cuius de hac re disputationem nondum editam esse doleo.

Praeter Etymologias etiam liber de rerum natura exscriptus est, unde venerunt tractatus de *elementis mundi,* cui nonnulla ex Etymologiis adnexa sunt, item de *Aetna,* ut alia mittam. Verba quae exscripta

sunt cum Beckeri editione conferenti mihi textus prope accedere visus est ad codicem Bambergensem A. Tertio loco liber officiorum commemoretur, unde fluxit tractatus *Epiphaniorum diem* in fol. 104 cod. Paris. = Arev. VI p. 393. Ex eodem libro tractatus de *Ecclesia* petitus, nisi quod is cum Etymologiis contaminatus est. '*Esidori ex libri de ortu et obitu patrum*' in fol. 28^{r} legitur (sub *Arbelocus*). Praeterea multae Isidori differentiae in librum glossarum transierunt, de quibus diligenter disputavit Hagen Anecd. Helv. p. CXXIV sqq.: quae differentiae non semper certe dignosci possunt ab alia collectione, cuius haud pauca fragmenta exstant. De quibus idem Hagen p. CXXXII egit, quamvis quae exposuit in dubitationem vocari possint: qua de quaestione futuri editoris iudicium exspectamus. Haud paucis locis praescriptum est '*ex libro arcium*', velut capiti *Gimnica*. In fol. 14^{v} ante *Forum* legitur '*Esido ex lib. artium*'. Ante *Saffica* exstat *Esidori* et ante sequens *Safficum: Item ipsius ex l̄b artium.* Similiter ante *Sarcophagus* est '*Item ipsius ex libro artium*' praecedente Isidoro. Addo locos quoscumque sic notatos inveni: 1. in fol. 19^{r} (*ex libro arcium*): *Amomum frutexit tirsi botruosum nascitur in armenia et cinnamomi virtute similis conprobatur denique miscitur inrecoparativis anditotis odores etiam bonos somnos suavificat* (sequitur: *Esidori Amomum* e. q. s. ex Etym. XVII 8, 11; quae verba similia esse moneo). — 2. *ex libro arciū. Anadiplosis est iteratio verborum ductę dictę veniam parracide.* — 3. in fol. 14^{u} (*esidō ex lib. artium*): *Forum est locus conventui pro exercendis litibus derelictis* (similia exstant apud Isid. XVIII 15, 1). — 4. in fol. 24^{u} (*ex lib. artium*): *Gimnica sunt velocitas ac virium gloria unde et locus ipse gimnasium vocatur ubi exercentur athletae et cursorum velocitas conprobatur. Gimnica autem certamina tribus generibus constat. Quorum alia levia alia gravia alia mixta. leuia sunt que velocitate sola transiguntur ut cursorum et hominum. gravia quę labore et quasi pondere corporis ut lutatorum promiscua quibus saltu pondere iaculoque contenditur ut pentalorum. Gymnicos autem aliquantos perpetuam veneris abstinentiam fuisse professos ne virtutem libidine frangerent* (praecedunt Isidori verba *Esidori Gimnicus . . . contendere* ex Etym. XVIII 17; 18, quorum tantum quae initio leguntur similia sunt). — 5. *ex l̄b artium. Hispanę gemmae repperiuntur in littoribus hispaniensis oceani colore rubentes igneo adque perlucide* (post *Isidori*). — 6. in fol. 49^{r}: *ex artium. Istesicorium. constat mentam et rocata lectio ut carmina tanta vertant mea pangere dicta.* — 7. in fol. 126^{r}: *de arcium. Perifrasis circumloquium vel circuitio* (cf. Isid. I 36, 15). — 8. Post *Esidori Saffica* in fol. 174^{u}: *item ipsius ex libro artium: Safficum pentametrum constat ex trocheo et spondio dactilo et duobus troceis sive trocheo et spondio ut est illud* $\overline{Xpe}$ *lux mundi salus et potestas huic autem metro*

postres versus additur cimis troici versus ut est illut sidere pinguis. — 9. in fol. 175^{v} post *Esidori*: *item ipsius ex libro artium: Saltus vasta et silvestria loca sive itinera angusta et quasi abscisa inter montes hac similia faucibus de quibus propheta in salto inquid ad vesperum dormietis et agromius qua salto et qua semita occurrat obuius* (cf. Isid. XIV 8, 25: *saltus sunt vasta et silvestria loca ubi arbores exiliunt in altum*). — 10. in fol. 177^{r} post *Esidori*: *item ipsius ex libro artium. Sarcophagus lapis in troeade fissili vena nascitur corpora defunctorum condita in eo infra XL dies adsumi exceptis dentibus unde et nuncupatur sarcma enim caro phagius comedere dicitur grece vestes quoque et calciamenta inlata mortuis lapidea fieri mucianus autor adfirmat sunt et eiusdem generis in oriente saxaque viventibus alligata erodunt corpora mitigres aut servandis corporibus nec adsumentes* (cf. Isid. XVI 4, 15; sed verba multo Isidoro doctiora sunt: cf. Plin. N. H. XXXVI 131). — 11. post *Isidori*: *ex libro artium. Tibias alii amine sua inventas esse dixerunt alii eas excogitatas in frigia ferunt damon autem primus tibias contendit et diu quidem funeribus solisa debitas mox et seris gentilium* (cf. Isid. III 21, 4; quamquam eius verba haud leviter discrepant). — 12. post *deglosis*: *ex libro artium. Vesperus stella est noctem ducens et solem sequens* (sequitur ex *libro de natura rerum*: *Vesperus stella occidentalis noctem inducens hic solem occidentem sequitur et tenebras succedentes praecedit*). In quibus uno vel altero loco in fontis indicio errorem esse posse non est cur negemus: sed plurimis eundem fontem subesse, scilicet Isidori librum artium aliquem, certum esse putaverim. Sed noli suspicari ex Originibus haec ut sint fluxisse: immo particulae plerumque hinc videntur provenisse, sed iis quaedam aliunde adiecta esse. Quin talis liber olim exstiterit Isidoro adscriptus a quoquo compositum vel contaminatione confectum eum esse dicemus vix posse in dubium vocari censeo.

Vt autem in his Isidori verba cum aliunde petitis conglutinata sunt, ita saepius hoc factum esse velut huic exemplo credas: *Esidori. Teatri autem auctores exhistimantur athenienses. primi enim ipsi teatrum construxerunt sedilibus ligneis postea lapideum. teatrum romae primum a romanis censoribus factum anno post romam conditam quadragesimo quinto. teatrum autem primum rotundum erat sicut et amphiteatrum. postea ex medio amphiteatro teatrum factum est* collatis cum Isid. XVIII 42. Idem valet de his: *Ypocentauris species vocabulum indidit idest hominem equo mixtum. sed palefatus in libro primo dicit quod cum lapide et thessali famosis nimium certavissent confluctibus tunc eosdem thesalos a lapitis creditos dictosque fuisse ypo ctauros eo quod discurrentes in bello equites veluti unum corpus equorum et hominum videretur* (cf. Isid. I 40, 5). Adde porro tractatum de *pila* Etym. XVIII 69 et fragmentum editum a Gun-

dermanno Mus. Rhen. vol. XLI a. 1886 p. 634. Denique noli neglegere etiam cum Iuliano Toletano copias Isidori conflatas in librum glossarum intrasse, quo de cf. quae p. 107 exposuimus.

§ 32. Post Isidorum qui quasi fundamento fuit libro glossarum Augustinum commemoro, cui multa excerpta debentur (*Beati augustini episcopi* in fol. 88 vol. I exstat, aliis locis *augustini*, *agustini* et compendia multigenera). Ex cuius libris inprimis qui inscribitur 'de civitate dei' frequentissime adscitum esse moneo (*agustini ex libris de civitate dei* ante tractatum de *Amfione* legitur). Sub *Diomedem* hoc est: *Diomedem pagani deum fecerunt. hunc varro sive alii adstruunt poena divinitus inrogata perhibent ad suos non revertisse eiusque socios* e. q. s. (= II p. 276 Domb.: *nam et Diomedem fecerunt deum, quem poena divinitus inrogata perhibent ad suos non revertisse*; *eiusque socios* e. q. s.). Quae qui excerpsit eum non fugerat in proximo capite haec exstare: *hoc varro ut astruat*, unde pro *quem . . . perhibent* maluit *hunc varro sive alii adstruunt* e. q. s. inserere. In fine adiecit: *sed hoc poetae fingunt.* Etiam Augustini frustula cum locis Isidori coniuncta esse ex exemplo disces quod in fol. 24 vol. II exstat: *Esidori ex lib. ethimologr̃ et augustini ex lib. de ciuitate dei Gygantes* e. q. s. Ex reliquis libris Augustini adscitos inveni hosce: Sub *Sacrificium* est: '*lib̃ enchiridion beati agustini*'; sub *Auaritia* '*commentarii in psalmos*' (IV p. 1530 Migne); sub *Ammon* '*commentarii in pentateuchum*' (III p. 818 Migne); sub *Campestria* '*liber de nuptiis et concupiscentia*' (X p. 467 Migne); sub *Annus* '*Augustini ex lib̃ de gen̄ ad litteram*'; sub *Arbitrium* '*Agustini ex lib̃ hypomnesticon*'; sub *Sculptilia* '*Augus̄ in decadis*'; sub *Ianuarius* '*omelia agustini*'. His adde ex Hageni coniectura (Bursiani 'Jahresbericht' 1876 p. 347) *Agniti* sub *Cecrops* (*Cecrops regnavit in Attica tunc nomine minerve que grecę athena dicitur attici athenienses vocati sunt hic enim cecrops primum omnium iovem deum appellavit simulacra repperit aram statuit victimas immolavit nequaquam istius modi rebus. in grecia visis.* Cf. de civit. dei II p. 266 Domb.: . . . *iam tamen Minerva tamquam dea colebatur regnante Athenensibus Cecrope, sub quo rege etiam ipsam vel instauratam ferunt vel conditam civitatem. Nam ut Athenae vocarentur quod certe nomen a Minerva est, quae graece* Ἀθηνᾶ *dicitur, hanc causam Varro indicat*: quae verba misere habita et contracta sunt, antequam in librum glossarum venirent. Cf. Isid. VIII 11, 9).

Tertius his accedit *Ambrosius* (*Ambrosi episcopi*, *Ambrosi* cum variis compendiis), cuius *Hexaemeron* inter primarios libri glossarum fontes habetur (*Ambrosi ex libro exameron, ambro ex libri exam̃er* vel similiter). Loci haud pauci quos examinavi accurate cum eis conveniunt quae apud Mignium leguntur, nisi quod initia mutata sunt, velut *Accipiter*

(V 18), *Aelementa mundi* (I 6). Saepius Ambrosiana verba cum locis Isidori coniuncta sunt, quibus praecedunt; non raro contaminata sunt cum aliis, ut tractatus '*Caelum*'. In tractatu *Caete marina* ex Physiologo quaedam adnexa sunt, id quod diserte indicatur. Verba de asino graviter mutata sunt; sub *Conium* contaminata sunt III 9, 38 et 39. Praeter *hexaemeron* etiam *Expositio in Lucam* invenitur, ut sub *Armonia* (VIII 3 Migne). — Ex Hieronymo maxime *Quaestiones hebraicae in Genesin* adscitae esse videntur, ita sub *Ader* II p. 538 editionis Benedictinorum, sub *Abram* II p. 522. Praeterea commemorantur *Hiero in esai exposito, Hiero in ezechielis exposito, Hieron inec ob asten.* — Adhibiti sunt etiam Dialogi et Moralia Gregorii Magni, illi velut sub *Infernum* (*Gregori ex libro dealigorum*), haec sub *Sardinicus* (*Gregori ex lbs moralibus*). Cf. Maius Class. Auct. VI p. 594.

Praeter eos quos attuli ecclesiae doctores magnos invenitur Eucherius, cuius *Instructiones* saepius occurrunt, velut *Lamia in esaia ienus monstri* e. q. s. (*Euchriae*), sub *Obulus* (*Euceri ex lib astrutionum*). Aliis locis est *Eucheri* vel *Euceri*. Eucherii glossae spiritales in librum glossarum non venerunt. — Aliquoties Fulgentius exscriptus est, velut *Diacanson id est frequenter surgentes et sedentes inpolite, Duleusis* (cf. Maius Class. Auct. VI p. 590), *Idolatria, Ministrare.* — Iunilius qui circa a. 550 auctore Primasio episcopo *instituta regularia divinae legis* composuit, occurrit sub *Predictio, Prophetia, Proverbiales, Thypus, Voluntas.* — Clementis tractatui de '*Mare*' praemittitur ex Isidori libro de Nat. rer. hausto, ubi Clemens *episcopus* auctor esse dicitur. — *Ylari ex libi de litteris* ante glossas *Certus sine fraude fidelis* et *Chreston bonum* est, quod ad Hilarii urbis Pictaviorum Aquitanicae episcopi *libros contra Dioscurum medicum* l. s. s. p. 53 (= 263) rettuli, quamquam dubitanter (cf. Loewe Prodr. p. XII). Aliquoties *Sarapionis* praescribitur, velut ante *Acidia tedium animi.* Non ita paucis locis *Origenes* praemittitur vel *Origines in leviticum, Origines in iosue.* Duos locos lubet exscribere (cf. Maius Cl. Auct. VI p. 597 sq.): *Origenis. Butyrum ex animalium lacte colligitur quamquam autem sit lactis natura tamen iam pinguior et crassior et solidior materia est. Quod tamen aut frequenti agitatione aut concussione assidua cohibit in se atque solidatur. Denique cum fit serum de lacte separatur et oleum debutur efficitur.* Qui locus contaminatus est ex Pseudorig. II p. 19, 10 et 19, 24. Alter locus est: *Origines. Coccum grece nos rubrum seu vermiculum dicimus quamquam autem una sit coci et purpore materia idest lana magna tamen distancia est inter coccum et purporam. nec enim purpora tale lumen inluminata ut tanto splendore prevalet licet ruborem et ipsa commodet sed si cocci muricem sublebes relucet elebat fulget et cum sit ut dixi una materia id*

est lana tamen ut hec pulcerrima de colore ita et illa de nitore sublimior.

Ad eos quos dixi auctores Orosius et Eutropius accedunt. Orosius (*orosi* vel *horosi, orosi prbi, horosi ex libro historiarum, paborisi presbiteri, eresi, pauli*) inprimis in rebus geographicis, sed etiam in historicis adhibetur; loci partim ad verbum expressi, partim ad lexici usum mutati sunt, modo etiam contaminati. Quoscumque locos cum Zangemeisteri editione conferre potui, aut non discedunt aut ita, ut ad contextum constituendum nihil inde lucremur. — Similiter de locis ex Eutropio desumptis iudicabimus (*Eutropi, Euthropi*). Loci mutati tales sunt, ut *Actius locus aegypti est* = Eutr. VII 7: *Apud Actium qui locus in Epiro est ex qua fugit in Aegyptum*; *Algidus mons est ab urbe duodecim fere miliaria* = Eutr. I 17: *sequenti tamen anno cum in Algido monte ab urbe duodecimo ferme miliario Romanus obsideretur exercitus* e. q. s. Eutropio adscribitur locus hic: *Auentinus mons in urbe roma uocatus ab auentino albanorum rege eo quod esset prostratus in bello et sepultus in eo monte. alii sane uoluerunt eum in prohelio esse occisum sed non comparuisse dixerunt. nec ex eius uocabulo appellatum montem sed ex aduentum auium dictum auentinum.* Glossa est ad Aen. VII 657 pertinens; cf. Serv. ad hunc locum. — Etiam Solini (Sulini) liber in tractatu de Hispania qui exstat excerptus est una cum Orosio; cf. p. 115, 19 sqq. ed. Mommsen.

In rebus medicinalibus sex diversi fontes inveniuntur: 1. Isidorus qui magnam partem libri IV ex Caelio Aureliano desumpsit; 2. Galenus (cf. Maius Class. Auct. VI p. 591; multa quae Galeno adscribuntur, in Dynamidiis exstant quae Maius Auct. Cl. VII publici iuris fecit; cf. V. Rose Anecd. Gr. et Graecolat. II p. 110 sqq., Haeser Gesch. d. Med.[3] I p. 622); 3. Hippocrates (*yppocratis* vel *epocratis* cum variis compendiis; etiam huius modi loci in Dynamidiis occurrunt; cf. Maius Class. Auct. VI p. 595 sq.); 4. Pandecti medici (*Pàdecti medici* II fol. 71[r] cod. Paris.; cf. Maius Class. Auct. VI p. 589); 5. Libri medicinales (*ex libris medicinalibus*; II fol. 193[a] supra adscriptum est M, quod etiam alibi non semel invenitur et indicare videtur locum ad 'medicinam' pertinere: ex his locis nonnullos excerpsit et edidit Maius Class. Auct. VI p. 582 sqq.); 6. Oxea Patici (uno loco, II fol. 243[a] ante *Ydrofobicon passio est periculosa*; Caelii Aureliani librum 'de acutis passionibus' contulit V. Rose; G. Becker Cat. ant. 114, 85 (S. Amand): '*liber oxipate in intelligentia ex qua omnes egritudines desiderantur*'. Quid sit compendium *Aid* II fol. 74[r] ante *Malaxatus maxillatus aut certe subactus* me fugit.

'*Ex regula Prisciani gramm.*' praemittitur tractatui *Vocis differentiae sunt quattuor. articulata inarticulata et inlittera . . . sicut dux a du-*

cendo (Gr. lat. II p. 5,5—6,5). Praecedit tractatus *'ex regula uoce gramma'* (ita cod. Cambrac.; in Parisino fontis indicium legi nequit; cod. Vindocinensis habet *ex regula foce gramma,* item cod. Ambrosianus teste Loewio Prodr. p. XII praef.); verba (quibuscum cf. Diomedes p. 420) sunt haec: *Vox est spiritus tenuis auditus insibilis (= auditu sensibilis). fit autem uel exilis aëris pulsu uel uerberati aeris ictu. igitur interpretatiua uox dicta est et erit scripturalis sonus uel inscripturalis. uox autem dicta* ΠΑΡΠΠΝΒΝΝ. *grece nominata uel latine ab eloquio. idcirco uox appellata quod uoluntate ter animi enuntiat sunt qui uocis officia tria designant eloquium tinnitum sonum. eloquium est humane pronuntiationis expressas significatio. facilem sensibus exibens intellectum. sonus est corporalis collisio repentinum auribus inferens fragorem. tinnitus est fabricate materiae inlisio tenui sono auditionem hac sensum prestans. unde non immerito eloquium hominum tinnitum inmolbilium sonitum corporalium plerique testantur. nam uocem tam mutorum animalium quam hominum est esse declarantes sic efferunt* (secuntur voces animalium quas supra exhibui). — *Audaces* exstat I fol. 10, *Vidacis* I fol. 100^{r}; cf. Hagen An. Helv. p. XXXIV et Keil Gr. L. VII p. 315 sq. — Paulus Abbas (cf. Maius Cl. auct. VI p. 598 sq.) interdum per *Pauli* indicatur, quod nomen interdum Orosium significare fugit Hagenum Anecd. Helv. p. CXXXVII. Exempla ex litteris A—E ex codice Bernensi partim ex Maio partim ex fragmento Einsidlensi idem composuit. De tractatu qui est de orthographia Hagen p. CXXXV sq. et Vsener Mus. Rhen. vol. XXIV p. 109 egerunt. Excerpta ex 'Physiologo', quorum partem edidit Mai Auct. Class. VII p. 589 sqq., Cahierium (Mélanges d'archéologie II—IV) tractavisse Lauchert (Gesch. der Physiol., Straßb. 1889 p. 89) testatus est. Synonyma Ciceronis eiusdemque differentias p. 80 et 90 attigimus.

Inter fontis indicia frequentissima nota *Vergili* est (*Vergili, uirgti, uirgit, uirgt, uirgi, uirg, uir* etc.): glossae sic significatae plerumque simplices et triviales sunt, ut *ab orgine ab exordio, ab rupe e scopulo, absumere conficere insumere,* de quibus non est cur multa verba faciamus. Quomodo cum glossis Vergilianis IV p. 427 sqq. editis cohaereant aut non cohaereant, infra exponetur. Frequentissimae sunt glossae duplices ad eandem rem spectantes, velut *Agens telis telis persequens = Agens telis sagittis petens* (Aen. I 191); *Aonios in montes boetię et licaonię et citero ubi musę morantur = Aonas in montes in boetia prouincia et cyterona ubi poete musas aiunt morari* (Ecl. VI 65); *Ariete crebro spisso ictu arietis = Ariete crebro frequenti hictu arietis est autem aries macinamentum bellicum* (Aen. II 492); *Belli porte ianuę iani gemini qui bellis patent in pace clauduntur = Belli porte ianuę Iani gemini templum dicit quod bello*

aperitur pace clausum est (Aen. I 294); *Cornibus arboreis qm in modum arborum ceruorum cornua deponunt = Cornibus arboreis quod in modum arborum ceruorum cornua ramosa sint* (Aen. I 190); *Errantem lunam aut incertam aut ideo ait errantem quia inter planecas habetur = Errantem lunam qui inter planetas a quibusdam habetur* (Aen. I 742). Quae glossae geminae per totum glossarium pertinentes ex duplici scholiorum ordine excerptae sunt similium inter se et eiusdem prosapiae, sed diversae recensionis. Has glossas Vergilii nomine insignes edidit Hagen ex codice Bernensi (Appendix Serviana p. 451 sqq.): qui codex cum ad litteras A—E tantum spectet, editor miro modo ceteras litteras neglexit: quod qua ratione fecerit non assequor. Quas glossas qui perlustraverit, etiam aliunde quaedam addita esse facile intelleget. Velut non uno loco synonyma confusa sunt cum Vergilianis glossis, ut A 468 Hag. (*Ante omnes*), A 625 Hag. (*Assidue*), C 193 Hag. (*Circum*), C 441—443 Hag. (*Corruptor, Corruptus, Corruptum*), C 480 Hag. (*Criminosum*; in Paris. recte *Cicero* praemittitur); E 135 Hag. (*Euasit*; in Paris. deest *Vergilii* nota). Aliquoties glossae contaminatae sunt, ut *Biricuncia mater dm augustus cesar diuigenus cesarem octauianum significat cui oblatum est si uellet romulus dici. sed ille augustus potius nomen maluit* (B 56 Hag.); cf. Aen. VI 784 et 792. Quae contaminatio unde venerit intelleges, si glossas iuxta positas sumes; contaminata demum glossa sic inserta est. Itaque ex scholiis hae glossae haustae sunt, quae postea demum glossarum formam induerunt. In universum dicendum videtur, satis trivialia esse haec scholia; certe cum Servianis quae affinitate quadam nexa sint non multa inveni. Praeter ea quae Hagen edidit alia quaedam l. s. s. p. 268 sqq. (58 sqq.) excerpsi, quae cur hoc loco iterem non esse existimo.

§ 33. Nunc demum ad materiam glossematicam venio, quae in magno libro insignem locum obtinet et maxime notabilem: plura enim glossaria vetustiora recepta sunt, in quorum numero Placidi glossas egregiam auctoritatem habere ex eis disces quae l. s. s. p. 59 sqq. (= 269 sqq.), inprimis autem V praef. XIII sqq. exposui, quibus quae nunc addam non habeo. Quorum summam hanc esse dixi: 'Forma glossarum quae est in magno lexico non modo vetustate, verum etiam bonitate saepissime libros Romanos vincit ... Vbi liber glossarum cum codicibus Romanis concinit, eam formam nacti sumus quam homines ante septimum saeculum legerunt'. Quae cum ita sint, libri glossarum glossas Placideas p. 43 sqq. accurate exhibendas esse censui. Quali fonte usus sit qui magnum lexicon consarcinavit ibidem p. XI sqq. demonstravisse mihi videor: nimirum cohaeret ille fons artissime cum codice Parisino nov. acquis. 1298 saec. XI, quem Gundermann feliciter in lucem protraxit.

De ceteris glossariis quae in magnum librum recepta sunt difficilior quaestio est. De quibus haec verba olim fecit Wilmanns Mus. Rhen. vol. XXIV p. 376: 'Nach dem Placidus verdient am meisten das alte so oft mit *de glossis* angeführte Glossar wieder zusammengestellt zu werden, und eine Ausgabe, die diese beiden Glossare vereinigt und anhangsweise die Stücke gibt, welche sonst durch Inhalt und Verfasser wichtig sind, würde den wissenschaftlichen Gehalt dieses großen Wörterbuchs erschöpfen.' Quae verba si sequimur, glossas quae post notam *de glossis* praefixam leguntur ex uno atque eodem vetustissimo promptuario haustas esse putabimus. Quem contra Vsener ibidem XXIV p. 383 censuit satis magnum esse numerum parvulorum glossariorum (in epistula ad Loewium data 10—12 voluit fuisse), quorum vestigia etiamnunc conspicua essent; velut duo glossaria Bernensia de quibus cf. Mus. Rhen. XXIII p. 223 sq. Cum Vsenero facit Loewe Prodr. p. 223, cum Hagen in censura Prodr. (Bursiani ann. a. 1876 p. 347) censeat quaestionem hanc nondum esse expeditam. De qua re repetenda puto quae l. s. s. p. 275 sq. (p. 65) exposui: "Im ersten Teile seines Buches glaubte Loewe (S. 104) das Abavusglossar in dem *liber glossarum* nachweisen zu können, hat aber die Unrichtigkeit dieser Ansicht später selber erkannt; vgl. praef. p. XII. Über die 'glossae affatim' hatte sich Loewe nicht bestimmt ausgesprochen; er neigte aber zu der Ansicht, daß nur der eine Bestandteil dieser Glossen Aufnahme gefunden habe. Letzteres ist sicher richtig: es sind die *glossae abstrusa*, von denen bereits die Rede war. Vgl. Corp. gloss. vol. IV praef. p. XXIX. Ebendarauf beruht die Beziehung zwischen dem *liber glossarum* und dem Vatic. 3321 nebst verwandten Glossaren. Damit wäre wenigstens ein Spezialglossar, das Aufnahme gefunden hat, nachgewiesen. Ich kann es sehr wohl verstehen, wie Usener dazu gelangt ist, 10—12 Quellenglossare anzunehmen. Wenn beispielsweise *Agmine, Censura, Demens* je 8 mal erklärt sind, also je 8 verschiedene Glossen bilden, *Alioquin, Communis, Dissonum* je 9 mal, *Arces* sogar 10 mal, so liegt es nahe, eine entsprechende Anzahl von Quellenglossaren vorauszusetzen. Eine genaue Berechnung läßt sich freilich auf solche Reihen nicht gründen, da ja auch die Quellenglossare dasselbe Lemma mehrfach gehabt haben können. Immerhin wird man zugeben, daß eine erhebliche Anzahl kleinerer Glossare zugrunde liegen. Ich habe nun die mir bekannten Glossare mit dem *liber glossarum* verglichen. Es fehlt natürlich nicht an Beziehungen und Ähnlichkeiten; aber es ist mir bei keinem einzigen außer dem oben genannten gelungen zu beweisen, daß es in das große Werk herübergenommen sei. Es ist das auch ganz natürlich. Erstens ist es von vornherein gar nicht nötig vorauszusetzen, daß gerade eines der vorhandenen Glossare darin ent-

halten sei: gab es doch außer den zufällig noch vorhandenen sicher noch viele andere Glossare in den verschiedenen Zentren wissenschaftlicher Arbeit. Sodann aber ist der Nachweis, daß grade dieses oder jenes Glossar ausgebeutet sei, überhaupt sehr schwer; es braucht ja aus den einzelnen Quellen nicht alles herübergenommen zu sein. Da nun im *liber glossarum* die alphabetische Ordnung genau durchgeführt ist, so ist oft jedes Mittel für die Entscheidung einer solchen Frage entzogen. Sicher aber ist es, daß wenigstens ein Teil der Quellenglossare uns nicht mehr erhalten ist; mithin ist für eine Anzahl wichtiger Glossen der *liber glossarum* unsere vornehmste oder auch einzige Quelle. Die beste Art, diese Quelle auszubeuten, ist ohne Zweifel die, daß alle bemerkenswerten und wichtigen Glossen excerpiert und in alphabetischer Folge ediert werden. Auf den Zusammenhang, in dem die Glossen sich jetzt befinden, ist dabei durchaus kein Gewicht zu legen, da der ursprüngliche Zusammenhang, der unter Umständen von großem Werte hätte sein können, doch unwiederbringlich verloren ist.“ Quae cum olim exposuissem, excerpta ex libro glossarum quinti voluminis p. 161—225 exhibui, alia in Thesauro glossarum emendatorum adieci. Ex quibus libris profectus sim praef. p. XX sqq. dixi. Ex his glossis non ita paucas ad Donati commentarios Vergilianos pertinere l. s. s. p. 66 sqq. (= 276 sqq.) docui ex parte post Vsenerum qui Mus. Rhen. vol. XXIII p. 496 eandem quaestionem tractaverat; cf. nunc in Thesauro gl. lemmata haec: *capella, Celeus, coctus, demum, Eurus, Gryphes, infandum nota esse aduerbium ut Donatus dicit* (V 212, 2; quae glossa nescio quo casu in thes. gl. omissa est), *Lucifer, Notios, obsum, Panchaia, serius, traha, trudo, uterus.* Vide de his Lammert (de Hieronymo Donati discipulo) p. 26, Ender Aelii Donati comm. Verg. rel. p. 21 sq. His locis quibus Donatus nominatur alia adieci quae eidem grammatico tribui possunt, velut quaedam ex Vergilii vita Donati; cf. lemmata *lenocinium, toga, fungor, Cebetem, Andes*; adde lemmata *proceres, pistrix* (*pistris*), *cauerna, consulo* (*consulere*), *hibernus, mandatum credat, sibila ora, uannus,* quae quamquam auctor non nominatur Donato tribui posse conieci. Haec et alia eiusmodi cuius interest nosse legat quae l. s. s. p. 69 sqq. (= 279 sqq.) proposui. Talia quae insunt in excerpendo libro glossarum acerrimo studio indagare conatus sum, quamquam in tanta glossarum multitudine me nihil effugisse affirmare non audeo. Quantam autem liber glossarum inde a nono saeculo in hoc litterarum genere auctoritatem habuerit, infra accuratius demonstrabitur. Redeo nunc ad vetustiora glossaria quae quarto volumine complexus sum.

CAPVT XII. DE GLOSSARIIS CODICVM VATICANI 3321 ET SANGALLENSIS

§ 34. Cod. Vaticanus 3321 septimi saeculi, cuius scripturam accurate exhibui vol. IV p. 3—198, duo continet glossaria ita contaminata, ut quid alterius utrius sit facile dignoscatur; prius enim horum glossariorum in codicibus haud paucis non contaminatum exstat: unde uncis quae cod. 3321 peculiaria habet a ceteris distinxi. Ab his igitur glossis peculiaribus nunc disputatio nostra profisciscatur; de glossis quae ab *Abstrusa* incipiunt proxima paragrapho disseretur. De glossis huius libri in universum conferenda sunt quae Mai Class. auct. t. VI (a. 1834) p. VII, Wilmanns Mus. Rhen. t. XXIV (a. 1869) p. 381, Loewe Prodr. p. 143 sqq., nos praef. IV p. VII sqq., 'Berichte der S. Ges. d. W. 1888' p. 231, Ind. Ien. a. 1889. 1890 p. VII, H. Gnueg, de glossis Terentianis codicis Vatic. 3321 (ed. Ienae a. 1903) exposuimus.

Libri vetustissimi materiem glossematicam triplicem esse facile ostendi potest: longe maior glossarum pars fluxisse videtur e Vergilio et Terentio, quibus alia quaedam inserta sunt de quibus infra agetur. Vergilii et Terentii quae sunt maiore confidentia ad fontes suos revocari licet propterea, quod integrae glossarum series constitui possunt, modo Vergilii, modo Terentii, modo ex utroque fonte permixtae. Ordinum Vergilianorum hoc exemplum profero (p. 45, 43—46, 18): **45**, 43 *coturno genus calciamenti vel spiritu grandi* = Ecl. 8, 10; 44 *conuellere auellere siue abstrahere* = Aen. III 24; 45 *cohibet continet uel retinet* = Aen. III 424; 46 *confunditur miscetur* = Aen. III 696; 47 *conlapsa cadentia* = Aen. IV 391; 48 *consedete sedete* = Aen. IV 573 (*considite*); 49 *congerere construere* = Aen. VI 178; 50 *congeritur conportatur* = Aen. II 766; 51 *conduntur seruantur* = Aen. VII 303 (II 401); **46**, 1 *corripiunt adprehendunt* = Aen. I 363; 2 *chorus multitudo* = Aen. V 240 (Georg. IV 460 al.); 3 *constituit fixit* = Aen. V 130 (XI 6); 4 *confluere conruere* = Georg. IV 558; 5 *conpellare adloquere interpellare* = Aen. II 280 (III 299; VIII 164); 6 *confligunt contendunt* = Aen. II 417; 7 *conuoluens inuoluens* = Georg. III 426; 8 *coruscae fulminis coruscantis* = Aen. II 172; 10 *coniux maritus a coniunctione* = Aen. I 343; 11 *commota concitata* = Aen. I 360 (V 213); 12 *corrupere* (= *corripuere*) *inuasere* = Aen. I 418; 13 *collem editum* ⟨*locum*⟩ *montem altum* = Aen. I 419; 14 *coloni incolae uel habitantes* = Aen. I 12; 15 *conuectantes conportantes* (aliunde illatum; om. *a.*); 16 *conuectare conportare* = Aen. VII 749; 17 *contemplatur speculatur* (*contemplator* est Georg. I 187; IV 61); 18 *coge in unum collige* = Ecl. III 20. In qua serie quamvis non omnes glossae ita ad fontem

revocari liceat, ut nulla sit dubitatio, de universa tamen re satis constat. Addo alteram seriem (Gnueg p. 10): **100**, 33 *incessi inuasi* = Aen. XII 596; (34 *inertia affectus uel laesus* corrupta; cf. Aen. IX 55); (35 *innuba uirgo hoc est innubata*); 36 *inhalantes perolentes* (cf. Georg. IV 109, ubi *halantes*); 37 *inhumata insepulta* = Aen. VI 325; 38 *incassum sine causa* = Aen. III 345; 39 *inane superfluum* = Aen. IV 433?; 40 *interluit perfundit* = Aen. III 419; 41 *in abruptum in profundum* = Aen. III 422 (cf. XII 687); 42 *infabricata incomposita* = Aen. IV 400; 43 *ingeminant iterant* = Aen. I 747; 44 *ingeminans iterato uocans* = Aen. II 770; 45 *incendit excitauit* = Aen. IV 197; 46 *inualidus uitiosus* = Aen. VI 114; 47 *instaurare renouare* (cf. Aen. VII 146); 48 *incudis massa ferri librata* (cf. Aen. VII 629); 49 *inopina insperata uel improuisa* = Aen. VIII 476 (V 857); 50 *inexpletus insatiabilis* = Aen. VIII 559; 51 *indulgere operam dare* = Aen. IX 615 (II 776; cf. Serv.); 52 *inglorius non pugnans* = Aen. XI 793; 53 *innabant natabant* = Aen. X 222; 54 *innocuae inlaesae* = Aen. X 302; (55 *inextricabile inexplicabile*?); **101**, 1 *indiscreta non separata* = Aen. X 392; 2 *ingrauat exaggerat* = Aen. XI 220; 3 *inpellite prouocate* = Aen. XI 278; (4 *industrios prouisores*?); 5 *infecunda sterilis* = Georg. II 48?; 6 *incondita incomposita uel inordinata* = Ecl. II 4; 7 *incommune inmedio*?; 8 *inprouida sine prouidentia* = Aen. II 200; 9 *ineluctabile quod non euaditur* = Aen. VIII 334; 10 *inruimus cum impetu inuadimus* = Aen. II 383 (III 222); 11 *induitur operitur* = Aen. VII 640; 12 *inuitis nolentibus* = Aen. II 402?; 13 *insidiis fraude pugnantibus siue dolosis* = Aen. II 195 (*insidiosis* scripsi, quo fortasse non opus); 14 *in occasu in interitu* = Aen. II 432; 15 *incomitata sine comitibus* = Aen. II 456; 16 *in praecipitio in alto uel in abrupto* = Aen. II 460; 17 *imbelle debile* = Aen. II 544; 18 *insertabam inserebam uel contexebam* = Aen. II 672; 19 *innoxia innocua* = Aen. II 683; 20 *inmerita indigna* = Aen. III 2?; 21 *inmemores nescii uel inprudentes* = Aen. II 244; 22 *inprouiso subito uel inuiso* = Aen. VIII 524 (XII 576); 23 *inmensam ingentem* = Aen. II 185 (VI 186); 24 *inferret iniret uel inportare* = Georg. IV 360; 25 *incute infer uel inice uel inmitte* = Aen. I 69; 26 *inde deinde* = Aen. I 275 (?); 27 *incusant querulis uocibus accusant* = Aen. I 410 (?); 28 *incauta nescia uel inprouida* = Aen. IV 70 (?); 29 *induerat transfigurauerat* = Aen. VII 20; 30 *inceptum designatum* = Aen. IV 452; 31 *inhumati insepulti* = Aen. I 353; (32 *infulas uictimas*? cf. *infula uitta* Georg. III 487); 33 *intractabile inexpugnabile* = Aen. I 339; 34 *intacta integra* = Aen. XI 419; 35 *interea inter haec uel inter id* (frequentissima); 36 *incognita ignota* = Aen. XII 414; (37 *inbutus doctus*); 38 *indiget eget* = Ecl. II 71; 39 *incolumes salua dignitate* = Aen. IV 415; 40 *in uulgum in populum* = Aen. II 99; 41 *ingratam nullam gratiam relaturam* = Aen. XII

144 (?); 42 *inmota fixa perpetua* = Aen. I 257; 43 *inpiger paratus* = Aen. I 738; 44 *intente sollicite* = Aen. II 1 (?); 45 *ingens magnus* (saepissime); 46 *in utrumque in alterutrum* = Aen. II 61; 47 *inermis nudus ab armis* = Aen. II 67; (48 *inuisum numquam uisum*); 49 *inuisales* (= *Iouis ales*) *aquilae* = Aen. I 394 (XII 247); 50 *insistere instare* = Aen. VI 563; 51 *Iris arcus caelestis* = Aen. IV 700. "Cuius modi series etiam plures reperiuntur Vergilianarum glossarum; addo has paucas: IV 32. 20? 21. 22. (23 Ter. gl.) 24? — 35; 52, 41. 42? 45—53, 1; 57, 38—41; 43—50; 67, 11—42, paucis exceptis; 75, 29—39. 42; 76, 24—32; 79, 46—55; 126, 6—27; 150, 49—55; 151, 2—5; 163, 48—164, 5; 164, 44—165, 6; 169, 38—170, 1 ... 171, 28—46 (47?); 176, 21—36 praeter 25—27; 177, 46—178, 9; 192, 1—14. 28—51 (IV 110. 113, 24—29. 117. 118. 134. 173, 28 sqq. gl. Verg. maximus numerus obviam fit). Praeter has permultae exstant series minores atque etiam longissimae pluribus glossis alienis interruptae, quarum omnium hoc loco mentionem facere omnino non in animo est." (Gnueg p. 11 sq., qui quod 169, 51 pro *setres animos — ignitatos* legendum proponit *resides animos ignavos* coll. Aen. I 722, erravit). Quod quam verum sit perspexi ex schedis Gnuegianis quibus quascumque reperire potuit glossas Vergilianas sive certas sive probabiles singulari diligentia enotavit; qualia nunc satis erit paucis verbis indicasse. Quae qui reputaverit, glossarii auctorem ante oculos habuisse putabit sive Vergilii glossarium, qualia infra tractabimus, sive codicem glossematis illustratum, cuius materiem excerpsit ad ordinem litterarum idque ita, ut saepissime priscum ordinem quatenus fieri posset servaret.

Sed ut fundamentum fuerunt principale glossae Vergilianae, ita ne Terentianae quidem glossae neglegendae erunt, quarum magnam inde molem idem Gnueg l. s. s. feliciter eruit. Etiam harum glossarum continuae series exstant, quarum duo exempla proferre liceat. Prima series est in p. 42 a gl. 1—33: 1 *commeare ambulare uenire* = Heaut. 444; 2 *conparare procurare* = Heaut. 397 (?); 3 *coniecit inpulit* = Andr. 602 (?); 4 *commodiorem utiliorem* = Andr. 844; 5 *confutare confundere* = Phorm. 477 (?); 6 *contra contrario* = Phorm. 699 etc.; 7 *conperisse agnouisse* = Andr. 145; (8 *contendebant currebant festinabant uolabant aut cupiebant*); 9 *contemplare extimare* = Phorm. 210 (?); 10 *consumat expendant* = Andr. 160 (Heaut. 465); 11 *confore conuenire aut aduenturum esse* = Andr. 167; 12 *contaminare contingere* = Heaut. 17 (?); Andr. 16; 13 *conuenit concordat* = Andr. 942; 14 *conperire agnoscere* (cf. Andr. 90; 145 etc.); 15 *coniciat mittat uel persuadat* = Heaut. 292 (Hec. 842); 16 *commentum concinnatum* = Andr. 225; 17 *consulis consilium habe[n]s* = Heaut. 437; 18 *conueniam admoneam* = Andr. 227; 19 *concurrunt in*

unum ueniunt = Ad. 627 (cf. Andr. 511); 20 *communicatum consultum* = Andr. 239; 21 *coeptat incoat* = Phorm. 626; 22 *conparet prouideat uel coaequet* Eun. 355 e.q.s. His alteram seriem addo in singulis vel planiorem: **69**, 30 *ex sententia ex uoluntate* = Heaut. 765; 31 *excessit exiit excidit* = Hec. 347; 32 *expuit reiecit* = Eun. 406 (?); 33 *exanimatus timore percussus perturbatus* = Andr. 131; 34 *exoro te optineo te* = Andr. 901 (Eun. 185. Ad. 936); 35 *exorandus optinendus* = Andr. 167; 36 *exprompta exquisita parata* = Andr. 723; (37 *expulit eiecit*); 38 *excessis discessis discedas* = Andr. 760; 39 *exedent comedent* = Heaut. 462; 40 *ex animo libenter* = Ad. 72; 41 *excruciat consumat* = Phorm. 187; 42 *exordiar incipiam* = Hec. 362; 43 *exorere exsurgere* (*exsurgis*?) = Hec. 213; 44 *expedit liberat exsoluet* = Phorm. 766 (?); 45 *exercitatum instructum* = Hec. 407; 46 *exigat transigat* = Hec. 490; 47 *exorta nata* = Hec. 632; 48 *ex hoc inde postea* = Andr. 268; 49 *expurgat exuet* (= *expurget excuset*) = Hec. 742; 50 *expetit rogat* = Hec. 727. Similes ordines idem Gnueg sibi agnovisse visus est velut hosce (p. 14 sq.): IV **9**, 9. 10. 12—14; 16; **22**, 35. 38. 39. 40? 41; **30**, 29? 30. 31; **43**, 10—26 (cf. Goetz ind. schol. Ien. 1889 de glossis 43, 13—21); quibus adde **43**, 23 (Hec. 815); **43**, 24 (Hec. 837). Quam seriem maximam alia — interiecto haud magno spatio — non multo minor subsequitur: **50**, 28—44 (praeter gl. 30. 33: sed cf. Phorm. 910—38. 41. 43). Aliae minores vel potius minimae gl. Ter. series inveniuntur: **57**, 53. 54; **58**, 2. 3; **62**, 33—35; **71**, 47. 49. 51—54; **79**, 15—20; **85**, 20—24; **98**, 2—9; **119**, 34—42; **129**, 43—48. 51. 53. 54; **158**, 33—**159**, 3; **159**, 28—39; **162**, 16—45; **172**, 33—36. 38—40. Ita cum Terentii glossas una cum Vergilianis quasi fundamentum glossarii esse cognoverimus, non mirabimur, quod saepius series exstant, quibus utriusque generis glossae confusae et contaminatae sunt, quales Gnueg p. 15 sqq. enumerat. Aliquoties accidit, ut pristinus ordo perluceat, ut supra Hec. 407; 490; 632. Sed rariora talia in Terentianis glossis quam in Vergilianis. De proventu glossarum Terentianarum idem dicendum quod de illarum origine exposuimus. Conveniunt modo cum Donato, modo cum scholiis quae edidit Schlee — cf. exempla quae Gnueg p. 48 sqq. composuit —, modo cum neutris; unde conicio ex scholiis trivialibus sive marginalibus sive inter versus adscriptis ea fluxisse. Indicem glossarum quas ex Terentii fabulis sumptas esse aut constat aut magis minusve probabile est idem Gnueg p. 21—44 exhibuit.

Sed etiam si sic contingeret quotquot Terentianae et Vergilianae insint glossae ita eruere, ut dubitatio omnis exclusa esset, haud tamen paucae residerent, quae ad neutrum poetam accommodari possent. Quae glossae nequaquam eiusdem omnes sunt generis; velut haud

paucae ad grammaticam spectant, ut hae (18, 35—45): *Antifrasis cum dicimus habundare quod non est et acidum quod dulce est denuntiamus naturae, (anathema perditio), analogia similitudo, anagogia regula artium ad loquendam, anacefialeosis recapitulatio, anthismos concinnitas, antonoma pronomen, anapestis exutraque longus, anfimacros exutraque urebis, amfibolia duuia dictio, analogia propositio*: quae integra series quin ex eodem tractatu excerpta sit (cf. velut Donatum IV p. 399 sqq., quem glossator sub *Euge* adfert p. 66, 23), vix dubitabis; eidem fonti similes aliarum litterarum glossas confidenter adscribes. Aliae glossae eo inter se continentur, quod omnes quodam cum Festo vinculo possunt conecti, veluti hae (27, 49—28, 6): *capuluis manubrium gladii* (cf. Paul. p. 61, 12), *cassabundus instauilis bacillas* (cf. Paul. p. 48, 4), *capulum ubi mortui efferuntur* (cf. 27, 49), *caniles ex farina et aqua coquitur* (?), *caluitur moratur* (cf. Plac.), *caesit cecidit* (= ceciderit; cf. *occisit occiserit* et Fest. p. 178), *capessas incirias ut ciceso* (?), *capessere incipere uel adinplere* (?), *capsit aperit* (cf. Paul. p. 57, 15), *cardens uasa frestiua saliorum* (cf. *capis* Paul. p. 48, 9), *carissa lena est dupla* (cf. Paul. p. 44, 3), *canier leno* (?), *canice recremeo* (cf. Paul. 46, 1), *casinar senex* (Paul. p. 47, 13): quarum plurimae cum ad Paulum accommodari possint, ceterae apud Festum videntur exstitisse. Similes glossas commemoro hasce (satis habeo lemmata attulisse): *antiae* (17, 26; cf. Paul. p. 17, 5), *capronae* (29, 41; cf. Paul. p. 48, 12), *deterimi* (= *decermina* 53, 46; cf. Paul. p. 72, 7), *falcones* (74, 14; cf. Paul. p. 88, 8), *insulae sunt quem non iunguntur communibus parietibus cum uicinis* (92, 1; cf. Paul. p. 111, 5), *insupare* (92, 2; cf. Paul. p. 111, 15), *medius fidius* (116, 43; cf. Paul. p. 147, 8), *nequinunt* (123, 46 = Fest. Pauli p. 162, 24), *offendis* (132, 3; cf. Fest. p. 205, 2), *praepetes* (156, 28; cf. Fest. p. 205, 26), *querquera* (158, 10; cf. Fest. p. 257, 31), *siliquastrum* (172, 32; cf. Fest. p. 340, 10), *suppara* (180, 1; cf. Fest. p. 311, 4), *tolleno* (185, 44; cf. Fest. p. 356, 8). In his consensus cum Festo vel Paulo cum aut certus sit aut magis minusve probabilis, etiam alia eidem fonti adscribemus, maxime in eis litteris quae apud Paulum solum exstant. Cf. *caliendrum, caracutiqum, concipulassent, comitialis morbus, coxilina, discerniculum, diribitores* aliae. Eo maior vis tribuenda erit his vel similibus glossis ex bono nimirum fonte derivatis: *purpurilla, tuturilla, transenna*; *oculi cesii gattinei, occentare male ominari, oculi emissicii existantes uel eminantes, oculi gramos crassa pituita optute* (quae quattuor glossae 131, 32 sqq. se excipiunt); *ostenta, stolones, sudum, tuccentum, tuburcinatus*, aliis. Nonnullas glossas ad Apuleium spectare Loewe Prodr. p. 144 adnotavit; cf. *decermina, concipulassent, tuburcinatus* (locos in Thes. gl. em. indicavi). Aliae ad Iuvenalem pertinent; cf. *acoenonitus, bascaudas*. Sed etiam hebraicae glossae haud

paucae inveniuntur nec Eucherii vestigia desunt. Quae glossae diversissimae cave ad eundem fontem revoces: videntur potius plures tractatus vel plura excerpta ab eo adscita esse qui glossarium illud sexto vel septimo saeculo condidit. Quod qua ratione cum aliis glossariis coniunctum sit, infra apparebit. Quanta qui composuit glossarium neglegentia usus sit, ex talibus glossis intelleges quales sunt *inuisales aquilae* (101,49); quae ex hac scriptura explicanda est: *iuuis ales* pro *iouis ales*; nunc legitur post *inuisum* et ante *insistere*.

§ 35. Nunc ad prius illud glossarium pergamus, quod ab *Abstrusa* incipit: cuius glossarii cum memoria exstet non contaminati, de qua praef. IV p. XII—XIV summatim disputavimus, de contaminationis ratione facile iudicare possumus. Vtriusque glossarii materiem comparantes vix effugere poterit partem glossarum inter se conspirare, h. e. in utroque glossario exstare, velut 38, 34 = 40, 39; 53, 3 = 52, 5; 73, 4 = 72, 23; 140, 16 = 139, 17; alias. Quod mirari noli: nam simile est utriusque glossarii fundamentum, scilicet ex glossis Terentianis et Vergilianis compositum, ut iam Gnueg l. s. s. p. 50 perspexit. Ordines glossarum in glossis 'abstrusa' non tam plani sunt quam in altero glossario, nec raro accidit, ut glossae Vergilianae et Terentianae confusae inveniantur; exempla enotavit Gnueg haec: **40**, 38. 39 gl. Ter., 40—42 Verg., 43 Ter.; **49**, 37, 38 gl. Ter., 40 gl. Verg.; 41 Ter., 42—43 Verg.; **68**, 51 gl. Verg., 52 Ter., 53 Verg., 54 Ter., **69**, 1 Verg. Sed etiam singulares glossas saepe ad Terentium, saepius ad Vergilium summa probabilitate revocari posse idem p. 51 monuit: 51, 11 *dedita opera* = Eun. 841; 73, 20 *phaleratis ornatis aut ficticiis* = Phorm. 500; 139, 4 *pedetemptim caute quasi pede temptans* = Phorm. 552; 164, 12 *ringitur irascitur indignatur* = Phorm. 341; *vesperescit sero fecit* = Heaut. 248. A talibus profectus Gnueg indicem glossarum ex Terentio promptarum p. 51 sqq. confecit laudabilem, quamquam de multis glossis rem dubiam esse ipsum non effugit; sed ne sic quidem summam rei infirmari manifestum est. Idem mihi roganti Vergilianarum glossarum indicem manu scriptum tradidit, ex quo perspexi eandem esse Vergilianarum glossarum rationem quam Terentianarum esse diximus. Nonnulla exempla exhibeo: **27**, 18 *caulas* = Aen. IX 60; 20 *caulem* = Aen. XII 413; 22 *conum* = Aen. III 468; 23 *capulum* = Aen. XII 734; 24 *caminus* cf. Aen. III 580 cum Servio VIII 418; 26 *caudix* cf. Georg. II 30; **30**, 5 *cana mala* = Ecl. II 51 cum Servio; 7 *calatum* cf. Ecl. II 46; Aen. VII 805; 8 *calta* = Ecl. II 50; 9 *caduceum* cf. Serv. ad Aen. IV 242; 12 *caua trabe* = Aen. III 191; 13 *castoreum* cf. Georg. I 59; **79**, 38 *furor* = Aen. II 316; 39 *furentes* = Aen. IV 42 etc.; 41 *furtiuum amorem* = Aen. IV 171; 42 *frustratur* = Aen. VI 493; 43 *futilis*

= Aen. XI 339 (?); **80**, 35 *flagrantem* = Aen. II 685; 36 *fragor* = Aen. I 154 etc.; 40 *fracti* = Aen. II 13; 41 *frangimur* = Aen. VII 594; **83**, 42 *Graios* = Aen. II 148; 43 *grandaeuus* = Aen. I 121; 47 *grates* = Aen. I 60 etc.; 49 *gramina* = Aen. XII 415; 50 *graditur* = Aen. I 312 etc.; 51 *grauiter* = Aen. VII 753; 52 *gratatur* = Aen. V 40; 54 *graui cura* = Aen. IV 1; **91**, 15 *incedens* = Aen. V 188; 17 *inclementia* = Aen. II 602; 18 *inclita* = Aen. VI 781; 19 *incestat* = Aen. VI 150 cum Servio; **99**, 22 *intextus* = Aen. V 252; 29 *inuitat* = Aen. V 486 etc.; 33 *inuocat* = Aen. VII 140; 34 *inuisere* = Aen. VIII 159; 37 *inueni uiam* = Aen. IV 478 (Ter. Eun. 247?); 41 *inuergit* = Aen. VI 244; **106**, 8 *lebetas* = Aen. III 466. V 266; 22 *Lerna* = Aen. VI 287; 24 *Lernaeus* = Aen. VIII 300; 25 *letifer* Aen. III 139; **120**, 24 *mulcere* = Aen. I 66. VIII 634; 25 *munus* = Ecl. VIII 60 etc.; 28 *munia* cf. Serv. in Aen. XII 520; 33 *murice* = Aen. IV 262; **138**, 15 *patuit* = Aen. I 405; 18 *patulae* = Georg. IV 566; 21 *Panas* cf. Serv. in Aen. VI 775; 24 *patulis* = Georg. I 376 etc.; 25 *paulisper* = Aen. V 846 (Ter. Ad. 253?); 33 *pedibus plaudunt* = Aen. VI 644; **155**, 35 *pressant* = Aen. II 444 (?); 36 *praeruptis* = Georg. II 156; 37 *praepes* = Aen. V 254 (III 361); 39 *praestantior* = Aen. VI 164; 40 *praedulce* = Aen. XI 155; 44 *praecipue* = Aen. I 220 etc.; **160**, 32 *recens* = *Georg.* III 156; 33 *recensit* = *Georg.* IV 436; 34 *recludit* = Aen. I 358 etc.; 40 *recursat* = Aen. I 166; 41 *recurso* = Aen. II 52; 43 *recidiua* = Aen. III 344; 44 *recursat* = Aen. IV 3; **163**, 28 *resultat* = Georg. IV 50; 29 *reserat* = Aen. VII 613; 30 *restantia* = Aen. 679; 32 *retentat* = Aen. V 278; 35 *retexit* = Aen. I 356; 36 *retractat* = Aen. VII 694; 38 *reuiso* = Aen. II 795; *reuisam* = Aen. II 669; 40 *reuisit* = Aen. I 415; **182**, 7 *tedae* = Aen. IX 76; 9 *tegmine* = Aen. I 275; 10 *tellus* = Aen. VI 23; 11 *telluris* = Aen. I 34. In quibus exemplis quamquam non omnia certa esse probe scio, tamen de summa rei omnis dubitatio exclusa est. Itaque magnam glossarum partem constat ad Vergilium et ad Terentium spectare, eiusdem igitur prosapiae esse quam in priore glossario tractavimus. — Sed tertium glossarum fundamentum fieri non potest quin agnoscamus per totum illud glossarium pertinens, quod utrum ex uno an ex pluribus fontibus repetendum sit aegre dicas. Christiana inesse non pauca facile intelleget qui vel unam litteram percurrit: quo in numero numeranda esse nomina hebraica, id est biblica, vix est cur diserte dicamus. Eodem referendae sunt velut tales glossae: *cucurbita secundum septuaginta, reliqui et ederam dixerunt* IV 43, 52 (cf. Roensch Ital. p. 9 sq.), *⟨h⟩exaemeron librum unum composuit* IV 69, 21 (cf. *inexaimeron sex dierum* IV 94, 10 = Euseb. eccl. hist. V 13); *homoeusion similis substantiae* IV 87, 35; *idolum ex dolo nomen accepit, quod diabulus creaturae cultum diuini honoris inuexit* IV 89, 6 (cf. Isid.

VIII 11, 14), *in exstasi abreptum a sensibus corporis et subreptus in deum aut ubi a deo ad hominem revocatus est ut: ego dixi in exstasi* (IV 92, 33); *parasceue latine praeparatio dicitur* (IV 138, 20; cf. Eucher. instr. p. 155, 2); aliae multae. Ex eodem fonte utrum magnus vocabulorum rariorum numerus profluxerit necne non audeo decernere; cf. velut talia: *abaso* (de quo num Stowasser Arch. XII p. 579 recte iudicaverit dubito), *acrimoniosus, agagula, agonia alacritas uigor, alsosus, anxiferis, artopta, bouinatores, cateruarius, ciuicat, clipeare, dilargus, discipulati* (Roensch Collect. p. 91), *aegrotaticius, emulcens, epulaticius, excanet. ferascit, foliatum, ninnarus, parasituli, platanetum,* alia non pauca. In eodem glossario exstare synonymorum Ciceronis vestigium apertissimum iam supra dixi; cf. *orator actor* etc. IV 134, 3 (= § 24). Omnia si complectimur, satis recentem scriptorem materiem praestantiorem praebuisse suspicabimur, quem nescio an contingat indagare. Glossas 'abstrusa' in librum glossarum transisse § 33 monui; eaedem in 'affatim' glossis exstant.

Haec igitur duo glossaria septimo saeculo[1]) coniunxit qui glossarium Vaticani 3321 condidit. Vtroque glossario vel potius glossario ex utroque derivato usum esse videri qui codicis Leidensis 67 E farraginem congesserit exposui IV praef. p. X; quo de libro conferendi sunt L. Mueller in Fleckeiseni Annal. vol. V 93 (a. 1866) p. 385, Loewe Prodr. p. 145, nos l. s. s. Ex quo excerpta quaedam quinto volumini addidi (cf. p. 632 sqq.); itaque infra ad hunc librum redeundi occasio data erit. Etiam aliis in glossariis exstant vetustissimi libri vestigia, velut in glossis 'a a': quae tamen nunc mittenda esse censui.

§ 36. Glossarii Sangallensis quod ex codice Sangallensi 912 saeculi octavi exhibui prototypon iam septimo saeculo exstitisse ex excerptis apparet quae Carolus Pascal in codice Ambrosiano F 60 sup. saeculi VII invenit (cf. Bolletino di Filologia class. ottobre 1905 = Letteratura Latina medievale ed. Cataniae a. 1909 p. 191 sqq.; etiam Lindsay mihi excerpta misit): his enim in glossis quamquam ordine diversis et auctis quibusdam nec non deminutis aliis in universum fragmentum eiusdem glossarii exstare editor rectissime exposuit. De codice ipso Sangallensi post Vsenerum et Loewium diligenter egit Minton Warren in libro qui inscribitur 'Transactions of the Ame-

1) In libro Matritensi quem vol. IV praef. p. IX commemoravi, in fol. 159ᵛ haec glossarii mira inscriptio est: 'Łᴮ głosūs! bā̂ba! et uitizza rēg̃s. Incipit liber quod dicitur glossemada ꝓ X̃X̃ · Ī̃ · littere cōpulatū.' Certe notabilis memoria, quod Bamba (= Wamba, 672—681: cuius historiam scripsit Iulianus Toletanus, grammaticus notissimus) et Vitiza (672—680) reges cum hoc glossario (vel exemplari quodam glossarii) coniunguntur. Num simili modo olim in exemplari libri glossarum, quod Ansileubi nomen exhibuit, illam memoriam servatam esse statuendum est?

rican Philological Association' vol. XV (a. 1885) p. 126; 128; idem glossarium edidit ex suo apographo, quod Gundermann denuo cum codice manuscripto comparavit.

De fontibus glossarii Sangallensis olim Minton Warren libelli quem attuli p. 130 sqq. bene disputavit, quamquam quaestionem exhaurire illo tempore neque potuit neque voluit; perspexit enim non ita paucas glossas revocandas esse ad Vergilium, etsi ordines quales sunt in Vaticano 3321 ibi non comparent; velut *circumfundimur circumdamur* (219, 12) = Aen. II 383 (cf. IV 35, 28); *ast ego ego autem* (208, 30) = *Aen.* I 46; *allabitur leuiter decurrit* (205, 52) = Aen. X 292; *diens susceptus* (216, 38) = Aen. VI 609 (cf. Serv.); *capessere capere inuadere frequenter* (215, 33) = Aen. I 77 (cf. Serv.). His addendae: *ab oris a finibus uel ab initiis* (201, 29) = Aen. I 1; *Aeneadae Romani uel Troiani* (204, 19) = Aen. I 157 (cf. Serv.); *Belidae a Belo patre* (211, 17) = Aen. II 82; *byrsam corium bubulum* (212, 14) = Aen. I 367 (cf. Serv.); *curuato gurgite erecto fluctu* (224, 46) = Aen. III 564 (cf. Serv.); *damae capreae* (225, 9) = Georg. III 539; *decidit cecidit* (227, 8) = Aen. V 517; *desaeuit ab iracundia lenitur* (227, 26) = Aen. X 569 (cf. Serv.); *dies opum* (229, 46) = Aen. I 14 (II 22; Georg. II 467); *deriguit obstipuit* (226, 25) = Aen. III 308; *Phoebea luna⟨e⟩* (238, 46) = Aen. IV 6, ut alia harum et aliarum litterarum exempla mittam. De hoc igitur fundamento ut dubitari non potest, ita ne de altero quidem incerti sumus, quod in Vaticani glossariis invenimus, h. e. de glossis Terentianis, etsi minus frequentes esse videntur. Velut iam Warren attulit duas notabiles hasce: *compotrix socia ad bibendum* (220, 31) = Andr. 232; *aliorsum alteram in partem* (205, 48) = Eun. 82; his addes alias magis minusve probabiliter, ut has: *discidium separatio per uim facta* (229, 23) = Hec. 476; *diuerticulum quod breui loco diuertitur* (229, 38) = Eun. 635; *dictitat frequenter dicit* (228, 50) = Heaut. prol. 22 (Phorm. prol. 4); *educat nutrit* (230, 43) = Phorm. 943; *effertur funus ducitur* (230, 48) = Andr. 117; *expediam explicem liberem* (235, 22) = Ad. 614; *experire cognosce[re]* (235, 23) = Phorm. 494 (?); *ganeo tabernio popinator* (240, 43) = Heaut. 1034; *ringitur irascitur indignatur* (280, 7) = Phorm. 341; alias. Dubitare igitur vix licebit, quin duo poetae medio aevo famosissimi partem aliquam materiae dederint. Mirum sane est quod etiam alium ob fontem cum glossis Vaticanis comparari possunt Sangallenses: magnum enim glossarum numerus continent quae cum Festo vel rectius cum Paulo certo et aperto vinculo cohaerent, quarum longe plurimas iam Warren indicavit: *nis nobis* (261, 51) = Paul. p. 47, 3; *anxati uocati nominati* (206, 28) = Paul. p. 8, 9; *exanclare exhaurire* (235, 61) = Paul. p. 80, 13; *oppidanus*; *ciuis ex oppido*; *nam oppidaneus latinum ⟨non⟩ est*; *apud antiquos oppida dicta*

sunt quod opem darent (265, 7) = Paul. p. 203, 2; *remillo repando* (278, 56) = Paul. p. 276, 13; *sarissa genus teli Macedonici* (281, 47) = Paul. p. 319, 8; *sucerda stercus ouile* (288, 33) = Paul. p. 303, 1; *tagax furunculus* (290, 3) = Paul. p. 358, 1; *nusciosus qui plus uespere uidet* (262, 39) = Fest. p. 173, 21; *alcitellus alte euocatus* (= *educatus*; 206, 8) = *altellus terrae nutritus* (206, 10) = Paul. p. 7, 10; *exhaustant exhauriunt* (235, 8) = Paul. p. 82, 6; *taura sterilis* (290, 17) = Paul. p. 353, 1; *aeneatores corno uel calamo cantantes* (204, 18) = Paul. p. 20, 7; *bubinare inquinare sanguine mulieris menstruatae* (213, 3) = Paul. p. 32, 1; *campae equi marini* (213, 30) = *Pauli* p. 44, 1; *carisa uafra* (214, 31) = Paul. p. 44, 3; *acieris securis quam flamines seu pontifices habebant* (202, 39) = Paul. p. 10, 1; *palma manus* (314, 28) = Paul. p. 370, 7. Sed iam satis videtur esse exemplorum, quamquam multa alia addi possunt. Ex quibus apparet opinor excerpta Festi modo accurate facta modo hoc vel illo modo mutata in septimi saeculi glossarium recepta esse, qualia excerpta quamvis non eadem etiam in Vatic. 3321 inesse invenimus. Atque in Sangallensi mirum est quot glossae ad Pauli Festi epitomatoris copias accommodari possint, cum earum glossarum quas Festus solus servavit paene nullo loco ratio haberi videatur. Cum tamen fontem ex quo qui hoc glossarium concinnavit sua haurire potuerit iam duobus saeculis ante Paulum exstitisse certum sit, nescio quomodo hanc rem explicem nisi sic: Paulus Diaconus cum epitomam suam conficeret, excerpta talia qualia tractavimus pro fundamento videtur habuisse et adscito ipso Festo in eam quae nunc exstat formam redegisse: qua de quaestione infra denuo disputandum erit.

Sed praeter ea quae cum Paulo et Festo componi licet etiam aliae glossae vetustioris prosapiae inveniuntur quae modo cum Placido modo cum Nonio conferri possunt aut per se tales sunt, ut vetustatis notam prae se ferant certissimam; quales iam Warren collegit plurimas. Neque tamen hebraica aut christiana vel alia recentioris latinitatis vestigia desunt; cf. *acidiatur, acidia, actuarius, anasceue, anathema, apostolus, apocalypsis, aulicus, adonai, amen*, alia multa. Itaque similis huius glossarii condicio est atque Vaticanorum glossariorum, quae propter hanc ipsam rem uno capite tractavimus. Qui confecit glossarium, utilitati discipulorum consulens glossarum quoddam fundamentum ad lectionem Vergilii et Terentii fulciendam praebuit, sed et doctiores haud paucas glossas vetustioris notae adspersit, christianam autem doctrinam minime neglexit.

Praeter ipsum codicem Sangallensem codices aliquot adscivi similia glossaria continentes, quamvis non prorsus eandem materiem

praebeant. Exemplum codicis Ambrosiani saec. IX vol. IV p. 585 sqq. proposui. Glossis cum Sangallensi conspirantibus haec est praemissa series: *Allegoria spiritalia, Acolothin ecclesiasten, Ambrosia diuina, Analogia simili comparatio siue propositio,* 5 *Absida latori circulus, Anachoritę qui soli habitant, Adnititur plus conatur, Abluit cadit, Adlut perfudit,* 10 *Adlubiis locus cenosus, Adridit gaudit fauit, Artum angustum locum siue dolum, Adnexi satis conati, Archana mentis secreta mentis,* 15 *Atrix nigris, Agra aedes, Abdigat exereditat, Abluta diligenter lota, Absistere discedere,* 20 *Abiecte excluse, Adruptis per uim ruptis, Abiecit proiecit, Arces altiora laeta, Arbusta loca arborum,* 25 *Atua pluraliter, Accidus adductus*: ex quibus 18 etiam in Sangallensi est, in aliis glossariis leguntur 5 (= *latiores conculas*), 7, 9, 10, 11, 12 (contaminata), 13 (= *Adnisi*), 15, 17, 21, 22, 23, 24, 26, ceterae inutiles sunt. Similis condicio aliorum ordinum qui in littera A adiecti sunt videtur apparere, unde non est cur his glossis additiciis maius pondus tribuamus. In ceteris litteris additamenta et pauciora sunt neque meliora. — Codex Leidensis 191 secundo loco glossarium continet ex duobus glossariis haustum: alterum eandem fere materiem habet quam codex Sangallensis, cuius discrepantiam potiorem adscivi; prius sive ex uno sive ex pluribus fontibus derivatum nihil exhibere, quod non ex antiquioribus fontibus notum sit, recte dixisse mihi videor. Posteriori glossario excerpta nonnulla ex Paulo addita sunt (cf. Loewe Prodr. p. 141), velut haec in littera B: *Bona i. substantia rerum dicta quod digna sint bonis* (= 30, 2); *Bacrionem dicebant genus uasis longioris manubrii*; *hoc alii trullam appellant*; *Baratrum ... fugiant*; *Burrum ... appellatur*; *Bulla aurea ... consilium*; *Boicus ager ... Mediolanenses.* Paulina excerpta continua a glossis littera initiali distingui solent; ex his vix quicquam ad emendationem Pauli peti posse ex eis quae examinavi apparuit. — His codicibus glossarium adieci quod 'asbestos' dicitur a Loewio ob primam glossam: *Abeston lapis arcadię* e. q. s., quae ex Isidoro (XVI 4, 4) fluxisse videtur, ut quae secuntur *absictos* (XVI 11, 2), *Aprica loca* (XIV 8, 34), *Ablactatus* (X 11), *Abactor* (X 14), *Abactus* (X 20), *Abram* (VII 7, 2), *Abortiuus* (X 20), *Absida* (XV 8, 7), *Abies* (XVII 7, 32), *Abiuratio* (V 26, 20). Iam submittuntur glossae quae etsi ordine discrepant in universum tamen cum Sangallensibus conspirant. Quae de codicibus huius glossarii dixi his non habeo quod nunc addam. Liber Vaticanus eo maxime a Cassinensi differt, quod additamentis pretiosissimis quibusdam auctus est, quae edidi IV praef. p. XVIII: de quibus conferenda sunt quae Mus. rhen. vol. LX (a. 1886) p. 324 sqq. disputavi, unde gravissima hoc loco repetenda esse censui (cf. quae supra p. 16 dixi): 'Man könnte sich ... versucht fühlen, alles auf Paulus oder

Festus zurückzuführen, oder, da dies nicht ohne Schwierigkeit ist, gar Verrius Flaccus hinzuzunehmen. Indessen stößt dieser Versuch auf schwere Bedenken. So kann man Corruptelen wie *Pepteides* und *Pegnides* zwar auf einen Codex des Festus zurückführen, nicht wohl aber auf Festus selber oder gar Verrius Flaccus. Entscheidend ist aber das Verhältnis des 15. Fragments zu Fr. 1 und 14. Lachmann hat bekanntlich die Beobachtung gemacht, daß bei Festus niemals Lucilius nach der Buchzahl zitiert wird. Das stimmt auffallend bei *pipatio*, das doch sicher auf Festus geht, es stimmt aber nicht bei *abzet* und *pedicum*. Wollte man aber einen Unterschied statuieren zwischen Festus und Verrius Flaccus, so schwebte eine solche Vermutung völlig in der Luft. Wenn wir es also auch aufgeben müssen, alle 23 Glossen auf Festus-Verrius zurückzuführen, so bleiben die Berührungspunkte mit Paulus-Festus immerhin noch auffallend genug. — Ein zweiter Umstand, der sofort ins Auge fällt, liegt in den Berührungen mit Lucilius ..., doch reichen diese sichern oder möglichen Beziehungen nicht hin, um etwa das Ganze dem Lucilius zuzuschreiben. Es läßt sich also über die Herkunft der besprochenen Glossen nur so viel sagen, daß sie teils auf Festus, teils auf eine grammatische Sammlung zurückgehen, in der namentlich Lucilglossen enthalten waren.' Quibus pauca habeo quae addam. Gl. 14 est: *pedicum vitium mollitiae*, quae verba ad 'morbum peducularem' Marxius rettulit, nescio an recte. Ad corporis vitia etiam aliae glossae pertinent, velut secunda (*Bietus senex marcenti corpore*); 6 (*lactobriga est qui urina humana dentes sibi fricare solet*); 18 (*sanna narium medium*); 19 (*scidici lascivi, libidinosi, quod subinde scindantur*); 20 (*scultimidoni qui scultimam suam quod est podicis orificium gratis largiatur*); 21 (*suppes est qui sola concava non habet*); 22 (*taurus dicitur locus inter inguina et podicem medius*). Quae qui leget ei nescio an ultro succurrat recordatio libri Suetoniani qui est de vitiis corporalibus: quamquam quomodo hanc suspicionem confirmem non habeo.

CAPVT XIII. DE GLOSSARIIS CODICIS LEID. 67 F

§ 37. 'Abavus' glossarii brevioris (IV 299—403), quod plus quam quinque milia glossarum complectitur, hanc esse indolem Loewe Prodr. p. 90 exposuit: 'I. Ad severum litterarum ordinem redactas esse has glossas primo statim obtutu apparet. Velut cf. lemmata apud Hildebrandum p. 99 sq. a *des* incipientia: Descat — Desciscat — Desciscit — Descit — Desecto — Desertum — Deseuit — Deses — Desideratus — Desidescere — Desidia — Desidiosus — Desiduus — Designat — Desiluit — Desipit — Desistere discedere recedere — Desistere pati non posse

cessare — Desitiscere — Despondere — Destinata — Destitudo — Destitutus — Destringit — Desuetus — Desuper — Desurgit —. Non autem mirum quod saepius huic normae obstat qualis apud Hildebrandum est litterarum ordo: dici enim nequit quantopere hac in re grassata sit librariorum neglegentia .... II. Prorsus ... singulare illud est, quod qui glossas collegit, ut augeret opusculi ambitum, saepiuscule numerum glossarum ita duplicavit, ut praeposito lemmati interpretamento novam glossam quasi cuderet.[1]) Quae quidem ratio quam sit perversa non est quod exponam. Iam compares velim quas ex diversis glossarii locis congessi glossas: *enucleavit exposuit = exposuit enucleavit*; *colomes salvos = salvos colomes*; *eluciens producens = producens eluciens*; *perduelles hostes = ostes perduelles* ⟨= *hostes perduelles*⟩; *olli illi = illi olli*; *bambis aranea = aranea bambis*. Vbi duabus vocibus lemma explicatum erat, prior novae glossae lemma praebebat: *proci petitores uxorum = petitores uxorum proci*; *visaccia sarcina mantica = sarcina visaccia mantica*; *pirata latro marinus = latro marinus pirata*. Quid? quod ex talibus glossis ternas adeo glossator confecit, curans ille ambitum potius quam bonitatem glossarii. Cf. haec exempla: *ruscidum ubidum humidum = ubidum humidum ruscidum = humidum ruscidum ubidum*; *sapa passum defretum = passum sapa defretum = defretum sapa passum*; *contentio altercatio disceptatio = altercatio contentio = disceptatio rixa contentio = rixa contentio disceptatio*'. Quam rerum condicionem qui diligenter secum reputaverit, auctorem huius glossarii non tam sibi proposuisse glossas cogere quam lexicon quod dicimus latinum condere pristina glossarum forma neglecta mox intelleget. Quamquam ne is quidem glossographus priorem naturam singularum glossarum prorsus obscurare potuit, etsi neglegentia saepe usus est pessima, velut 384, 25: *Quousque quandiu vel usque quo* et *Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra,* quae prave discreta una glossa comprehendenda sunt Ciceronis notissimo loco ornata. Mirum est quod praeter interpretamenta latina non raro graeca quoque adiecta sunt, velut 331, 17 *diligentius impense enixe,* quibus *ἐκτενέστατα* addunt *abc*, 334, 46 *effertur funus ducitur,* quibus *ἐκκομίζει* addunt *abc*, 334, 47 *efficit sufficit* (*ἀρκεῖ ἀπόχρη* add. *ac*), 335, 17 *elatus ambitiosus superbus* (*ἀλαζών* add. *ac*), 341, 2 *falbus fulbus helbus* (*ὁ ξανθός* add. *acd*). In eis quae modo attuli Leidensis graeca omisit; idem servavit in hisce: 350, 56 *immo μὲν οὖν* (om. *abcde*); 351, 42 *insanctus ἀνόσιος* (om. *abcde*); 310, 46 *arillator cocio μετάβολος*. Quarum glossarum plurimae cum etiam sine graeco interpretamento propagatae sint, nolim cum Loewio (Prodr. p. 96) concludere auctorem Graecum

1) Talia etiam in aliis glossariis invenimus; cf. gloss. 'a a', ut uno utar exemplo.

fuisse, qui Prisciani fere aetate haec collegerit; immo qui Graeca scripsit ex latinograeco glossario hausit tali quale Pseudophiloxeni est; cf. glossemata codicis Harleiani quae § 23 tractavimus. Multo plura exempla exstant in maiore glossario 'abavus'; velut Vossianum 82 quinquaginta talia interpretamenta exhibere testis est Loewe p. 96: unde apparet eum qui maius lexicon consarcinaverit adhibuisse exemplar pluribus interpretamentis graecis insigne quam quo nos utimur. Nam noli credere 'abavus' minus glossarium ex maiore tractum esse: quod cur negem mox apparebit. Qua cum re cohaeret, quod glossas 'abavus' etiam alio vinculo cum Pseudophiloxeno contineri ipse Loewe Gl. N. p. 102 sqq. feliciter docuit. Codex enim Leidensis p. 352, 46 hanc glossam habet: *indissertus ab infans*, ubi pro *ab* glossarium maius habet *axp*. Quae scriptura etiam alibi in eodem glossario apparet, velut 335, 6 *egredi axp euitere*; 351, 45 *incides* (= *inciens*) *apx gravida*. Idem *apx* = ἀρχ saepius exstare apud Pseudophiloxenum et ἀρχαίως valere perspexit iam Klein Mus. Rhen. vol. XXIV (a. 1869) p. 293 adn. 6. Vnde recte adscivit Loewe glossas codicis Leidensis 310, 52 (*armentia pax essentia extantia* = *armentia ἀρχαίως eminentia extantia*; cf. Papias); 374, 22 *patibulum ἀρχαίως crux*; 357, 36 *ipsus ἀρχαίως ipse* (*axp sepsus ipse bd*). Adde quod totam seriem glossarum ex bilinguibus ductarum detexisse sibi visus est Loewe hanc (gl. N. p. 105): *pulcer speciosus* (382, 37); *pulpae carnes* (382, 38); *pulentum puleium* (382, 39); *pullos filios avium* (382, 40); *pullulat germinat* (382, 41); *pullum nigrum* (382, 42), quamquam in his non omnia certa esse vix ipsum Loewium fugit. Alia exempla sunt *apex repaia* (310, 7), h. e. κεραία, ut idem Loewe proposuit Gl. N. p. 110 coll. Pseudophiloxeno II 19, 27; *vigor χοιν laetitia* (401, 39), ubi *χοιν* 'abavus' maior, in quo ἀχμή latere putat Heraeus, cum Loewe l. s. s. p. 112 ἰλαρότης proposuisset. Quid quod ex uno fragmento glossarii bilinguis, quod edidimus II p. 561 sqq., haec exempla notabilia derivari possunt: 302, 46 *accepto tulit recepit* (= II 561, 43); 349, 5 *hibernat hiemat* (= II 561, 35); 305, 26 *adsum praesum* (= II 561, 51, ubi scribendum: *praesens sum*); 308, 46 *amoti remissi* (II 561, 50); 355, 43: *irrumpere obrepere inrepere* (= II 562, 3)? Quibus aliam ob rem addi possunt ex Pseudophiloxeno haec: 342, 20 *ferrago viridis* (= II 70, 35; γράστις *d* addidit); 304, 5 *adinventiones compositiones* (= II 10, 45); 309, 51 *apertularius effractor* (= II 21, 48); 313, 19 *battuit concidit decidit* (= II 28, 43); 315, 17 *cacula servus militis* (= II 95, 20); 331, 9 *digitabulum digitum* (cf. II 49, 30); 357, 30 *invium sine via vel timore* (ἄβατον add. *abc*; cf. II 215, 8); 359, 44 *laetrus laevus* (= II 120, 20); 359, 12 *lapsina lapsus* (= II 585, 14); 376, 46 *pessimus verbosus* (κάκιστος add. *ad*; cf. II 149, 50); 388, 2 *rumigerulus rumoris portitor vel*

opinionis (= II 176, 8); 389, 37 *scindit dividit* (= II 180, 4); 391, 31 *silo naso inciso vel reducto* (= II 184, 2). In his exemplis quae si tanti est augeri possunt non omnia eodem modo certa haberi posse non nego, nego de ipsa re dubitari posse.[1]) Qui igitur illud glossarium composuit, latino-graeca glossaria adscivit, nisi malueris omnia ex uno glossario derivare, nempe eo cuius insigne illud fragmentum p. 561 sqq. exhibuimus. Quamquam longe maximam glossarum partem ex qua opus suum concinnaret ex glossariis mere latinis — nam illa graeca verba in sermonem latinum recepta, ut *allegoria, analogia, apodixis,* pro latinis habenda sunt — eisque nobis magis minusve notis hausisse auctorem etiam nunc demonstrari potest. — Non unum autem fontem talem subesse, sed plures, minimum duo, iam inde non sine probabilitate concludes, quod permultis locis duae eiusdem lemmatis glossae iuxta se collocatae sunt, veluti *Abnepus filius nepotis* (301, 37) et *Abnepus filius pronepotis, id est nepus nepotis* (301, 38); *Acies ordo vel prima pars exercitus* (303, 17) et *Acies extensa militum inpugnatio* (303, 18); *Bona caduca facultas quae non habet firmitatem* (314, 32) et *Bona caduca quae successionem legitimam non habent* (314, 33); *Bustum sepulchrum succensum* (315, 1) et *Bustum ubi cadavera hominum conboruntur* (315, 2); *Capite census coronam qui in capite gerit* (316, 25) et *Capite census taxatio possessionum* (316, 26); *Dapsilis largus profusus* (327, 20) et *Dapsilis ab opibus qui satis erogat escas* (327, 21); *Latices botriones, caprioli* (359, 33) et *Latices liquores, aquae lateres* (359, 34) et alia multa. Nec desunt glossaria, quae cum eo quod tractamus firmo vinculo cohaerere videantur. Velut permultae glossae communes sunt glossario 'abavus' et glossis Vatic. 3321, ex quibus has commemoro: *Abrogare legem tollere* (302, 9 = 3, 5); *Auscultat advertit intente* (302, 16 = 21, 43); *Acrae mentis validae mentis* (303, 22 = 5, 30); *a culmine ab alto a summo* (303, 35 = 5, 36); *Aegeator hortator* (305, 51 = 11, 48); *Adrogans superbus* (305, 3 = 7, 24); *Accidit evenit* (302, 51 = 7, 14); *Adfari adloqui* (303, 49 = 8, 15); *Admentum ligamentum* (304, 28 = 16, 24); *Adsertor confirmator* (305, 20 = 11, 1); *Altilia studio saginata* (308, 4 = 15, 13); *Accipitrem acceptorem* (302, 53 = 5, 31); *Adlositum adlisum* (304, 25 = 7, 31 *adsolitum adlisum*); *Adoream laudem bellicam* (304, 47 = 8, 29); *Adrumavit rumorem attulit* (305, 4 = 8, 9; 10, 2); *Agaso domesticus* (306, 42 = 13, 12); *Acoenonitus qui nulli communicat* (303, 19 = 7, 1); *Actuarius acta qui facit* (303, 32 = 7, 2); quibus multae aliae et in A littera et in aliis litteris addi possunt. Item multae glossae in primo glossario Amploniano redeunt. Etiam cum aliis glossariis communia sunt haud pauca: sed vix contin-

1) De talibus glossis ex latinograecis in mere latinas mutatis iam Loewe Prodr. p. 192 dixerat.

get singulos fontes accurate distinguere, ut quorum ipsorum summa similitudo exstet. Haec autem non sine quadam veri specie dici posse videntur: 1) multae glossae quas 'abavus' glossarium solas exhibet ita natae sunt, ut ex interpretamento novum lemma fieret, lemma in interpretamenti locum cederet; 2) haud ita paucae glossae ex bilinguibus glossariis derivandae sunt, quae hic illic interpretamenta graeca retinuerunt, plerumque tamen abiecerunt; 3) maiorem glossarii partem ex aliis glossarum promptuariis desumpsit auctor, desumptam ad severiorem litterarum ordinem accommodavit: in quo negotio etsi non idem quod in Vaticano codice 3321 est glossarium adhibuit, tamen simili mole glossarum usus est, nisi quod Terentii glossae aut nullum aut parvum locum videntur habuisse; 4) haud paucae glossae insunt ad propinquitatis gradus cuiuscumque generis pertinentes, velut in littera A sola hae: *abavus, abamita, ava, abnepos, abmatertera, amita, abpatruus, avus, agnatus, amita magna, amitina, amitinus, atnepos, avunculus, avunculus magnus* (cf. Isid. IX 6), quarum pars tantum in aliis glossariis redit; accedunt vocabula iudicialis sermonis haud pauca, quae iam Loewe Prodr. p. 97 notavit; 5) etiam rariores glossae insunt ad eundem vel plures scriptores revocandae, ut hae: *Ducto auspicio, Flocci pendens, Sed ne hiscatis, Savia libantes,* aliae; ex his priores simul in glossis 'a a' inveniuntur, quod etiam de aliarum glossarum numero haudquaquam mediocri valere moneo; 6) glossarium multa vestigia sermonis vulgaris continet, qualia ex parte iam Loewe indicavit; talia sunt in lemmatis *niniosus, minificentia, livegat* (= *levigat*), *fidus* (= *foedus*), *prodiunt prodeunt, instruem* (= *struem*), *abscoltat, aeditus* (= *aedituus*), *aemitavit, bambis* (= *βόμβυξ*), *cretellae cletellae, ferrago* (= *farrago*), *frustra* (= *frusta*), *litices* (= *liticines*), multa alia.

§ 38. Pergo nunc ad alterum glossarium Leidense quod ab ab absens incipit (IV p. 404—427). Cuius glossarii materies in littera A triplex est: continet enim 1) satis multa quae cum Pseudophiloxeni glossis componi possunt; 2) non paucas glossas Vergilianas; 3) glossas etiam in aliis glossariis exstantes. Pseudophiloxeni glossae hae sunt (cf. Goetz de Astrabae Plautinae fragmentis in ind. lect. aest. a. 1893 p. 3 sqq.; supra p. 11): *acceries* 404, 15; *Actuuernalis* 404, 22; *Adpletoret* 404, 35; *Aemidus* 405, 7; *Atanulu* 406, 33; *Aureax* 406, 40; *Alibre* 405, 24. Quae glossae etiam alia ratione inter se conexae sunt: etenim fere omnes apud Festi epitomatorem Paulum inveniuntur (*Acceries* p. 10, 1 = *Acieris*; *Actuuernalis* = 12, 6 = *Adtibernalis*; *Aemidus* = 24, 4; *Atanulu* = 18, 11; *Aureax* = 8, 12; *Alibre* = 25, 4 = *Alebria*). Quibus nescio an addendae sint glossae hae: *Adasia* 404, 25 = Paul. p. 12, 13; *Astraba* 406, 29 = *Astrama* II 22, 15 (quam glossam

Paulus abiecit); *Aequilatium* 405, 11 = 24, 8 *Aequilavium*; *Ambulacrum* 405, 39 = Pauli p. 21, 8 = Pseudophilox. II 16, 15; *Alvola* 405, 33 = Paul. p. 4, 10; *Amusus tacitus non mutiens* 405, 43 = Paul. p. 6, 9 (*quidam amussim esse dicunt non tacite, quod mutire interdum dicitur loqui* = V 520, 14; 560, 44); *Arculus* 406, 14 = Paul. p. 16, 8; *Arietat* 406, 20 = Pseudophil. II 25, 15; *Ausonium* 406, 45 = Paul. p. 18, 1. In aliis litteris vestigia Festi paucissima exstant velut 421, 3 *Purpurissimum* = apud Pseudophiloxenum II 165, 24. — Glossas Vergilianas commemoro hasce: *Abluta* (Aen. IX 818); *Acerra* (Aen. V 745); *Acrius* (Aen. IX 791); *Acciri* (Aen. IX 192); *Adero* (Aen. IV 125; 386); *Adempta* (Aen. IX 131; XII 879); *Adi* (VIII 302); *Adit* (frequenter); *Adsumus* (Aen. V 57); *Adorea* (Aen. VII 109); *Aere cavo* (Aen. III 240. 286); *Alipedes* (VII 277); *Anubis* (Aen. VIII 698); *Araxis* (Aen. VIII 728); *Arethusa* (Aen. III 696 et alibi); *Argenteus* (Aen. VIII 655); *Arietat* (Aen. XI 890); *Asylum* (Aen. VIII 342); *Assaracus* (Aen. VI 650); *Auspicium* (Aen. XI 347). His etsi fortasse hanc vel illam ut incertiorem dempseris, pleraeque tamen certae videntur esse. — Denique glossas etiam in aliis glossariis frequentiores affero has: *Abdicat, Ab ineunte aetate, Abrogans, Alluvies, Adsecula, Antibiblium, Apocalypsis, Arcites, Avium, Haut secus, Haut procul.* Non desunt singularia, ut *Abartenum*, quod hinc in glossarium Abavus maius transiit; *Afrutabulum vasculum* (cf. *rotabulum*), *Amoenatim* (?). Similis est condicio ceterarum litterarum, nisi quod Festina vestigia paulatim minuuntur. Notabilis est glossa *votis in Capitolio rite nuncupatis*, de qua vide quae in Thesauro glossarum emend. annotata sunt. Etiam de ceteris satis habeo ad Thesaurum relegasse. Igitur qui hoc glossariolum composuit, pro fundamento habuit glossarum Vergilianarum collectionem; his addidit ex aliis glossariis haud pauca, denique totum ornavit doctae antiquitatis excerptis ex Festo factis.

Glossae Vergilianae quae nunc secuntur in multis codicibus exstant, de quibus IV praef. p. XXVIII breviter, sed sufficienter disputavi. Singulae glossae ad severiorem litterarum ordinem dispositae nec uno loco lemmatis pro interpretamentis, interpretamentis pro lemmatis acceptis novae glossae procreatae sunt, ut iam in 'abavus' glossario factum esse vidimus. Exempla haec sunto: *Abeuntibus discedentibus* (= Aen. I 196) = *Discedentibus abeuntibus*; *Aequitas rectitas iustitia* = *Rectitas iustitia aequitas*; *Asperrima bellicosissima* (= Aen. I 14) = *Bellicosissima asperrima*; *Barbaros animos ferocia corda* = *Ferocia corda barbaros et indomitos animos* (= Aen. I 302/303); *Burca clavaca* = *Clavaca burca.* Ceterum multo maior glossarum pars ad sex priores libros pertinet; ultimi libri certa exempla paucissima ostendunt. Ad Georgica etsi non

ita multae glossae spectant, de his tamen dubitari vix poterit. Poterit dubitari de Eclogis, quandoquidem quae deprehendi possunt exempla nescio an potius ad cetera carmina sint referenda, quibus eodem iure accommodari possunt. Haud ita paucae glossae alienae videntur ac nescio quomodo Vergilianis glossis insertae, ut *Absconditum absconsum celatum, Cachinnus tractus solutusque risus, Calx lapis est unde calculum diminutive dicimus, Comesatur turpiter convivatur luxuriatur, Deambulatorium peribolum,* aliae multae. Inter glossas quas examinavi sunt quae cum Servio Danielis possint componi, veluti hae: *Chimaera Typhonis et Echidnae filia prima leo, postrema draco, media capra, quam Bellerophontes occidit* (Aen. VI 288) = Serv.: *Typhonis et Echidnae filia, ore leo postremis partibus draco, media caprea secundum fabulas fuit* (ubi verba *Typhonis et Echidnae filia in* solo pleniore Servio exstant); *Belli portae templum est quod bello patet et pace clauditur* (Aen. I 294) = Serv. Dan.: *Belli portae Iani gemini quae bello aperiebantur pace claudebantur.* Aliae cum Servio genuino conspirant, ut hae: *Liquidis in nubibus in liquido aere; nubes enim pro superiore aëre ponitur* (Aen. V 525) = Serv.: *Liquidis in nubibus; nubes pro aere posuit*; *Accingunt praeparant* (Aen. II 235) = Serv. *Accingunt operi praeparant se ad opus.* Longe plurimae tamen glossae ad neutrum accommodari possunt, ut hae: *Concludere sulco. sulcus est aratri ductio quo veteres fundamenta dirigebant* (Aen. I 425); *Ingeminant abruptis nubibus ignes assiduus fulget ictibus aether* (Aen. III 199). Cum glossis Vaticanis raro possunt componi, quamquam ex eadem prosapia oriundae sunt, scilicet ex glossis trivialibus sive marginibus sive inter versus adscriptis. Quaecumque huius generis exstant, commode Thesauro glossarum adhibito indagari poterunt.

§ 39. Nunc demum ad maius glossarium 'abavus' accedo, cuius materies minimum e quinque minoribus glossariis hausta est. Fundamentum principale est glossarium 'abavus' minus, cuius glossae aut integrae receptae sunt aut sicubi cum aliis contaminatae sunt primum locum habere solent. Plena sunt in littera B quam p. 589 sqq. expressi velut haec exemplа: *Babigera stulta, Baccula bovis femina, Balantes belantes oves, Balteat cingit, Bases sessio columnae, Battuit concidit decidit, Beatus felix sapiens inmortalis proximus,* etc. Postea 'abavus' glossis glossarium 'ab absens' adiectum est, cuius glossae item saepe integrae receptae sunt, ut hae: *Baiae Cumae civitates in Campania balneatae, Barba stereli duribuccius, Berecynthia mater deorum, Bombosum sonorum furibundum* etc. Vbi qui composuit sicubi lemma quod in 'ab absens' erat iam invenit, scilicet ex 'abavus' translatum, eidem lemmati novum interpretamentum submisit; ut hoc exemplum docet: *Bellona dea inferorum* ex 'abavus' receptum erat; iam in 'ab absens' quod exstat

Bellonica (h. e. *Bellona*) *bellicosa*, inde glossae 'abavus' glossarii addidit *vel bellicosa*. Item *Beluae bestiae* 'abavus' habet; *Beluae bestiae maris* 'ab absens', quae forma nunc in maiore glossario est. Tertiae accesserunt glossae Vergilianae, quae aut suam retinuerunt formam, ut in his: *Bacchatam Baccho sacratam, Barbaros animos ferocia corda, Belli portae templum est quód bello patet et pace clauditur*, aut contaminatae non habent primum locum, ut *Brabeuta qui palmas dat* (abavus) et *Brabeuta brabifer* (gloss. Verg.) = *Brabeuta qui palmas dat vel brabifer* (abavus maior); *Bruma gelum* (abavus) + *Bruma hiems* (gl. Verg.) = *Bruma gelum hiemis* (ab. maior). Quarto loco accesserunt glossae Abroganus quae pro fundamento sunt glossis Keronis quae dicuntur, editis ab Eduardo Sievers in primo volumine glossarum Palaeotheodiscarum p. 2 sqq.[1]) Immutatae velut hae desumptae sunt: *Bacchat sacrificat, Baccatum margaritatum, Bacchi antiqui, Bracata Gallia, Bumbum sorbellum, Bariona filius columbae, Byvira secunda coniux*; contaminatae hae: *Boetes stellae sunt circa septentrionem* (ab. min.) = *Butis stella comis quasi comam habens* (Abr.) = *Boetes stellae sunt circa septentrionem quasi comam habens* (ab. mai.); *Bacchatur insanitur vel furit* (ab. min.) = *Bacchatur discurrit* (Abr.) = *Bacchatur insanitur vel furit vel discurrit* (ab. mai.) = *Bacchatur furit* (gl. Verg.); *Bella gero pugnam facio* (ab. min.) = *Bella gero inimicitias exerceo* (Abr.) = *Bella gero pugnam facio vel inimicitias exerceo* (ab. mai.). Sed etiam quintum glossarium dignosci potest, exstans illud inter glossas 'affatim' de quo mox agendum erit; unde puriora quidem exemplaria, cuius dux est Vossianus 82, pauciores habent glossas, plures cod. Paris. 7640 eiusque propinqui. Ex puriore classe exscribo haec: *Beatitas beatitudo, Bellum domesticum intra domos, Berillus genus lapidis candidi.* Contaminata sunt velut haec: *Barchei genus Africae* (gl. Verg.) = *Barciae barbari* (aff.) = *Barchei barbari genus Africae* (ab. mai.); *Bona caduca res damnatorum* (ab. abs.) = *Bona caduca quae successionem legitimam non habent* (ab. min.) = *Bona caduca hereditas, quibus non succedit ullus heres* (aff.) = *Bona caduca res damnatorum successionem legitimam non habent vel quibus nemo succedit heres* (ab. mai.). Relinquuntur aliquot glossae, veluti nonnullae maiores (*Balbus, Bonus, Bucco, Biliosus, Biothanatus*), quae ex libro decimo Isidori fluxerunt, item aliae, quae tamen minime singulares videntur esse. Propter talia glossas aliqua re notabiliores excerpsi (V p. 625 sqq.) praeter BG litteras quas IV p. 589 sqq. exempli causa integras exhibui. — Notabilis est glossarii plenioris inscriptio haec: *Incipiunt glosae ex novo et veteri testamento seu ex ethimologiarum spiritaliter compositae.* Qui titulus

1) Cf. R. Koegel Gesch. d. d. Litt. I 2 p. 426.

fictus esse videtur ex inscriptione Parisini lat. 7640 (= Sieversii primae columnae: INCIPIVNT GLOSAE EX NOVO ET VETERIS TESTAMENTI) et Isidoro, ex quo glossas haud ita paucas sumptas esse dixi. Revera veteris et novi testamenti paucissimae sunt glossae. Ceterum in codice Monacensi et aliis vel plenior est inscriptio haec: *Incipiunt glose affatae et reliquę decem novo et veteri testamento seu ex ethimologiarum spiritaliter compositae*, pro qua codex Montepessulanus habet: *Incipiunt glossae afatae et reliqua ex* e. q. s.; *reliquae decem* factum est ex *reliqua ex*. In eodem codice Monacensi exstant duae praefationes, quas hoc loco subiciendas esse existimo:

INCIPIT PROLOGVS. Hic prologus indicat, quibus glosis legentibus ut ubique per scripturis sacris sermones plerique occultantur vel mens cuiuscumque rei litterarum excellentiae difficultas detollat intellegentiae. Ibidem repperiat interlucentes sermonibus ut hoc quod capere minime potest. ei manifestum fiat Tamen gloriosa plurimum mentem descripturis per eruditos homines sapientiam oppositos ad apertionem sermones sensuum ministrantur. Si quis investigare nititur, cur aut que scribantur glose non inveniat ex alia ratione eas gestas. Nam siquis hoc sciscitare cupit quis primus eas descripserit Multi proponunt ignaros seu eruditos homines sapientia fuisse tractas. sed tamen virgilius aliqua parte exinde constituit. et putant multi hieronimum presbiterum in hoc fuisse tractatum. Ideo glosae dicuntur quia grecum sermonem utuntur et constant hic per abicinario paria duodecim.

Paene eadem verba exstant in codice Vaticano Reginensi 566 saec. IX/X, nisi quod 3 *rei* om., 5 *glosae* est pro *gloriosa*, 6 *sapienti*, 8 *et alia*, 9 *pagnaros* (*pegnaros*?), 10 *fuisse tas*, 10 *et inde*, 11 *multi putant*, 13 *duo dicem*. Item in codice Neoburgensi saeculi IX haec praefatio scripta est; qui liber prope accedit ad Monacensem, nisi quod 5 *glosae* est, 6 *sapientia*, 7 *vestigare*, 13 add. *id per a et b et c numero equaliter duodecim vicibus supra currit*. Ad Neoburgensem cod. prope accedit Parisinus noni saeculi, quem Omont tractavit (Notice du ms. nouv. acq. lat. 763 de la bibliothèque nationale contenant plusieurs anciens glossaires grecs et latins et de quelques autres manuscrits provenant de Saint-Maximin de Trèves par M. H. Omont. Paris 1903) p. 14 sqq. Hunc prologum in cod. Monacensi excipiunt haec:

IT̃ PRĘ FACIO. *Hanc priorem luculente interpraetationis glosulam citius caraxans depixeram. diversa namque aliarum exemplaria glosarum intuitu acerrimae mentis perlustrando sagaciter en eventilavi et quaeque in eis magis profutura fuis* (lineola deletum ut vid.) *pepensi, ilico decerpens huius praesenti operis pulchro contextu inserui. sivero cuiuslibet sagax desiderium per* (s. scr.) *quaesita cuiuscumque verbi indagatione in hoc priore*

opusculos fraudabitur sequentis credo operis auxiliamini citius succurritur. Quod sunt cla////vis quibus modis aperitur scientia hominis. IIII or prima est industria. legendi sedulitas interrogandi contemptio facultatum mundi. honor doctoris. Quod sunt qui timet homo perfectus. tres utilius dicit. tres res timeo. Prima quando egressa est anima decorpore meo secunda est quando occursurus sum deum. tertia quando proferenda erit sententia ad ver summe. EXPLICIT PROLOGVS.

Sequitur 'abavus' glossarium. Praeter codicem Vaticanum Regin. 566 et codices Parisinum et Neoburgensem hanc alteram praefationem etiam cod. Vaticanus 1471 continet; sed in omnibus his libris verba quae Monacensis post *succurritur* (v. 7) exhibet recte omittuntur; praeterea hanc profero discrepantiam: 3 *sagaciter euentilaui* cod. Reg., Neob., Vat. 1471; 4 *fuisse* omnes; *perpensi* ex *propensi* m. 2 in Vatic. 1471; 5 *inseui*; 7 *opusculo* omnes; *persuccurritur* Vaticanus 1471. Sequitur in Neoburgensi et Vaticano Reg. 566 inscriptio glossarii, in Neoburgensi sic: *Incipiunt glosae affatae et reliqua ex novo et veteri* e. q. s., sic in Vaticano 566: *In nomine dei summi incipiunt glosae ex novo et vetere testamento* e. q. s. Ex quibus praefationibus discimus auctorem inprimis ad sacram scripturam revocasse glossas, secundo loco ad Vergilium, ut non habeamus cur inscriptionem illam miremur. Porro etiam illud discimus, ex variis glossariis esse 'abavus' glossarium maius compositum. Quis auctor glossarii sit, non indicatur. De Micone, qui codicem Bruxellensem scripsit, non est cur cogitemus. Cf. IV praef. p. XXXVI sq. et Manitius p. 470. 475.

Quanta glossarii 'abavus' maioris auctoritas fuerit, et codicum satis magnus numerus demonstrat et excerpta, exemplaria epitomata, interpolata, aucta quae circumferebantur testantur. Inter aucta exemplaria etiam cod. Parisinus 10443 est, quem nondum commemoravi; item Neoburgensis, quem supra attuli: incipit ab his: *A vox est ante verbum vel apex prima, Aaron mons fortitudinis, Abavus pater proavi, id est avus avi, Abacuc amplexans, Abacta inclinata* e. q. s. De epitomatis exemplaribus cf. praef. IV p. XXXIX. His adde fragmenta saec. XII Laibachiana, quae Steinmeyer IV p. 473 accurate ut solet describit. Ex eodem glossario 'abavus' glossae '*abactor*' desumptae sunt, quarum exemplum proposui IV p. 599 sqq. (e litteris B et G). De libris manuscriptis egi praef. p. XXXIX sq., ubi etiam de compositione disserui. Summa haec est: 'usus est auctor glossarii 1) 'abavus' glossarum plenioris memoriae codice ut videtur tali qualis est Parisinus lat. 7640, ex quo libro excerpsit glossarum maiorem partem; 2) his adiecit glossas aliunde petitas, plerasque inutiles, h. e. aut viles aut notas; 3) glossas alio modo collocavit, contraxit, contaminavit.' Contaminatarum glossa-

rum profero exempla haec: *Barbarus truculentus inquinatus* (cf. *Barbarus truculentus* aff. + *Barbarus inquinatus contaminatus* aff.); *Barcei genus africana vel barbari* (*Barchei genus africe* gl. Verg. + *Barciae barbari* aff.); *Bruma brevitas vel gelus hiems* (*Bruma brevitas* Ampl. 1 + *Bruma gelum* abav. + *Bruma hiems* gl. Verg.). Nonnulla additamenta ex Amplonianis glossariis hausta esse videntur cum primo tum secundo; ex secundo velut haec: *Cluamentia stultitia.* Omnino dicendum erit longe plurimarum glossarum formam quas glossae 'abactor' exhibent ex 'abavus' glossario maiore aut solo aut melius quam ex aliis explicari posse. Quae ex 'abavus' glossario duci nequeunt, earum ratio ex reliquis glossariis plerumque patebit; quae relinquuntur, vilia sunt. His quae modo exposui adde quae de exemplaribus auctis praef. IV p. XXXVIII sq. disputavi: quae multo accuratius persequi possem, si res tanti esset. Nunc satis habeo dixisse interpolationum maiorem partem ex glossis 'affatim' esse petitam, post illas ex glossis hebraicis. Praeterea moneo his glossis cum glossario Salomonis coniunctis effectum esse, ut 'abavus' glossarium maius per totam mediam quae dicitur aetatem auctoritate floreret: quod ita se habere ex eis quae infra exponentur luculentius apparebit.[1])

§ 40. De 'affatim' glossario Loewe Prodr. p. 106 sqq. diligenter disputavit, quibus addenda sunt quae in praef. p. XXIX pleniore codicum notione fretus ipse proposui.[2]) 'Litterarum ordo non communis est. Etenim intra singularum litterarum ambitum vocalium ratio habetur, consonantium non item. Cf. haec quae e codice Leidensi 67 F[1] f. 15[r]b sqq. excerpsi lemmata: *cibarisus cliblanari cinocephalus citisum cisni clinicus cilipsidra comodat . . . colera cloace coloni . . . coniboli croma consequens . . . cupidus cupio . . . cruenda cupressus . . .*, quae quidem componendi ratio nostro usui admodum molesta est. Non desunt autem alius ordinis certa vestigia. Exstant enim glossarum series ad unam eandemque materiam spectantes vel certe talium quae ob similitudinem aliquam externam una ponendae esse viderentur. Qua de re non dubitabis, ubi harum glossarum ordinem perlustraveris: *Auspicatus adorsus incipiens vel incipit, Auspicio principio, Augor qui per auspicia divinabat, Augures qui auguria intendunt, Augurium auspicium, Augur qui aves*

1) Huius glossarii nescio qua recensione usum esse qui glossas Augienses (cf. Stalzer, Sitzungsber. d. Kais. Ak. d. W. in Wien B. CLII a. 1906) congessit, bene demonstravit Heraeus (Zu den lexikalischen Quellen der Reichenauer Glossen, Festschrift zum 15. Neuphilologentag, Frankfurt a. M. 1912); qua de re infra disputabitur.

2) De exemplari 'Affatim' glossarum quo usus est qui glossas theodiscas adiecit cf. Steinmeyer IV p. 1 sqq.

colit, Auceps avium captor, Aucupator captator vel venator avium, auspicia signa vel initia, Auguria somnia, Auruspices qui intendunt signa corporis, Auruspex arci inspector. Haec omnia ad *aves* aut spectant (*auspicatus — auguria*) aut spectare videntur (*auruspices, auruspex*). Aliorum eiusmodi ordinum lemmata tantum exscribam: *crateras craterea cada cantarus*; *clam* [bis exstat] *clandestinum clangulae*; *compactum conpegisti conpagibus conpago copulatus copula conpaginavit conpagines conectitur conectit*; *coniectura coniector coniectio coniecturae coniectorem coniectus*; *contribulibus contribuli cognati consobrini conterminalis.* Praeterea illud quoque aliquo modo ad ordinem spectat, quod exquisitarum glossarum series a trivialium glossarum contextu non raro seiungi possunt. Velut cf. *Adlegurrit degustat, Adnectans donans, Asperediscus uncinus, Aesculum genus arboris, Annet fulget, Acet curvat, Abreptabat ire incipiebat, Asseda sella quadriiugis.* Contaminatum esse hoc glossarium e duobus fontibus principalibus inde apparet, quod easdem glossas frequentissime bis insertas habes. Huc etiam illud rettulerim, quod eorundem lemmatum bina interpretamenta aliquotiens exstant; velut in Bernensi 224: *Lacunaria auratis camarae, it Lacunaria pendentia luminaria, Laquearia catena aurea aut corona, it̄ Laquearia ornamenta tectorum.* Eodem fortasse spectat adnotatio, quam ex hoc glossario supra p. 10 eruimus: *hic habet minus inter h et i folia quattuor, quae excisa fuerunt de exemplari*, si haec verba de duobus exemplaribus intelligenda sunt, quorum in altero quattuor folia interciderint. Sed non nimis plana, fateor, eorum sententia est. Inesse glossas quae derivatae sunt e glossario sine ullo ordine congesto docet vel una illa *catax claudus a coxa consentaneus*, ubi glossae *catax claudus a coxa* adhaesit eius quae sequebatur lemma *consentaneus* [intercidit interpret.]. 'Affatim' glossae num integrae in 'librum glossarum' receptae sint, dubito: possunt sane post saec. VII/VIII collectae esse e duobus glossariis, quorum alterum in 'librum glossarum' quoque insertum sit, alterum non item' (Loewe Prodr. p. 107 sqq.). In universum Loewium recte iudicavisse nova inquisitio confirmavit. Atque alterum glossarium quod quidem paene totum in 'affatim' translatum est, glossarium 'abstrusa' esse iam p. 125 indicavi, etsi sine argumentis; nunc accuratius demonstrabo. Proficiscor a littera B, quae non semel plures glossas continuas a glossis 'abstrusa' desumpsit, ut *Beatitas beatitudo felicitas, Beat beatificat, Beabis beatum facis, Beneficus bene agens*; item *Bellum domesticum intra domum, Bellum civile cives contra cives vel intestinum, Bellum Italicum bellum Romanum, Bellum Punicum Africum*; *Bibliotheca librorum repositio, Blitea stulta, Bibliothecarius qui codices resecat, Bibliopola qui codices vendit*; *Bipedale id est duorum pedum, Biclinium quasi bicellium duae cellulae, Bivium iter duplex, Bimator duplica-*

tor; *Bimaritus iterum maritus, Bivira secunda coniux, Birsum corium bubulum, Bipatentibus ianuis apertis.* Quamquam non omnes glossae B litterae in 'affatim' glossarium migraverunt, sed tantum longe plurimae, tamen de fonte ipso nulla dubitatio relinquitur. Idem valet de H littera, ubi continua glossemata haec sunt: *Herus dominus, Herebi inferni, Heremum desertum inaccessum, Hertet stupet, Herma castratio, Hermaproditus castratus*; *Hiberno sidere hiemis tempore, Hicterici hidropici, Hidroplasmus quas cantio componit organi, Hidromantes qui ex aqua divinant*; *Himeus nuptias aut carmen nuptiarum* = *Himeos nuptias* + *Himen nuptiae vel carmen nuptiale.* In littera K haec est series: *Kana fides antiqua fides, Kapessas incipias, Kamenae musae, Kaliope una ex novem musis, Karmina dicta, Kasses retia, Kassiculum reticulum, Kalibem ferrum, Kadere cedendo proferre, Karistia dies festus inter cognatos, Kai cancelli, Kalones galliae militum, Kadentia conlapsa, Kaltulum in quo mortui efferuntur.* Quae qui reputaverit, rem certam esse concedet. De hac igitur parte valere moneo quae supra de 'abstrusa' glossario exposuimus. De altero glossario difficile est iudicatu: constat *laquearia ornamenta tectorum* et *lacunaria pendentia luminaria* ex 'abstrusa' glossario provenisse, cum *laquearia catena aurea aut corona*, siquidem in *corona* latet *camera*, facile ex IV 104,21 + 104,29 derivari possit, item *auratis camarae* = *aurata camera* ex V 305,52 (Ampl. II). Cum eisdem glossariis 'affatim' etiam alias glossas communes habet, ut IV 4,7 *Abice expelle*, 9 *Abusi male usi*, 12 *Abiurae furatae*, 13 *Ab oris a finibus*, 15 *Abietem genus ligni*, 18 *Abditum absconditum*, 19 *Abstrusum remotum vel latens*, alias; cum Amploniano II (saepius etiam cum I) has: IV 490,10 *Caticuminus instructus*; 25 *Cataplasma medicamentum*; 28 *Causas irarum origo indignationum*; 34 *Cachinnant inridunt*; 37 *Calamizare laeta cantare*; 491,5 *Cada vas vinaria*, alias. Vnde constat ex neutro glossario solo duci posse alteram 'affatim' glossarum partem: aut igitur aliud olim glossarium exstitisse putabimus, ex quo omnia derivari possunt, aut ex duobus vel adeo pluribus materies collecta est. Nec neglegendum erit inesse etiam glossas quas ex solo hoc glossario novimus.

CAPVT XIV. DE GLOSSIS A A ALIISQVE EXCERPTIS

§ 41. Integra adhuc glossaria excudenda curavi: quae quidem glossaria cum et materie et fatis per totam quae dicitur mediam aetatem e ceterorum eiusdem generis turba eminere viderentur, quasi medullam studiorum glossographicorum continere visa sunt, ad quam aliorum opusculorum copias commode annecterem. Fieri enim ullo modo

potuisse nego, ut, quod quidam viri docti exspectaverant, eadem qua antea edendi ratione uti pergerem: quod si fecissem, verendum fuit, ne sic ingentem molem rerum frivolarum cumularem eadem materie ad nauseam usque repetita, quaestiones vero propter quas huic litterarum generi operam dari par sit nullo modo promoverem. Tetigi hanc rem olim eodem loco quo Scaligeri consilium corporis glossarum condendi tractavi (cf. 'Sitzungsberichte der Königl. S. Ges. d. Wissenschaften' a. 1888 p. 233), item in B. G. Teubneri libellis qui 'Mitteilungen' inscribuntur anni 1895 p. 125 sqq.; quoque magis in glossariorum notitiam penetravi, eo rectius me fecisse perspexi: nec quidquam in hac quaestione mutabitur, etiamsi nova emerserint glossaria mihi et aliis adhuc ignota. Itaque probatum iri confido quod satis habui ex aliis glossariis dumtaxat ea quae maiorem auctoritatem habere viderentur excerpsisse, nempe ex talibus potissimum glossariis quae ad elementorum rationem disposita prisci ordinis aut nulla aut tenuissima vestigia servaverint. Horum autem agmen ducant glossae A A, quo nomine a prima glossa desumpto (*A A vox dolentis est id est vae vae*; cf. Loewe GL. N. p. 140) iam Loewe in Prodromo usus est. Quattuor quos olim adscivi libris (cf. V p. XXVIII sq.) nunc quintus accessit non unam ob rem memorabilis, codex Monacensis lat. 14388, quem olim a me excussum Carolus Thielo diligenter descripsit ac cum ceteris eiusdem glossarii libris contulit in Comment. phil. Ienens. t. XI p. 1 sqq.

Mea autem excerpendi ratio ut cum ipsis libris manu scriptis conferri posset, litteram B ex codice Cassinensi 401 descriptam integram subicere placuit:

Babtismum tinctio, Basilla regina, Basileus imperator aut rex, Baccus vinum, 5 *Baratrum vorago fundum carens, Babylonia confusio, Baccanalia furor, Baccula vacca adminutive, Basilicus serpens qui flatu suo quod adtingit incendunt,* 10 *Bardus stultus ineptus, Babe admiratio est, Bachus vinus seu liber pater, Bachatur insanit furet perbaricatur discurrit, Baccat vociferat spatiatur,* 15 *Bachat sacrificat, Baccatur margaritatum, Bachatur crassatur latrocinatur furit vel currit, Baccanalia turpia saltantia, Baccalia baccationes fures,* 20 *Bacterium baculum fustem, Baduę dilicię, Bafer grossus, Baium porrum, Balantes belantes oves,* 25 *Barrum rufum, Barrus locaboselephas, Baratrum borago sive infernus cęnus, Baratum terre hiatus altitudo profundus, Baratrum genus foceta ingens profundi fovea,* 30 *Barbarismum loquelle vitium, Bacthum vinum temitum, Barbarus cruculentas, Bascaudas concas hęreas, Baucalem sigillonem ubi infusa fit,* 35 *Batillum vas ad portandos carbones, Barbisco γεντζω, Barbarica auro an ornamenta, Baubant latrant, Bases sessio columnę,* 40 *Baccillatex vinum, Bacue clamare, Bachra ursa ravida, Baburra stulta mempta, Barrum proprię genum tardum,* 45 *Batioca patera, Baccillum modicum baculum, Baculum fustem, Baccapulus in quo mortui ei feruntur, Baxeas calceos,* 50 *Basterna tecta manualis, Bacane herba iocundior, Beatus sapiens vel immortalis proximus, Beatus felix, Baxem calcea-*

menti genus, **55** *Beatitas beatitudo felicitas, Beat beatificat. Beabis beatum faciens, Beati felices fortunati, Beo beatum reddo,* **60** *Becilles egroti informes insani, Belligerant pugnant, Bellicosus pugnator potens, Bellicosus tumultus ac motus pugne, Belliger bellum gerens belligerat, Bellator bellis familiaris,* **65** *Bellona bellicosa mater martis, Bella gero inimicitias exerceo belligero pugno, Bellatrix pugnatrix, Bellasqueruperibus bellicorum magnificu bella, Bellum intestinu bellum civilem id est domesticum,* **70** *Bello gregia in bello nobilem, Bellantes dimicantes pugnantes, Bellicosissimus pugnator insignis id est nominatissimus, Bellicosum locum ubi pugna fit, Bellicrepa saltatio quam pyrica dicimus,* **75** *Bellus gratiosus, Bellum pugna, Bellicosus pugnandi cupiundus vel locus ubi pugne fiunt, Belligeret qui bellum geret, Belbę bestię sed proprie marinę,* **80** *Babundus metuens, Blata purpora, Bene sulis eum bene interrogas eum, Beres ventus ex thracias, Bellicém publicem,* **85** *Bello supervum in bello novilem, Bellicus hostilis, Bellorofons equus pennatus, Benigne large munifice, Benignus satis bonus vel bene agens,* **90** *Benefice prolixe comolate, Beneficus benefaciens, Benefice benige, Benevoluntia bona voluntas, Bene consolis bene providis,* **95** *Benebertat bene veniat, Bello nunc odio, Bestiis subrigi ad bestiis mitti, Biblum funis de nave ex buda facta, Biblium codicem,* **100** *Bibliotheca ubi codices conduntur id est libri, Bipertitum in duobus partitum, Bybulus qui multum bibit, Bibrat arma concutit, Bibramine,* **105** *Bicaptus duo capite habens, Biceps bicapitus seu serpens, Bictima hostia, Biduvium quę post duos maritos vidua est, Biennem duorum annorum,* **110** *Biennium duorum annorum spatia, Bifarius ex ambis partibus loquens, Bifarium duplici ratione, Bifert duplicem fert, Bimembris centauri,* **115** *Bilinguis duplex lingua, Bilis rixa seu fel, Bilei invidia vel ira, Bigenem e duobus generibus conceptum Bipinnis securis amazonica,* **120** *Bipatentia plis patientia, Bisulcum divisum sicut ungula, Bisulis porcus ungulis fissus, Bispillum ubi mortuis portant, Bithalassum vadoso mare id est vadum maris,* **125** *Bivum iter duplex id est duę vię, Biciptis bis agutus, Biceps bis acutus, Bigamus secunde uxoris maritus, Biclinium quasi bicellium idest duę cellulę,* **130** *Bipatentibus ianuis apertis, Bibera secunda uxor vel coniunx, Bisulcum utraque parte sulatum, Biremis duorum remorum, Blanditię affavilitas,* **135** *Blat stultus, Blaterat stulte obloquitur, Blaterare corrupte et perperam loquere sicut eurius cum delerat, Boare clamare sonare, Blatis et balteras constrigis aut incondite et inaniter loquitur,* **140** *Blasphemat vituperat, Blasphemia detractio, Blanditur placat, Blesus mutus molli linguę, Brabium genus palmę victorię,* **145** *Brattea auri lammina seu deaurata, Broccisunt producto orei dentibus prominentibus, Bromus squalor, Brutus stultus seu vanus corde insipiens vel gordus grabis, Brutescit sensum minuit vel insipiens fit,* **150** *Breviter paucis permodice resonat, Boatus vox plana seu mugitus, Boetis stella est, Bonus ingenuus, Bombus sonus columbarum,* **155** *Bonificus bona faciens, Bonivolentia bona voluntas, Bona caduca facultates quę heredem non habent idest sine personam seu res damnatorem, Bona bacunda, Bona instituta bona doctrina,* **160** *Bravium premium, Brevi animo pusillo animo, Bruma tempus hiemis, Brettanicę flores qui in silva nascuntur, Brutescunt stulta fiunt,* **165** *Brocca labrosa, Boetes stilla idest septenario, Bos forus, Boreas ventus aquilo, Boando vociferando,* **170** *Boantes clamantes, Boare sonare strepere, Boa nomen serpentis, Bobinatore inconstantes, Bona caduca facultates quibus non succedit ullus eres,* **175** *Bomus sonus aut vox, Bortama tecte manualis, Bobinatur tricat insidiosus, Bombus sonus tumidus, Boa besta* (!), **180** *Bootes stella, Bubo nomen avis est nocturneo minosa idest nyticorax, Bucer pecus bubus, Bucera boves, Bucula bacca,* **185** *Bucolica armenta, Bucones stulti vel rustici, Buccones*

qui diversa genera piscium uendunt, Bucenarte voces, Bulle ornamenta regalium equorum, 190 *Bullantes bullas emittentes, Bustum afflammatum ardens ustulatum, Bustum ustulatum praeflammatum cinis sacer assatum ardens vel ubi cadavera hominum comburentur, Busta are templum cęsaris idest sepulchrum, Bustus incensus,* 195 *Busticita sepulchra antiquorum quia incendebant ossa eorum, Butus incipiens, Butum inbutum ab imbuendo, Bubulci bovum pastores, Buvinere sanguinem inquinari mulieri menstruo,* 200 *Byrsum rufum, Byrrus rufus vel niger, Byssum siricum tortum vel genum vestimenti, Batum incensum crematum.*

Quas glossas qui cum copiis quarti voluminis comparabit, permagnam partem ex illis repetitam esse cognoscet, modo ex glossis 'abstrusa', ut 1—10 aliasque multas, modo ex eiusdem libri Vatic. 3321 glossario altero, ut 13, 34, 33, 141, modo ex glossis 'abavus' et 'ab absens'. Ex variis igitur glossariis glossae 'a a' collectae esse videntur, quorum glossariorum forma genuina ac principalis non semper ad nos propagata est. In numero codicum quos supra attuli unus est ab 'accipe' incipiens, qui ad vetustiorem condicionem glossarii nos paulo propius adducat quam quibus in quinto volumine usus sum: de quo libro — scilicet codice Monacensi lat. 14388 — nunc ex eis quae Thielo l. s. s. exposuit (p. 29 sq.) pauca proferre visum est. Is igitur „primum" inquit „statuimus singulis in litteris glossarii *accipe* duas vel tres partes segregari posse; quarum una alphabeti ordine composita longe plurimas uniuscuius que litterae glossas complectitur. Huic capitulo proprio, ut ita dicam, in aliquot litteris altera pars praefixa est, in qua severior ordo desideratur, permulta rariora et Graeca, perpaucae glossae Vergilianae inveniuntur. Aeque res se habet in tertia parte, quam in plerisque litteris illi capitulo additam esse vidimus. Glossas *a a* autem ad multo accuratiorem ordinem et formam redactas esse exemplis allatis (§ 1) satis ostendisse me puto; neque illas tres partes hoc in glossario tam dilucide seiungere possumus quam in *accipe*, etsi additamenti cuiusdam vestigia etiamnunc exstant (cf. C. GL. L. praef. vol. V p. XXXVIII sq.; Loewe Pr. 138, 1). Deinde ex glossis in §§ 2—5 tractatis apparuit glossarii *accipe* longe plurimas glossas congruere cum glossis cod. Cass. 401 et Vat. 1471, permultas singulas consentire cum glossis cod. Cass. 401 (dissentire ab glossis cod. Vat. 1471), multas concinere cum glossis cod. Vat. 1471 (discrepare cum glossis cod. Cass. 401). Quam necessitudinem et consensionem sic ortam esse arbitror: is qui glossarium *a a* composuit praeter alia glossaria illud *accipe* recepit, sed ita ut singulas trium illarum partium glossas certis alphabeti ordinibus insereret. Quod non omnes glossae, quae in praemissis et additis partibus glossarii *accipe* exstant, eaedem in *a a* reperiuntur, fortasse auctori glossarii *a a* tribuendum est, qui illas inordinatas partes excerpere quam integras singulis ordinibus distribuere maluit. Idemque ex glossis bis exstantibus alteras

omisit et eas, quas iisdem lemmatis, variis interpretamentis in *accipe* bis vel ter invenerat, in unam contraxit, qua in re eum non semel valde erravisse et peccavisse in § 9 cognovimus. Neque eis, quae modo protuli, id obstare arbitror, quod invicem glossae in *a a* nondum contractae in *accipe* in unam coaluerunt; immo inde et aliis ex discrepantiis concludere possumus auctorem glossarii *a a* non codice Monacensi 14388 ipso usum esse; at certe tamen gemellum codicem in conficiendo archetypo, ex quo Cass. 401 et Vat. 1471 pendent, adhibuit, ut pluribus lectionibus communibus demonstratur. Eiusque glossographi opera factum est, ut ampliores illae series et glossarum Vergilianarum, in quibus Aeneidos librorum et versuum ordo servatus erat, et earum glossarum, quibus *accipe* cum aliis glossariis memorabili modo coniuncta erat, distraherentur et disicerentur. In glossario codicis Monac. 14388 igitur vetustior forma magnae partis glossarum *a a* praebetur quam ceteris in codicibus adhuc notis." Quae cum in universum recte disputata sint, me impulsore Carolus Thielo hoc libro ita usus est, ut ABC litteras exhiberet integras, in ceteris litteris novas glossas excerperet, porro eas quibus necessitudo quae est inter *a a* et *accipe* dilucide illustratur, deinde eas e quibus aliarum glossarum menda tolli possunt, denique eas quae aliam ob rem memoratu dignae esse visae sunt. Qua in re dolendum est, quod solae litterae A—P in codice Monacensi ceteris deficientibus insunt.

Fundamentum quoddam glossarii glossae Vergilianae efficiunt, quarum magnam partem in Thesauro glossarum ipse attuli; has auxit Theander libello cum cura confecto qui inscribitur: 'A A glossarum commentarioli, disputatio academica, scripsit Carolus Th.' (Vpsaliae a. MCMVII), p. 7 sqq.; de quo paucis disputavi 'Berl. ph. Wochenschr.' a. 1909, p. 1529; denique Vergilianos ordines codicis Monacensis indicavit Thielo l. s. s. p. 20 sqq. His accedunt glossae haud paucae Festinae — Festinae enim sunt procul dubio, non Paulinae — quales in Thesauro glossarum plerumque adnotavi: quo in numero sunt veluti lemmata haec: *agea, aginatus, allux, ambacti, ambest, amites, amoena, antiae, antiquare, antruare, anxati, aplustria, apluda, aquileum, aptra* (cf. Pseudophilox.), *arillator, arferia, augur, aureax, blaterare, boare, cassiculo, decermina, fidusta, naccam, nequinunt, sarcito, sapsa, sipses,* multa alia, quae aut certo aut aliqua probabilitate ad Festum referuntur, sed ita, ut saepe cum codicis Sangallensis excerptis nullo modo consociari possint; ex quibus Festi nonnulli loci non modo illustrari, sed etiam suppleri possunt (cf. *aptra*). Ex eodem fonte opinor glossae provenerunt, quas ad priscos scriptores magis minusve probabiliter revocari licet. His tertio loco accedunt glossae ad scripturam sacram et ecclesia-

sticos scriptores pertinentes, quarto denique loco glossae iuris: similia glossarum fundamenta iam alibi investigavimus.

Mira est in hac collectione glossa 480,27: *Rodoricus nomen est unius regis.* In lemmate nomen latere regis Gothorum occidentalium clarissimi, qui anno 711 contra Mauros fortiter pugnans occubuit, facile conicias; cf. ea quae p. 125[1] de Wamba et Vitiza regibus adnotata sunt. Quamquam Loewio visum est Theodoricum regem potius denotari. Idem Loewe in glossa *Vercellae* patriam glossarii indicari suspicatus est. Quae omnia cum incertissima esse existimem, ne nunc quidem digna haberem, in quibus immorarer, nisi Theander l. s. s. similia proposuisset. Nam etiam si probabile est *Rodoricum* nomen esse verum nec improbabile de famosissimo illo rege anni 711 cogitandum esse, nihil inde sequitur, nisi ante octavum saeculum illam glossam ipsam non videri scriptam; nec propterea nomen illius regis memoratur, ut tempus indicetur, sed quia apud nescio quem scriptorem illud nomen inventum erat.[1])

§ 42. Sed iam satis de his glossis disputavisse mihi videor, quarum auctoritas in singulis emendandis et explicandis haudquaquam levis est, quorum tamen genuinus ordo ac principalis praeter vestigia quaedam in codice Monacensi perspicua ita deletus est, ut plane perspici nullo modo possit. Quo cum glossario artissimo vinculo conexum est glossarium codicis Vaticani 1468, dē quo conferri iubeo quae quinti voluminis praef. p. XXIX exposui. Inter glossas quas prima manus scripsit, item in glossis altera manu suppletis, quas stellula notavi, etiam Placideae nonnullae insunt, porro aliae glossae exquisitae non paucae. Eaedem ex parte glossae redeunt in glossis ex codicibus Cassinensibus 90 (cf. praef. quinti voluminis p. XXXI et eiusdem voluminis p. 559—583) et 402 (praef. p. XXXI et p. 548—559) excerptis, quibuscum artissimo vinculo iunctus est codex Cassin. 217 saec. XI/XII, de quo paucis vol. IV praef. p. XIX disputavi. Quibus libris in universum earundem glossarum copia inest, nisi quod Auxilii 'flosculi' in solo libro 90 exstant. Conspirant glossae 'asbestos' de quibus p. 128 diximus; conspirant multae glossae ex 'a a' glossario haustae; his quae accedunt non semper conspirant. Excerpta ex codicibus 90 et 402 non ita pauca edidi. Ex cod. 217 nonnulla hoc loco subicio quae peculiaria habet: *Adlevitant adleviant, Adnullatam ad nichilum redacta, Almiflua sanctisona, Altiflua altisona, Anguis serpens eo quod angulatim incedat Ovidius Varro, Anser papara quam alii aucam vocant, Argos navis et civitas*

1) De his glossis quae disputavit Lindsay (Classical Quarterly XI 4) ad meos oculos non pervenisse doleo. Cf. 'Berl. Ph. W.' a. 1919, 5 (vide nunc 'Addenda').

achaie ut oratius aptum ducet equis, Attica atiniense vel graeca unde et Sedulius Attica cecropei serpit doctrina veneni, Tetracinum tegestre, Vasa castrorum arma exercitus, Venalitas negotium, Viriscit maior virium fit. In Cassinensi 90 post maius glossarium sequitur glossariolum, ex quo veluti haec excerpsit Loewe: *Disperient disperibunt, periet peribit, poste retrorsum, conplacitior bene placitum, mortalia morticina, conteruisti contrivisti, confrixa sunt aruerunt, mirificatus es magnificatus es, frustra buccellas* e. q. s., quae ad sacram scripturam videntur referenda esse. — Codicibus Cassinensibus addidi glossaria quaedam Vaticana, quorum agmen ducat cod. Vaticanus 1469, quem glossas 'asbestos' continere dixi IV praef. p. XVII, item Auxilii flosculos ex etymologiis breviter ablatos; septimo loco habet glossarium propter glossas Placideas quinti voluminis praef. p. XVIII tractatas memorabile: idem glossarium praeter Bedae librum de orthographia, glossas ex Pauli epitome desumptas, item Isidori locos multos excerpta ex vetustioribus glossariis continet, unde delibavi ea quae p. 520—528 exhibentur. His quae submisi petita ex codice Vaticano 1471 primum integrum glossarium Terentii exhibent, quo de cap. IX § 27 paucis disputavi. Cf. IV p. XXVII (de cod. Paris. 10588) et V praef. p. XXX sq. Quas glossas pertinere ad eas quas Donati nomine codices exhibent rectissime Sabbadini Stud. Ital. II p. 42 negavit ('ma in effetto di donatiano anche in questo glossario non c' è nulla; quei pochissimi punti di contatto sono comuni con altre fonti; il glossario se a qualche importanza è per la storia del testo terenziano, non per quella del donatiano); neque ipse in eis quae in libello meo de glossario Terentiano p. IV exposui ea quae cum Donato conspirent ex eo fluxisse contendi. Qui glossas illas collegit codice Terentii usus est interpretamentis illustrato: excerpsit glossas, excerptas ad ordinem alphabeti redegit ita, ut primo loco Andriam, secundo Adelphos, tertio Eunuchum respiceret. Codex unde glossae haustae sunt mutilus fuit, siquidem neque ex initio Andriae neque ex exitu Eunuchi glossae adferuntur. De ceteris glossariis ex quibus pauca quaedam excerpsi[1]), ex parte corruptissima, glossarium

1) Cum glossis codicis Vaticani reginae Christinae 1048 quas p. 547 sq. edidi conferendae sunt glossae codicis Bernensis 263 saeculi IX, quem Ienae conferre licuit. Quod in inscriptione dicitur *in nomine trinitas* (!) *inmense incipiunt glose litterarum trium linguarum composite latina ebrea et greca* verum non est; certe hebraica praeter pauca nomina propria non inveni. Etiam graeca rara sunt. Ceterum codex Bernensis iisdem lacunis laborare videtur quibus Vaticanus laborat. Litterae B et L prorsus deficiunt. In Vaticano post P nihil servatum est. Multa quae exstant in hoc glossario potius synonymorum quam glossarum formam ostendunt. Excerpta mea cur his glossis augerem non inveni. Vltima glossa quam p. 548 dedi hanc habet formam in Bernensi: *Pol-*

generale consulendum erit. De glossario quod octavo loco edidi (p. 546 sq.) cf. quae § 27 de glossis Ovidianis exposui. Sui generis est glossarium codicis Vaticani 215, ex quo p. 583 sqq. excerpta quaedam exhibuimus, de quibus conferenda sunt quae praef. p. XXXII dixi. Nunc alterum exemplar eiusdem glossarii emersit, scil. cod. Parisinus lat. 4883 (saec. X—XI), qui in fol. 7r—22r glossas 'veteris et novi testamenti', in fol. 22r B—25a A 'Scolica grecarum glossarum' continet; incipit ab his: '*Aprocriphus grece lat. dr. secretalis*' e. q. s. Ex quo glossario quae excerpsit Gundermann magnam cum cod. Vaticano ostendunt similitudinem velut in his: *Phagos cibus unde est illud. Φαγως. ημερος. αρθως κηγ θυρως κηγ γνων hoc est dicere. Cibus cotidianus panis et caseum et vinum. Palós vetus unde est illud παλως. μωρως. νηων. φρον. γνων. γγκγον. id est vetus stultus novum sapientem non facit.* Littera z talis est: *zetae hiemales sunt domus hiemales que calidę efficiuntur subductis flammis. quod vero est melius. zetę hiemales sunt britiscę austro appositae. Zetae aestivales sunt britischae aquiloni appositae. dictę a similitudine zetae litterae. Zelus amor dei. ponitur et pro invidia. Zelotipium odium malum de mala suspitione veniens*; ubi *Zetae hiemales* et *zetae aestivales* ex glossariolo fluxerunt quod § 28 sub finem tractavimus. Maior pars glossarum ad res sacras videtur referenda esse.[1])

Glossae Aynardi, ex quibus non ita pauca excerpsimus, cum nullo alio glossario coniungi posse videntur, sed sui esse generis. Aynardus ille qui in praefatione commemoratur (*incipit glosarium ordine elementorum agregatum ab AYNARDO anno a incarnatione domini DCCCCLXVIII indic̄ XII imperio magni ottonis sepulchro diiudicatum apri leuchorum quinti pontificis* e. q. s.) quis fuerit nescio; grammaticum eum fuisse ex his verbis apparet, quae post glossarium leguntur: *Hę littere pro quinque vocalibus more autorum adhuc ponuntur pro a. b. pro e. f. pro i. k. pro o. p. pro u. x. Sic enim in libris eorum invenimus. inveniuntur etiam quedam consonantes more Ainardiaco pro ipsis vocalibus appositę pro a. d. pro e. g pro i. l. pro o. r. pro u. z.* e. q. s. De quo viro haec scripta sunt 'Hist. lit. de la Fr.' VI p. 58: 'Il est par ordre alphabetique (scil. glossarium), et de la façon d'un nommé Ainard, qui l'offrit au tombeau de S. Evre de Toul, l'an 969 sous l'empire du grand Otton. Mais outre que cet

leatur confortetur, unde corrigendus Thesaurus sub *Polleatur*. Totum glossarium (cum ultimis litteris) exstat in cod. Parisino lat. 4409 saec. IX.

1) Nonnullae glossae redeunt in codice Parisino lat. 14432 in fol. 142r, velut *Agasones* et *Vas vinarium*. Ante *Agasones* legitur notabilis glossa haec: *Distrabeati dicebantur antiquitus trabea exuti scil cet qui ob aliquam culpam sicut veste consulari ita omni dignitate privabantur. inde iam diurturna consuetudo excrevit ut dicamus distrabeare aliquem cum eum dehonestamus tam verbo quam facto.*

Auteur fait voir qu'il n'etait pas fort habile dans l'histoire des Evêques de Toul, entre lesquels il compte S. Evre pour le cinquième, son ouvrage en lui même n'est qu'un Recueil informe de mots bons et mauvais'. Incipit glossarium ab his glossis: *Apofereta gr̄ lat̄ scutella lata, Amphitapa sunt tapetia, Alogia est obsonium, Arrideo est prospero, Antemna est garbasus, Artemon velum navis, Archimagirus est princeps coccorum, Alluncinor i. somnio verbosor vel nugor, Arieto murum percutio, Afficio affligo* e. q. s. Unde apparet non proprie glossarum συναγωγὴν proponere voluisse Aynardum, sed lexicon in substantivis et adiectivis nominativi singularis, in verbis primae singularis forma tantum non ubique reposita, scriptores autem adscivisse Christianos ut Origenem et Ambrosium, grammaticos[1]) ut Nonium et Servium (cf. *secus grammaticę artis auctorem* s. v. *Spinter*), poetas ut Horatium, Vergilium, Iuvenalem. Haud pauca vestigia exstant libri glossarum vel Papiae, ut *Archimagirus, Aecorandum* (= *Aequor arandum*), *Abaddir, Anediosus, Crustum, Cops* et *copsus, Mugilatio est tarditas, Mussio*, alia. Singula saepe corruptissima sunt, ut *atax est claudus vel inordinatus*, h. e. *catax claudus* contaminata cum *atactus inordinatus*. Excerptis adde haec: *Bibiles sunt suppę, Camputa est baculus episcoporum*. Graeca omitti possunt. Saepius ordines vocabulorum synonymorum exstant, velut hic: *Driades sunt nimfę quę quercubus delectantur potamides sunt fluviorum nimfę vel neides s. napeę arborum vel fontium amariades sunt nimfę quę cum silvis nascuntur et pereunt odeades sunt montium quia oros mons; lentis est navis vel liburnus vel leus vel chelis vel accatus vel portenia vel pistrix vel caupilus vel fasselus vel sculmum vel lemiinculus vel lembus*. Etiam botanica glossaria quaedam attribuerunt, ut *Altea, Alphita, Mandragora, Ramnus, Tridax*, alia. Ex quibus longe plurimae glossae tales sunt, ut neglegi potuerint: certe medullam me excerpsisse confido.

His quas submisi glossas ex maiore glossario 'abavus' excerptas, eis quod hoc loco addam non habeo; de quibus quae § 39 exposui sufficere existimo. In codicibus magna discrepantia est modo hebraicis adiectis vocabulis plurimis, modo theodiscis, de quibus consulendus Steinmeyer, modo additamentis ex libro glossarum, modo ex affatim et aliis glossariis: sed nolui excerptis quae mihi praesto sunt praefationem onerare. — De glossis Leidensibus codicis 67 E conferenda sunt quae § 35 sub fin. exposui. Immixta sunt haud pauca synonyma, ut *effrenatus, indomitus, inpaciens, violentus, inmoderatus, inmitis, pravus, di-*

1) In numero horum grammaticorum fortasse etiam Remigius Autissiodorensis est, cuius copias Aynardum exscripsisse putat Manitius p. 509, nisi potius statuendum sit utrumque ex eodem fonte pendere.

vius. Ceterum glossarium, cui nimio plus tribuit Loewe, iterum percurri, unde apparuit me olim meliora satis plene excerpsisse. Notabile nunc illud addo haud paucas glossas Scaligeri cum hoc glossario conspirare, id quod mirum esse nemo affirmabit.[1]) De ceteris quae in hoc volumine edidi[2]) sufficiant quae in praefatione eiusdem voluminis et supra exposui: diligentius tractandum erit de codicis Amploniani glossariis et quae eiusdem generis sunt: ad quae nunc transeo.[3])

CAPVT XV. DE GLOSSIS AMPLONIANIS

§ 43. Codex Amplonianus 42, de quo cf. praef. vol. II p. XLII et imprimis praef. vol. V p. XXVI, tria glossaria continet: quibus hoc esse commune moneo, quod in omnibus sive plures sive pauciores glossae interpretamentis anglosaxonicis sive saxonicis notabiles insunt. Quibus interpretamentis, quae prorsus excludere non potuerim, quatenus

---

1) Cf. Loewe Prodr. p. 45: velut has glossas (ex una littera suo ordine excerptas): *vabrum vabrium multiforñ, vaticinantur divinant, vafre valde vafre, vagis foras versum tumentibus, valcia diversis plantis, vibia varam, vagurrit ocio deperit vagat, vernaculus qui suscitat per dies festos, vepra callidus testificator idest versipellis, vegelorum genus fluvialium manuum aput gallos, veteratricem callidam incircumscribendam, vestis ludicaria histrionicantes, viduvium viduetas, virops que iam opus habeat, unicuba un us uxor, unca manus stricta manu.*

2) Inter glossaria quae serius mihi innotuerunt duo folia commemoro Sonnenburgii, professoris Monasteriensis, fragmenta lacera codicis septimi vel octavi saeculi continentia. Lacunosae quae ibi exstant glossae adhibito Thesauro glossarum emendatarum facile maiore certe ex parte restitui possunt. Quamquam nova quae insint fere nulla inveni; pleraque in quarti voluminis glossariis redire moneo. Ex priore folio haec affero: *Coniectura argumentatio vel a[Coniectus inpulsus vel missus, Conminus simul in se vel prope, Commulcat concelcat vel conturb[, Consubrini qui ex duabus sororib: pr[, Contio conuentus populi ũ conu[, Contionatur congreditur, Conibere capitis motum adquiesce[, Conicere aestimare, Confertus condensus vel conglobatu[, Confertur collegit, Condensum nemorosum ũ spississim[, Consuistis statuistis, Coram praesentibus, Conminiscit mentitur simulat, Commiscuntur cog tant, Conexae coniunctae, Conect t inligat, Coalitus cnutritus, Coalescit concrescit, Contagium coinquinamentum, Contaminat polluit, Cors multitudo rusticorum, Cohors castra militum.* Haec in anteriore parte prioris folii exstant, cuius pars posterior misero modo detrita est; idem de altero folio ex parte mutilato dicendum est.

3) De his omnibus nunc conferenda sunt quae post me W. M. Lindsay in praefatione novae editionis glossarum Oxoniensium Corporis Christi exposuit, de quibus in 'Addendis' paucis disputabitur. Quae scripseram, intacta reliqui; fieri enim sine magnis turbis non potuit, ut omnia nunc ad novae editionis rationem et progressum accommodarem: cuius rei molestiam tumultui annorum praeteritorum tribuent aequi iudices. Sed meam tractationem ne sic quidem inutilem fore opinor.

ut in Thesauro ita in indice peculiari a Guilelmo Heraeo confecto consulendum putaverimus, praef. Thesauri p. VIII et Heraei ipsius epilogo (p. 713) expositum est: ad quas quaestiones nunc redire nolo, utpote quibus me parem fore minime confidam. Nihilo minus de ipsorum glossariorum cum ceteris arte coniunctorum compositione ratione fontibus quae mihi invenisse videar proferam: qua in re me diligenter quaecumque ab aliis proposita sunt adscivisse vix est quod moneam.

Primum igitur glossarium Amplonianum, quod edidi vol. V p. 337—401 adscripta codicis Epinalensis lectione (saepe meliore) ex Sweetii apographo[1]), sed ut ubi fieri potuit illius potius exemplari phototypice expresso uterer — quamquam ne sic quidem errores me prorsus evitare potuisse Otto B. Schlutter ('Faksimile und transliteration des Epinaler Glossars', Hamburg 1912) docuit[2]) —, mira quadam necessitudine contineri cum codicis Cantabrigiensis glossario notissimo, quod consueta diligentia I. H. Hessels a. 1890 emisit, cum alii perspexerunt, tum Sweet 'Old Engl. T.' p. 5 sqq. et Schlutter, cuius adnotationibus uberrimis parcius olim uti potui (cf. praef. vol. VI p. VII). Quam necessitudinem ita explicandam esse videri, ut codicis Cantabrigiensis memoriam certe potiorem ex libro simillimo et eadem ratione quae est in codice Amploniano disposito haustam, sed ad severiorem alphabeti ordinem revocatam esse dicamus ut olim exposui (cf. Encycl. real. ed. Pauly-Wissowa sub 'Glossographie') ita hisce credes glossis ex littera B secundum ordinem BA BE BI BL BO BR BU BY excerptis (omissis rebus levioribus):

Balus isaern fetor, Bacidones rędisnae, Bagula brigdils, Balsis teter, Ballista steblidrae, Basterna beer, Bacans turpiter ludens vel discurrent, Balla mutus, Barca navis, Basileon g. rex, Balbus qui dulcem linguam habet, Bafer grossus, Batiutum gebeathan, Baal superior aut devoratio, Ballena hron, Battat ginath, Basterna similis curru de coria facta tota et portatur semper ab hominibus vel asinis nullam rotam habens, Bassia oscula, Baucalem gyllonem, Barrus elefans, Barbarica auro ornamenta, Balbigera stulta, Basiliscus serpens que flatu suo universa attigerit inurit, Batutus percussus, Barrit elefans cum vocem emittit, Balbus turbatae liñgq, qui vulloqui et non potest, Bachi antiqui, Baltheum locum, Bassandes baccae, Baubant latrant, Bardus stultus ineptus, Basilla regina, Baccanalia bachacio vel furor, Barbeuta qui palmas dat, Barsis (Boarris Ampl.) *rufis niger, Baxem quas bucceias dicunt, Beacita (Bi-*Ampl.) *stęrn, Bel pater nini, Bel-*

1) The Epinal Glossary Latin and Old-English, Edited by Henry Sweet, M. A. London, 1883.

2) Cuius codicis discrepantiam qui cognoscere volet, nunc laudabile Schlutteri apographon inspiciet: cum enim pleraque quae a meo apparatu diversa sunt ad res leviores, saepissime ad sordes librariorum pertineant, eis nolui praefationem hanc onerare. Ceterum in parte litterae C, item in D et E deficit Epinalensis.

lum quod in campis agitur, Beta berc arbor dicitur, Beneficium fremu, Beer puteus meus, Berrus baar, Berruca vaertae, Berna higrę, Belial pestilens, Beabis betum facis, Berulus genus gemmę, Bellum teotonicum gallicum, Bestiarius venator bestiarum, Bicocæ hebrebletae, Birillus tantum ut aqua splendet, Bidellium arbor, Bitumen lim, Biremis ordo superalium, Bitiligo blecthrust fel, Biceps duo capita habens, Bile art, Birrica vestis ex lana caprarum valde delicata, Bifarius piscina, Bilices duplices, Biceps qui duos dentes habet, Bigmen e duobus generibus conceptum, Bianor animo et corpore fortis, Bige ubi duo equi curru iunguntur, Bivium iter duplex, Bimator duplicator, Bibliopola qui codices vendit, Bibilus bibitor, Bibliothecarius qui codices secat, Biti proficisci, Biclinium quasi bicellium, Bipedalis duorum pedum, Bibaria dupplici ratione, Bibarius bipertinus, Bipertitum in duobus pertitum, Bilero passus amaritudinem, Bisultum utrumque sulcatum, Bisaltim genus barbara, Blitum clate, Blatis bitulum, Bothana embrin, Bothonicula stoppa, Bobellum fala ed, Bovulci bobum pastores, Bona scaet, Bombicini vermes qui texunt, Boreus eust norduind, Boare clamare, Boaptus aquae, Bomus sonus tumidus, Boa nomen serpentis, Boetes septembrio, Bobinatores inconstantes, Botium votum fit, Bolium stabula bonum, Bolimodes qui ante cibum torquitur egrotus cui post cibum indesinentes dolores, Bobor aves in palustris, Briensis honduyrp, Bruma brevitas, Bratium malt, Badrigabo felduus, Brachus brevis, Broel edisc, Broellearius ediscuard, Bruchus cefr, Brunchus urot, Brancie cian, Bruchus genus locustae quod volat, Bulla sigil, Bullas ornamentum anguli, Busta inscissa arbor ramis, Buccis oris, Burrum rufum, Busticheta sepulchrum in agro, Bubu uuf, Bucina begir, Bullae ornamenta regalium camellorum, Buculus rondbaeg, Bulimus vermis lacertae in stomacho hominis habitans, Buris curbamentum aratri, Burrum bruun, Bubalis vesand, Bumaste uva in similitudinem marinae buccę, Bustantes sepelientes, Bucerum genus bubalis, Buccones stulti rustici, Burgos castra, Buteriae armenta, Buccula bua, Bumbus sonus impetus, Byssum tuigin, Bythalassa ubi duo maria conveniunt, Byrseus lediruyrhta.

Quam glossarum seriem si comparaveris cum littera B codicis Cantabrigiensis (V p. 401 sqq. = Hessels p. 23 sqq.), facile haec cognosces: 1) tantum non omnes codicis Amploniani glossas item in cod. Cantabrigiensi exstare formam exhibentes similiorem eius quae est in codice Epinalensi et eodem fere ordine quem supra notavimus dispositas; 2) in codice Cantabrigiensi accedere glossas haud paucas easque, cum in exitu potissimum ordinum locum habere soleant, non ex communi fonte haustas, sed aliunde adiectas videri.

Sed ne codicis quidem Amploniani glossas eiusdem omnes prosapiae esse constat: etenim iam Gustavus Loewe Prodr. p. 114 sq. a glossis secundum primam tantum litteram dispositis alterum glossarium secrevit alphabeti ordine severiore insigne. Namque post *a* litterae glossas 318 non ordinatas sequitur novi glossarii sic ordinati: *aa- ab- ac- ad-* integra *a* littera inde a p. 343, 17 *Aberuncat abscirpat Abavus avi avus Abrogata deleta Abristit longe est* usque ad p. 346, 42: *Aucturamentum quod est indicium Auxillae alae minores Avultos regalibus.* Haec in illud glossarium aliunde invecta esse ostendit cum

ordo hic servatus illic neglectus, tum illud quod glossae 346, 43—54 eiusdem apertae indolis sunt atque 337, 1—343, 16. Interpositarum glossarum ratione habita apparet glossam 346, 43 olim excepisse 343, 16. Cf. 343, 15 sq.: *As, assis*: *genus nummi* [*assassais* cod.] *Arx arcis* cum appendicis exordio: *Aes, aeris*: en habes commissuras. Eiusdem novi glossarii permultae particulae a primo Amploniano facile seiungi possunt, dummodo ne litterarum ordo neglegatur. Quo quidem modo has reliquias enucleavimus[1]):

a litterae 343, 17—346, 42: *ab—au-*
b litterae 348, 26—349, 15: *ba—bu-*
c litterae 354, 73—355, 48: *ca-*
d et *e* litterarum?
f litterae 361, 50—362, 41: *fa—fl-*
g litterae 363, 47—364, 21: *ga—gu-*
h et *i* litterarum?
l litterae 370, 13—41: *la—li-*
m litterae 372, 38—373, 39: *me- mi- mu- mo- ma- me-*
n litterae 374, 44—375, 14: *na—nu-*
o litterae 376, 36—56 + 377, 5—34: *ob—of- ol—os-*
p litterae 383, 2—385, 42: *pu- py- pr- pu- pl- pr- po- pa—pi- po-*
q litterae 386, 6—34: *qua—quu-*
r litterae 387, 43—388, 22: *re- ri- ro- ru- re- ra- re-*
s litterae 393, 13—395, 7: *su- so- sp- st- se- si- so- sa- sc- se-*
t litterae 397, 46—398, 37: *to- ta- tu- ty- te- ti- to- ta- te-*
u litterae 400, 19—61: *ua—uo-*
xyz litterarum?

Vides novum glossarium e primo Amploniano tamquam ovum ex putaminibus nos seclusisse'. Quod glossarium — turbatum ordine hic illic — etiam in eo exemplari, ex quo et codicis Cantabrigiensis materia hausta est et Amploniani, exstitisse et positum fuisse posteriore loco ex eisdem litterae B glossis cognosces quas supra (p. 151 sq.) contuli; idem glossarium, sed disiectis membris, transisse in alia glossaria, velut in Amplonianum secundum, et multa exhibere, quae etiam in quarti voluminis glossariis continentur, facile adscito Thesauro glossarum emendatarum perspici et confirmari poterit. Haec igitur primi glossarii Amploniani pars quasi vinculum est quo totum glossarium cum vetustioribus glossariis vulgatis et mere latinis cohaeret.

Prorsus enim diversam et originem et rationem priorem eiusdem glossarii partem prae se ferre iam Loewe divinavit potius quam perspexit: quam diversitatem ut illustremus, a codice quodam famosissimo Leidensi proficiscemur. Codex igitur Leidensis Voss. in 4. 69 multifariam et uberrimam glossarum materiem partim ad Scripturam

1) Numeros posui meae editionis pro eis quos Loewe exhibet.

sacram, partim ad S. Benedicti regulam et ad Conciliorum canones, partim ad scriptores aliquot Christianos (Isidorum, Hieronymum, Eusebium, Cassianum, alios), partim denique ad quosdam grammaticos latinos pertinentem et 51 capitibus maioribus minoribusve discriptam complectitur: cuius fontes post alios inprimis Plazidus Glogger O. S. B. ('Das Leidener Glossar Cod. Voss. lat. 4° 69' Teil I—III Augsburg 1901—1908) et I. H. Hessels (A late eight-century Latin-Anglosaxon Glossary preserved in the library of the Leiden university, Cambridge 1906) laudabili cura investigarunt. Ex hoc autem libro permultae glossae cum Amploniano (et Epinalensi), item cum Cantabrigiensi libro conspirant, ut hae in littera B: *Birillus tantum ut aqua splendet, Bruma brevitas, Busta inscissa arbor ramis, Ballena hron, Battat ginath, Berrus baar, Buculus rondbaeg, Berruca vaertae, Byrreus lediruyrhta, Bulimus vermis lacertae similis in stomacho hominis habitans, Basterna similis curru de corea facta tota et portatur semper ab hominibus vel asinis nullam rotam habens, Brancie cian*: quae glossae ad unam omnes in priore parte Amploniani glossarii exstant, non in ea parte quam Loewe discrevit. Quod idem cadit in multas glossas A litterae, nisi quod pauculae quaedam aut bis exstant, h. e. in utraque parte (ut *Ambrones devoratores* 345,21 = 339,50) aut cum glossis aliunde notis conspirant (ut *Alectat spectat* 344,59; cf. Thes. gl. em.); idem de aliis litteris valet quascumque examinavi. Vnde apparet necessitudinem illam quae est cum codice Leidensi tantummodo in priore parte glossarii esse conspicuam. Quam necessitudinem ne ita explicemus, ut auctorem glossarii Amploniani illas glossas ex codice Leidensi vel eiusdem vetustiore exemplari desumpsisse statuamus, eo impedimur, quod sic non intellegimus, cur has potissimum glossas excerpserit, alias multas easque non minus notabiles spreverit et multa capita omnino non attigerit, utpote quas ne novisse quidem videatur, impedimur glossis haud paucis quas, cum Amplonianus contineat, non habet Leidensis, velut Orosii glossas plurimas, quas olim iam per litteras mihi indicavit Otto B. Schlutter, veluti 341,2 = Or. II 11,6; 341,9 = Or. IV 2,2; 341,11 = Or. IV 13,17; 341,14 = Or. II 11,6; 341,20 = Or. I 10,14; 341,22 = Or. VII 6,7; 341,24 = Or. VII 7,8; 341,29 = Or. V 4,3; 341,37 = Or. IV 1,22; 341,44 = Or. V 11,4; 341,45 = Or. V 18,23; 341,47 = Or. VI 8,10; 341,56 = Or. V 22,16; 341,57 = Or. VII 25,9 . 35,32; 341,58 = Or. II 17,15. VII 6,5. Tales ordines cum per omnes litteras pertineant[1]) in eisque partibus exstare

1) Velut ex littera D addam seriem hanc: 356,31 (*dissidebat*) = Or. V 1,14; 357,34 (*disceptant*) = Or. V 16,2; 356,36 (*deliberatio*) = Or. II 17,1; 356,40 (*defec-*

soleant, quas Loewe non discrevit, nisi quod aliquoties propter turbas illatas res incerta est, recte contendere mihi videor Orosii glossas in prioribus tantum litterarum partibus locum habere et ab altero illo glossario genuino alienas esse. Praeter Orosium etiam Aldhelmus glossas non paucas contribuisse videtur, quas indicaverunt Schlutter (per litteras), Gruber (die Hauptquellen des Corpus-, Epinaler und Erfurter Glossares, Roman. Forsch. vol. XX p. 393 sqq.), Ehwald in adnotatione editionis diligentissima et plenissima, quibuscum conferenda sunt quae A. Maleyn in libro Ruthenorum lingua composito anno 1905 docte exposuit. Adde quae Napier in Anecd. Oxon. (Old Engl. Gl. Oxf. 1900) de Aldhelmi glossis protulit. Item Hieronymi librum de viris illustribus saepissime exscriptum esse egregie demonstravit Gruber l. s. s. p. 463; quae ex illo libro fluxerunt, saepius in initiis litterarum exstant, certe semper in prioribus partibus. Cum his conferenda quae Leidensis mira inscriptione praemissa (*de calogo Hieronymi in prologo*) p. 59 sqq. Glogg. exhibet. Quam rerum condicionem qui diligenter reputaverit, necessitudinem quae est inter Leidensem codicem et glossaria illa ad communem fontem pertinere intelleget, quem praeter alios fontes in contexendo glossario auctor adhibuit. Quod exposui non neglegendum erit ab eis qui glossarum singularum fontes investigandos sibi proponunt: in qua re ne Grubero quidem, viro ceteroquin circumspectissimo et cautissimo, ut errores evitaret semper contigit: qui quod commentationem felicibus auspiciis susceptam non plenam edidit admodum dolemus. Quod si fecisset, quin ipse perspecturus fuerit non semel quem indagasse sibi visus est fontem admodum incertum, hic illic adeo vanum esse, fieri non potuit. Sed has et similes quaestiones in praefatione exhaurire nullo modo possum. Quod volui mihi demonstravisse

---

tura) = Or. IV 2, 2; 356, 37 (*digladiati sunt*) = Or. III 23, 20; 356, 41 (*decidens*) = Or. IV 8, 9; 356, 49 (*distabuerunt*) = Or. II 10, 11; V 16, 11; 356, 50 (*detractasset*) = Or. VI 7, 6. Item ex P: 378, 1 (*provehit*) = Or. II 16, 8; 378, 2 (*perfidia*) = Or. III 12, 18; 378, 4 (*per maritima*) = Or. III 6, 4; 378, 7 (*parma scuta in caelo Amazonum* = *parmae in caelo* et ex contaminatione *parmae scuta Amazonum*) = Or. IV 15, 1; 378, 8 (*partim*) = Or. II 14, 13; 378, 10 (*praedoctis*) = II 6, 5; 378, 9 (*pudor*) = V 22, 5; 378, 13 (*privigna*) = Or. V 10, 7; 378, 18 (*percrebruit*) = Or. V 19, 14; 378, 16 et 17 *portitorum arma lixarum* et *Portitores aquae*), quae glossa cohaerere videtur cum Or. V 16, 3 (*calonum atque lixarum*); 378, 20 (*pugionib·s*) = Or. VI 17, 2; 378, 21 (*paludamentum*) = Or. VI 18, 32; 378, 22 (*pellexerat*) = Or. II 4, 5. VII 6, 6; 378, 25 (*propensior*) = III 1, 13; 378, 27 (*paelices*) = Or. VI 5, 5; 378, 28 (*Psyllos*) = Or. VI 19, 18; 378, 29 (*praeruptae*) = Or. VII 7, 7; 378, 31 (*proterunt*) = Or. VII 40, 3; 378, 32 (*permixtim*) = Or. V 19, 12; 378, 33 (*particulatim*) = Or. I 8, 7; 378, 36 (*pendulos*) = Or. IV 15, 2 e. q. s. (usque ad 378, 52). Eandem quaestionem Schlutter ipse tractavit in Woelfflini Arch. vol. X p. 361 sqq.

videor, h. e. acriter etiam in investigandis fontibus inter priores Amploniani partes et posteriores distinguendum esse, posteriorem partem et cum altero Amploniano glossario et cum aliis glossariis etiam fontium ratione esse conexam, prioris partis glossas haud paucas eisdem fontibus deberi ex quibus Leidensis quoque multa deprompsit: nec his quae dixi obstare, quod saepius hae partes olim discretae turbis illatis magis minusve inter se sunt confusae, id quod in certis quibusdam inprimis litteris accidisse iam Loewe perspexit.[1])

§ 44. Secundum glossarium Amplonianum ex uno libro Erfurtensi exhibui (V p. 259—337): accedit nunc fragmentum Monacense ex cod. gr. 187, de quo diligenter disputavit Steinmeyer IV p. 504. Duo sunt folia, quae continent glossas 1) a *bisum syricum tortum* (271,19) ad *casabundus vacellans instabilis* (273,10); 2) a *cilex pirata* (276,61) ad *coryh arbora bellanus* (278,52); 3) a *serio necessario adverbium* (332,22) ad *spartum linea* (333,62); quae secuntur 4) glossae hae:

Spuma poma, supplex implex, stroffa fraus neglegentia nequitia, strangulat subnectat subligat, stemmata ornamenta regalia, stolidus stultus, storax genus ligni, strages prostratio corporum in bello ab sternendo, stagnum lacus qui non fluit, strategi principes, sternit occidit, stipant cingant, stigma sceptra sive character, strenuus sollicitus sive efficax, stuprum virginitatis perditio vel societas turpis cum feminis tantum, stragulat fariat, strepidat tumultuat, stigmata ignea vel puncta, stiputio testatur adfirmatur, stelionatus crimen quando una res duabus venditur quomodo huius raptus huius speculatus, stultatus qui deferre nescit, stipis mendicus stipes mendicitates, stopola inpostora, stirillum caprę barba, strenua fortis, storatus stepefactus, stultumalis qui stultus est et malus, stropię dicuntur per quas dolo aliquid agitur ad circumveniendum quempiam, stadio dromum studio cursus, struis congestio lignorum, struices construit vel conpaginati, stiba manubrium aratri, studiis belli amore belli, statio portum, stroffa callida positio vel quęstio, stilo cuelde hęredę sax, stragula vestis varius, statione vigilatione, squalet sordet, squalidus sordidus, sudumeris suspicitis, suspendium suspensum, suscens irascens, succensit irascitur, subrogat adhibet infert inponit, subrogare subintrare vel subministrare, sugillatio repraehensio vel strangula, subacti subiugati, suspectiores sollicitiores, susurat murmurat, suspensi dubię cogitantes vel delibrantes, suspicit veneratur, subnixus humilis, suscenset irascetur detrahit culpat, subsequium subsequens, subscium, subsequium suntote estote vel sint, sudum siccum serenum, sugillat suffocat, subnectit subligat, summatim cito vel quod dicimus partibus, suffragatur paternus, subpeditat subministrat, subcenturatus adiunctus, subcendia fomenta, subrigens erigens, superstiti vivi, subequilibra sublibrato iudicio, suffraginatus praecisis curribus, subrige caput humilia te, subfectus subrogatus, superius qui ex matre

1) Amplonianum glossarium quaedam communia habere cum additamentis codicis Leidensis 67 D, de quo libro § 50 agetur, Loewe Prodr. p. 118 docuit. Quae additamenta cur exscriberem non inveni; aliunde nota sunt longe plurima.

*nobile nascitur et ex patre humili, supplicat rogat, supremus ultimus, superstes filius in rebus humanis constitutus, sulegit subtrahit collegit, superstens supervidens, supercilium superbia, sub dicione sub potestate, subacte sua natura, subit intrat, sumit intravit vel succurrit, sumpsit accipit, suscensus culpatus, supervacuus non necessarius, superstitiosus deorum cultor vel falsus eligiosus, subgravat subhonerat, superat restat, suffectus substitutus in locum decidentes, subdolus subtilis dolosus, sumptuarius qui rogat sumptus, sardius (ar incertae) lapis, s**dus civis, subreguntur humiliantur* (coniuncta superiori glossae), *subtrinum locus ubi consuuntur aliquae species, subservat qui modicum servat quasi quem puer optimus servat, suovetaurilia sacra sunt de tribus animalibus de sue de ove de tauro, sudes stitiones pali, subfarcinatus subalatus, suiti consueti, sutor calligarius, suggessus eventus, suggestus tribunal, sura hamme sax, subordinavit signavit, Tanta·ne tanta ergo, tantares palbebre, talio eiusdem ministratio, teda lignum luminaribus apud, tabes macies, talentum pondus auri vel argenti, tames cruor sanguinis, taxit tangit, talia codex, tanto modo quantum et illum, tantidem quippe, taxat fugunculus (v. tagax), talarus colafus in talo, tantundem et tandidem unum est, tandem aliquando et tamen, taga talia, tagadegallia pacifica quae iam italia vocantur, tauromentinum civitas tauromenia civitas dicta est, tandundem ipsum, tabo sanguis pus sanies, talio simile vel vicissitudo sola, tata vestis de r*ce* (de rice?) facta, taxata broc sax, temulentus ebriosus furibundus vel vinolentus, tegrum putridum vel nigrum, tenax parcus et tenens vel fortis, tempsit contempsit, terga fuga, tergora dorsa sive coria, tefore calore.*

Has glossas cum lacunam libri Amploniani expleant accurate transcripsi; quae praemissae sunt, tam prope accedunt ad librum Amplonianum, ut proposito quod antea habui abiecto in chartis meis retinere maluerim; nam etsi hanc vel illam glossam emendatiorem exhibent ipso Amploniano, tamen haec emendatio aut facili coniectura inveniri aut ex aliis glossariis nunc commode peti potest. — Idem fere de fragmentis Werthinensibus dicendum, quae tractavit I. H. Gallée 'Altsächs. Sprachdenkmäler' p. 346 sqq.; continent glossas 1) ab '*Auctimat aestimat dicit nominat*' (p. 269, 21) ad '*Bilem passus amaritudinem passus, Bilem amaritudinem invidia tristitia ira*' (p. 271, 17. 18); 2) a '*Cornipes sonipes alipes aequus*' (p. 278, 53) ad '*Conlegium societas conlegarum in uno honore positorum*' (p. 280, 39); 3) a '*⟨Du⟩xit nutrix*' (p. 288, 7) ad '*Excusit deiecit*' (p. 291, 51); 4) ab '*Inpubis puer*' ad '*Laterculus codex membranaticius illic sunt nomina promutorum nam non est latinum, lapicedina ubi ceditur lapis*' (p. 306, 34. 35); 5) a '*Saba pappa vinum quasi dulciatum*' (p. 330, 34) ad *Severitas censura districtio austeritas* (p. 332, 21); denique 6) glossas hasce:

Testudo densita(s) romanum, territus turbatus, tenus usque aliter sine, teretis rotundi, temetum temulentus vinum, temeratum violatum pullutum, terido vermis in ligno, terris confundis, teda ut supra (et *ego* supra scr.) *p'diten, tentorium casa militaris vel tabernaculum quod dicunt miles papiliones, tede lampades vel faces nuptiales, terribula formidolosa* (*lo* s. scr.), *terementum nutrimentum, temulentia ebrietas, tesararius praepositus currorum qui bella nuntiant, tensus tedet, teger niger,*

tericius obscurus niger, tenelis qui potest teneri, tetricius severus, tenticula quasi retia quę tenduntur leporibus vel avibus, tempestivum oportunum, telonium quasi omnium litorum fiscalis conduc io, tectoriatus tecto coopertus, tetraciti quasi quartam partem regni tenent, testudo coniunctio scutorum, terminati exultati, terēs lundus, tergiversator calumniosus et callidus, trophea spolia punitorum, thitis mare, thimiamate odor suavitatis, thalamus graece cubiculum sponsi et sponse id est nuptiale, thanton graece habes dō, theca domus, titerani proni sive tenebrosi, titulat significat, timiamate odor suavitatis, tinniens sonans, timiama incensum cuius fumus expellit putores, tintis mare, tintan graece sol, tyronica initia rudimenta, tipum formam similitudo, tiasis laudes virginum, tipo dracho, titulum graece capitulum, tiro lignorum nobos, tigillum diminutive a tigno, titanes filii terrę facit illos sol et nomine hostium subactorum et ipse titan dictus est, tinia bidin saxa, tybris tyberis a tibero rege, typum graece superbia, typus frigus, tyberimus ut amor, tyrsus asta cum pāpinno, tyberis fluvius italię, tyara pilleum frigeum, torpor crimen horror signities, toles membra sunt circa uvam, torpet elanguet defecit torridum tostum (corr. ex *tossum*) *siccum, torfus* (corr. ex *torvus*) *ferus violentus, tonsę, remi, tori lectio aliter quod indurat in humeris taurorum, toreomata quae torna rasa sunt, tolor asta, torax lurica, torrore cremare, tongelatim singillatim, torbus ratis, torpor frigor, torpedo animal piscis a torpore eo quod uno loco stet, torfus asper teda facula, torgipurium toga pura, toga pulla toga nigra, toga palmata quę palmas habet, torus acubitus, torrens fulmen conceptum a pluvis, tori lacerti brachiorum, toros riparum viridissima loca, toracata acies cum toracibus ambulantes toraces enim dicuntur genera monimentorum quę portant, troiae ab oribus a troię finibus, trophea spolia punitorum, trutinati pensatur, trapezeta mensuralarius, trepudians exultans, traducere dehonestare), trus tres, tramite vię transversę, trabea vestis regia vel toga purporea, transtra sedilia nautarum, trochus rotę genus ad lusum, trachis gentilis, trucis asper, transitum transmotatum, translaticius qui transmotatur de alio loco ad alium, trans per medium ut trans fluvium, transcribit per scripturam tradet, traicus vel motus vel gestus vel comicus, trapete mole, trāpudium hilaritas, tribunalia cathedrę, tritile quod teri potest, tritonia genus est ferri in mari, triumphalis dies gaudi dies, tritor ab eo quod est tritus, tripudium nomen est auguricum aves tundendo terram aliquid lęti significat, triclinium ante usus topadiorum in tribus lectulis recumbebantur lectus enim grece clinos dicitur, tropeum praeda de hostibus facta.*

Iam secuntur 333,63 et 64 in fine fragmenti. Quod fragmentum quam prope accedat ad scripturam codicis Amploniani ex persimili fonte derivati iam ex hac una glossa apparet, quae talis est in cod. Werthinensi: *coeuum coetaneum*, talis autem in Amploniano p. 278, 59: *Coebuum coetaneum*. Ceterum moneo me in Thesauro glossarum illarum glossarum Werthinensium iam rationem habuisse. Nunc igitur ad fontes huius glossarii transeamus.

§ 45. Non ad unum auctorem glossarium pertinere iam ex inscriptione apparet, quam talem olim fuisse existimo: *Incipit II conscriptio glosarum in unum, quibus verba quoque vel nominalia mixtim vel latina vel saxonica inseruntur*, h. e. ni fallor: plura glossaria in unum confusa sunt; his interpositae sunt glossae latino-saxonicae. Atque re-

vera saxonicae glossae triginta quattuor adiectae sunt, quarum pars minor cum primo glossario eiusdem codicis conspirat (cf. Sweet 'O. E. Texts' p. 108—110; Kluge 'Angels. Lesebuch⁴' p. 10). Ex ceterarum glossarum copia magnus numerus cum primo glossario congruit, scilicet cum illa parte glossarii, quam Loewe l. s. s. a priore parte secrevit. Velut B litterae quae 47 glossarum est tantum 14 deficiunt. Similiter res se habet in littera A, ubi velut haec glossarum series exstat licet aliis interpositis: *Abtet vos impleat vos* = 259,2; *Abtemus adiungemus* = 259,3; *Abigiata involata* = 259,6; *Absidas aedificii latiores conculas* = 259,9; *Abicies* (h. e. *Acies*) *turba* = 259,12; *Abacta involata* = 259,14; *Ab latere longe* = 259,15; *Abtavit conparavit* = 259,16: ex quibus glossis nonnullae in solis his eiusdemque prosapiae fontibus exstare videntur, ut *Absidas* et *Abicies*.[1]) Quod item se habere in aliis litteris quascumque examinavi facile perspexi: itaque dubitari non poterit, quin qui 'conscriptionem in unum' suscepit, tali glossariolo usus sit quale in primum glossarium Amplonianum intravit. Ex hoc autem glossario ut nonnulla in Amploniano secundo desiderantur, ita quaedam glossae haustae videntur, quae in Amploniano primo desunt. Multis enim B litterae lemmatis bella commemorantur quae Romani septimo inprimis et octavo post urbem conditam saeculis gesserunt: *bellum Antonianum, bellum Cimbricum, bellum civile, bellum domesticum, bellum intestinum, bellum Italicum, bellum maritimum, bellum Marsicum, bellum Mithridaticum, bellum Mutinense, bellum Punicum, bellum terrestre quod in terra agitur, bellum Teutonicum*: ex quibus lemmatis nonnulla in solis Amploniano et Cantabrigiensi glossariis exstant (ut *bellum Marsicum, bellum Teutonicum*), alia in eisdem libris interpretamentis potissimum persimilibus notabilia sunt (ut *bellum Cimbricum, bellum maritimum, bellum domesticum*), rursus alia in solo libro Amploniano inveniuntur (ut *bellum Antonianum, bellum Mithridaticum, bellum Mutinense*): ea res melius quomodo explicetur quam ex fontium consensu dicere nequeo. Quae coniectura si vera est, tres rivos ex eodem fonte deductos deprehendimus, qui, cum in plurimis consentiant, in his vel illis inter se differunt. Eae autem partes quae ex illo fonte fluxerunt in initiis ordinum collocatae esse solent. Cum glossis autem, quas additicias esse in codice Cantabrigiensi invenimus, nullum vinculum habere Amplonianum secundum perspexisse mihi videor.

---

1) Velut nonnullae glossae rarissimae conspirant cum glossis Cantabrigiensibus in collegio S. Petri adservatis et 2. 4. 9 signatis, de quibus II praef. p. XLIV disputavimus: quod glossarium etiam cum priore glossario Amploniano non semel congruit. Tertii glossarii Amploniani pleniorem recensionem illatam esse in Cantabrigiense glossarium ibidem monuimus.

Difficilior quaestio est de ceteris quas 'in unum conscripsit' auctor glossarii partibus: quibus in universum permulta exhiberi moneo quae etiam in quarti voluminis glossariis deprehendimus. Velut non paucae glossae cum Sangallensi codice consentiunt in eisque etiam tales quas aliunde non notavi, velut *Bialcis nomen gigantis*, *Bitemon nomen gigantis*, *Briareus gigas centimanus*. Multo plures in glossis 'abavus' plenioris memoriae redeunt, ut *Blax stultus unde blaterari*, *Blanditiae affectabilis* (error pro *affabilitas*; cf. *Blandiosus affabilis* IV 593, 22), *Blenni putidi, taetri*, *Bonum faustum felixque hoc est faustum quod felix*, aliae; aliae cum glossis 'affatim' consentiunt, rursus aliae cum glossariolo illo codicis Bernensis A 92 (partic. 1), quod paene totum in Amplonianum illatum est, uti velut haec series litterae B testatur: *Bachum vinum*, *Baratrum terrae chiatus*, *Bacchi antiqui*, *Bacennalia bachationes vel furores*, *Barrit elefans cum vocem emittit*, *Basterna tecta manualis*, *Barbarico auro ornata*: quae eòdem fere ordine in Amploniano redeunt. Sed insunt etiam glossae rarae memoriae, eiusdem quam in codice quodam Leidensi deprehendit iam Loewe l. s. s. p. 124. Eis quae Loewe de hoc libro (est Vossianus lat. in folio 24 saec. X) exposuit addenda sunt quae ipse III praef. p. XXXI, IV praef. p. XXXVI monui. Ceterum similis est glossarum materia quae in codice Bernensi 236 exstat, de quo dixi III praef. p. XXXI et 'der liber glossarum' p. 228 (cf. IV praef. p. XXIX adn. 1). Quem librum descripsit Hagen in catalogo. Codex Bernensis quamquam multa communia habet cum cod. Vossiano, tamen neuter ex altero sumptus est: nam glossulae non paucae germanicae vel celticae in solo Vossiano inveniuntur: unde apparet libros ex simili fonte pendere. Continet autem glossarium (ut mittam quae huc minus pertineant) glossas Abavus uberioris memoriae ab *Anathematus abominatus execratus foris missus* usque ad *Zozomin hęc cogitationis ut supra* (initium accedit ex solo Bernensi), auctas eisdem fere glossis additiciis quae exstant in cod. Paris. 7640: quibus accedunt additamenta necessitudine aperta cum his quas tractamus glossis Amplonianis coniuncta, quam iam Loewe l. s. s. indicavit. Talia sunt 277, 41 (*Cluamentia stultitia*, ubi *Cliuentia stultitia* cod. Voss.), 282, 39 (*Creta stercus spuritia unde execrare spurcitia iecere* = *Creat stercus spurcicia unde excreare dicimus spurcitias eicere*), 298, 47 (*Glandes ab eo quod glans que sunt nuces rustices* = *Grandes ab eo quod est grans id est nuces rustice*). Sed haud ita pauca vestigia ad primum Amplonianorum glossariorum ducunt; alia ad Pseudodosithei hermeneumata, rursus alia ad affatim glossarium et glossas Salomonis: unde apparet contaminatum esse glossarium ex variis fontibus. Quo cum glossario quali vinculo cohaereat Amplonianorum

glossariorum alterum accurate vix dicas: maxime probabile est cognationem ex fontium consensu ducendam esse.[1])

§ 46. Praeter glossas Amplonianas folia olim Werthinensia, nunc Monasteriensia (cf. p. 157) fragmenta glossarioli continent item interpretamentis anglosaxonicis sive saxonicis exornati, quae fragmenta tractavit Steinmeyer l. s. s. p. 248—251, edidit Gallée l. s. s. p. 337—343. Quas cum in thesauro iam adhibuerim, hoc loco summittere liceat (ex Wessneri apographo cum Galleano comparato):

Cratera patena, Crates guerdas (et supra scr. ·*s*·) *cirographa, Culfus sinus maris* [*enatus decunctis* ([signum distinctionis est. Gallée praemittit *Curia* [*senatus*), *Curia conventus et contio idem est* ·*i*· *curas, Curiosi dn̄r qui vocant sibi otio et detraunt ceteros, Curia* ·*i*· ·*f*· *domus a cruore dicta in qua conponuntur omnia sive martyres occiduntur sive epistolę accipiuntur et ipsi homines qui ibi serviunt minores vel maiores curiales dicuntur, Cuturno crincę, Curricula qui nonstant s̄ currunt, Cuniculum dicitur fluxe ventris, Cupellulus bula, Curva* ·*g*· *scorta,*

1) Excerpsi nonnullas glossas notabiliores (ex parte biblicas); nam longe maior glossarum pars audacter abici poterit ut ex aliis glossariis iam nota: *Arvinum secundum soetonium in libro de vitiis corporalibus. arvina est pinguedo quod inter cutem et viscus. alii arvinam nomine lardum dicunt* (= Serv. in Verg. Aen. VII 627); *Falcones avis sicut supra scripsimus qui pollicem vel spiritum intro cordibus habent et avis ista aput phylosopos et grammaticos pinnipotens nuncupatur* (cf. Loewe Prodr. p. 390); *Finistella scriptor qui scripturas diligenter exarat; Furfuratula tenebrę vel nox; Fuma terra tellus humus rus; In acervo mercurii consuetudinem habens ambulantes in via ubi sepultus est mercurius lapidem iactare in acervum ipsius unius quisque pro honore* (Proverb. 26, 8); *Liniebat latinum non est sed linibat; Lunulas quas mulieres in collo habent de auro vel argento; Murenulas catenas latas et spissas de auro mirifice factas; Nubunt femine viri enim dicunt* (h. e. *ducunt*) *et mulier nubit quia pallio obnubit caput genasque; Olfactoriola turribula modica de auro vel argenti quę mulieres habent pro odoribus; Paleas miscuerunt luto ne frangerentur lateres; Paximatus panis qui una adpenditur libra egyptiaca lingua; Pesicum dictum quod primum genus Aegypto seruerit persius; Pinnipotens sicut aquila; Plaustra carra carpenta vehicula in similitudinem arcę rotos habens et ipse edentes habent quasi rostria in quibus frangent spicas; Porta stercoris ubi stercora proiciuntur; Praecium pudicicie duodecim solidos qui ipsam tradidit marito debet puelle dari* (*duodecim solidi sunt qui puellam tradidit marito tantos solidos debet eam dare* cod. Bern.); *Quibo potebo; Serra unde ligna vel marmora secantur et serra dicitur lignum habens multas dentes quod boves trahunt; Triundali gurgite quasi triplici unda; Trulla vasum secessi vel ferrum latum unde parietes liniunt; Trutinio maro dicebat auctor; Valvas fenestrae ianuę postes ostia vel aq̄ ductus id est fistulę per quas aqua decurrit; Vatilla pala ad focum similis vasis quibus aqua de avibus proicitur; Veredarii dicuntur a vehendo qui festinanter in equis currunt non descendunt de equis antequam liberent responsa sua. habent pennas in capite. unde intelligitur festinatio itineris daturque ei semper equus paratus. non manducant nisi super equos antequam proficiscantur* (eadem glossa ad librum *de hester* pertinens est in fol. 103; cf. Esth. 8, 10 et 14 et Raumer 'Hist. Taschenbuch' 4. Folge 9. Jahrgang 1868 p. 71 et 91).

Cumba idolum est iuxta quod via est appia $\overline{qm}$ *appifec̄ et aque ductum in ūrba curando, Curator et procurator idem est qui vicem eius tenet, Curcilio vermis frugibus nocens, Curiales qui serviunt in curria ·i· domus quę a cruore et simulacris dicitur, Curiales et decuriones qui cu**rilia munera procurant, Data die ·i· misserunt epistolę eo die quando parate fiunt* (ita ex Wessneri apographo), *Dascalias ·g· latine doctor, Dactulus fructus digito similis dactulus graece digitus, Defensores qui defenderunt plebem contra nobiles et senatores, Delator qui detegit quod latebat, Degustatos depastos, Devote graece venihic, Delibras delibras, Dexe graece tene, Denotare iurare, Deporeat depereat, Defexum declivium ęsdyni, Dextralia armbages, Destupatorum spugtamine ·i· qui stupe sputum nectantur meando, Dementicastis oblivioni tradidistis, Devotavit despexit, Detrivio dediversisvis, Deogduade deoctabadie, Defectior putior, Decorio nomen gradus ut centorio, Derogat ·i· detrahit dei longior, Defecatum liquidum, Dependisset sustenuisset, Desinteria utsynht, Disparuit exoleuit, Dysiria ///// divicultas urinę, Discolatis ·i· a discolorato quasi sterolesum, Differenda est species divitionis ut illud divinit ł ter regem et tyrannum rex modest et temperans tyrannū* (ū non satis certa) *crudelis, Diocisus graece latine terminus vel locus subiectus, Discarruta solve carrum ·i· ondhlelth, Dilicatus dilicis pastus, Dispridulus acuaerna ł sciron, Dialogus graece dualis dictio et dialectica unum est, Dispicatise divisis, Dipondio duo minuata, Dioninius qui duo nomina habet, Dilaturas lybisnę saxonice, Dosmui dome saxonice, Dolatorium graece ascia latine aetsa saxonice, Doleta vascula sunt magna lapidea et vitrea alia capientes modia cc alia C aliar̄* (r̄ incerta: *y*?) *diversę magnitudinis sunt, Doleum vas fictile ducentis decimatis II siclos capere potest, Dorcus girec saxonice, Docheatas probatus, Dorium indiculum, Domuncula domus dim̄i, Draconto pedes homines draconum similis, Dromedarię naves dicuntur XXX inq̄o remigant qui gubernant et trahunt draconem quod capiunt ·l· ł lx homines, Duellum dicitur quod duę sunt partes pugnantium, Dudum ungeora, Ebratio ebrietas, Eculium tormentum vel quo sursum et deorsum tenditur homo, Econemica disputatoria, Editione ut causas vel fabulas audiat, Edituum templum edituus* γ *gant* (ut vid.), *Egis graece habes, Egregi salta israel egregi cantator israel, Egero graece surge, Egizo graece leva, Eleogabelli nomen gradus, Eludit saigdę, Elegans abelectione* (m. 2 in calce columnae *Elegens alectione*), *Eloin graece benedic, Elogis verbis, Elevanda graece lepra, Elifansios quasi mons graece elisio mons dicitur, Elifantiacus norbus ex similitū elifantis pro duritia pellis et quia ingens est ut animal ipsud, Epistola epi super stola scriptio a stilo dicta, Emina melius sextarius L libros inx· sextaris liquidis in siccis XL habens, Embyimiis* (*Embr*-Gallée) *plumaci, Emorphor graece pulcher, Enigma questio obscura ut de conmede nex̄ cibus et israel, Encratine continentes, Ependiten tonica vel cocula, Epilentici demonicsi, Epentiditen et colophium unum sunt quasi tonica sine manicis, Epidicta demonstrativa, Epistua graece capitella, Epistolias idest litteras commonitorias, Epicaustorium ubi carbones mittunt ad ministerium, Epistolia graece quod est latine opertorium, Ertatur traitur, Erucę qui comedent caulos, Erapsa dapulas, Erchese graece venis, Ecomologia origo vocabulorum vel proprietas, Equa lance equa divisio, Equionas equa dictio, Eufonus foenustas locutionis, Eulogias graece benedictiones exarcus patru* (*u* incerta), *Ex asse ex uno sive ex omnibus, Expendere tollerare, Ex commode extoto.* Quae secuntur in folio sexto exstant: *Panigericis inlaudibus, Parethris ministeris, Panarethos conpositum est pan graece omne arethis virtus, Paretrum* (?) *perstrigium, Parriat palmam tribuat, Parcheris praestigus, Parafrasten ñ translatorem, Pancratiasten* (et *i* sup. *e*) *graece luctator, Pau-*

xillum nomen mensure, Paxmatium demedia libra II· pax̄ lib una; Pala scoful saxonice, Patricius pater patrię, Paricius ordinat magistrum militum magister militum tribū iste vicarium trib et vicarius optionem, Pastinares vineas plantare, Papaver holus somnifer, Pangentes ordinantes vel manducantes, Paneos graece similitudo dicitur, Parásin intestimonio (o s. scr.) *parens, Perdwllio rebellatio, Personacia clifę ·i· clata clata crop;, Pergulę vięę ferreę que pendentes incatenis cyprinis in basilica beati petri in quibus pendunt aurea ornamenta, Perodites opertorium oculorum, Peripsima superhabundans purgamenta* (s. scr.) *vel gisupop, Peryzoma corporis obsena tegit, Perfragmaticum pernegotionem, Pergaminis membranis que solitum est radere, Pegulium mintę, Pellicentes maculantes, Pedi sequa, Pecodes oves tantum pecora cetera animalia, Pessuli quo cluditur cornu peride, Peculum lammina aurea, Peles concubina vel bigamus, Perendie dietertia, Pensor qui ponderator, Petulcum instabile vel impurum, Petulcus apetendo, Pessimus darent circum darent, Pedales citius, Per agilitatem per velocitatem, Peragerem pro exercitu apuli ·i· nuilabor. Petra graece lytargicus dicitur, Pedules strapulas, Pelves quod pedes ibi labantur, Pin graece bere, Pius graece qualis, Pison graece fac, Pinsit densitudo, Pilosi incubi, Piscarius qui vendit pisces, Piscine aq; frigidę iuxtatermas adutilitatem balnei, Pinguido vel crama liquor dequobuterum conficitur, Pistillus lignum brevi quo holera comminuntur in mortariolo, Pinnaterrę ·i· angulus, Pipones graece melones latine, Pigneus meor acubito graece vocatur quod cubitalis est, Pothen graece unde, Phalantes turbe, Plexus truncatus, Plageatur . . dolus* (duae litterae legi non possunt) *est fallax, Placentas defarina et melle pa·s* (*panis? pars?*), *Plagearii fures servorum et distructores pecodum alieno* (*alienorum* Gallée). *Plectrans funes depalmulis, Platesa genus piscis floc̄* (?) *saxonice, Portia insola, Politica civilis, Pomiliones pullios homines, Poma generaliter dicuntur, Portia insola est in portum rome et neapolis, Polopis et crinitus ·i· grona, Pompa fallacia, Posterula ianua, Podagra tumor pedum, Posteritas quasi postera etas, Pophirio pulcher avis, Presto est adest, Praesul provisor vel defensor, Praeruptum haengi clif, Praelum ubi orquetur oleum deuvis, Prassus groeni, Praestatio custodia, Praecentor qui vocem praemittit in cantu, Praetores et praefecti idem sunt quasi praeceptores vel praepositores, Praesides qui praesident provincis, Proceres quasi procedes civitatis, Propulenta semina diversa conmixta ad medicinam vel ad cibum fiunt, Programma proconscriptio* (in fine columnae legitur XIII), *Promuscidis alinarem ꝺ esse dicunt alii manum tam longam ut cum ea fenum collegere potest et in os mittere et aquam obsorbere et iterum spargere quasi pluviam, Prosapia prosaga futurorum vel genus, Proaulum proatrium, Promontorium hooh, Prodolor et propudor adverbia sunt, Proximus aproximate sanguinitate, Propetatio prophetia, Prologus graece praephatio, Proelium pars pugne pugna unius diei, Procurator qui curatoris vicem tenet, Proton primum, Propositura propositus ·i· vestis regiae, Proriginem bloot, Prunus lignum prunum fructus ·i· plūm, Primicerius qui totas cartas et scriniones* (vel *scrimones*) *servat, Primicerius vice divinus et consiliarius et alter* (*aliter* Gallée) *primicerius defensorum, Princeps quod primi* (*primus* vel *primum* Gallée) *capiat, Psalterium triangulum est, Pugio* (incohaverat *Pugill*) *quodam genus gladii, Pulpita ·i· capsella que sub pedibus stat in basilica beati petri detribus tabulis coniuncta, Pugillum handful* (et ·s· sup. scr.), *Puve tenus od middil, Pungius gladius, Puncto idpede, Purulenta* (!) *foetido, Purum extersum.*

His glossis accedit aliud fragmentum Werthinense exstans in uno folio in duas partes dissecto, cuius posteriorem partem expressit in

tabula phototypa XIX^{b} Gallée l. s. s. Glossas, quarum in thesauro iam rationem habui, nunc subicio:

Telis g· volo, Terebrantes borendę (et *s·* sup. scr.), *Terga dorsa hominum sunt terga animalium, Termas pro calore quod calor /// /// /// /// mas dicitur, Termas id est cassa ampla rotunda vel quadrata habens defforis fornaces XII ad calficandum domum istuspavimentum de marmore constructum et piscinas XI contra hanc fornaciorem ut per plumbeas fistulas accipiant aquam quod quędam calide sunt valde quedam frigide, Thema figura, Thestéas cenas vel cęnas scelere, Theatrum de lignis sit ubi ludunt homines et spectacula faciunt, Thia g· amita latine sc̃n pat̃ he* (haec in loco perforato) *dicuntur extranea, Theobile theos deus bule consilium quasi consilium dei, Titulatio conpunctio, Toga dicta quod corpus tegit est autem palleum purum, Torques halsberigolth* (et s. scr. *saẋ*) *circuli aurei sunt, Toga palmata q̃m merebuntur qui de hostibus palmas portabant, Testa dura vel califica, Tor///e panis in modum coronę torton g· pane* (*torton g· ****** panem ******* Gallée), *Toronicam genus ligni, Toracia haeslin, Tor*ces satrapes* (*r.* s. scr.), *Toxica bellica a ligno toxo quod est venenosa, Tor*des ymagines, To**ñ ·i· occasio ubi occidit sol, To***es uranima ·i· mędia pars cęli, T***camus moramus, Tr**olia clafrę* (et s. scr. *·s·*), *Tr**entes c**ag*ae* (?), *Tripoda thripil* (et s. scr. *·s·*), *Tra*elapus g· admixto nomine hirci et cervi *****us nutriunt vel incaver**ur* (?), *Trocleis hlędre, ·i· funibus, Tributum quod tribuitur censum quod censeri solet, Tribulibus tribubus, Tropheum pretia herihyd, Trallis nomen ecclesiae, Traducem deformem, Trionimus g· qui tria nomina habet, Tribunal dom sedil* (et *·s·* sup. scr.), *Traducere transducere, Trien g. tertia, Tribuni quod tribuunt plebibus opem, Triphinas g· nugę, Tricorium ubi III ordines stant obsequentium, Triclinium a tribus lectulis clinos g· lectulus, Tubuli stemnę* (et s. scr. *·s·*) *theuta, Tut**rus vel mansionarius ·i· dot, Turno ·i· nodo, Turdus staer, Tu g· illa, Vectigal a vechendo tributum est viscale peculiaris pecunię, Vicedominus yconimus dispensator ecclesiae, Vitta sond sax, Vimelle aures sicli per q̃ sansamit̃, Vicarii custodes locorum vicar enim custus est loci, Vinacia folciculi uvarum, Via lata in roma est laetior quam cetere vię ubi iacet corpus sc̃i macelli, Vitalia viscera, Via ostensi de ostensi civitate est, Viridarum a viridorum dicitur, Vir fibrarum ·i· dar* (et s. scr. *·s·*), *Vicus uuic ubi mercatores morantur, Vilicus qui de villa ratione reddet propria tenet, Via appia q̃m appius fec et aque claudius duxit in urbem unde aqua claudia dicitur, Vltor avis nigra maior aquile et mandu.*

Cuius generis glossae paginarum 161—163 essent, Steinmeyer 'Z. f. D. A.' tom. 33 p. 248 exposuit: 'auch sie sind alphabetisch nach den ersten beiden buchstaben geordnet, aber sie weisen zahlreiche griechische worte auf und stehen zu keiner der im Amplonianus vertretenen sammlungen in verwandtschaft. vielmehr scheinen sie aus glossaren zu einzelnen schriftstellern hervorgegangen, die alphabetisch umgeordnet wurden, aus glossaren, welche zum teil in dem Leidener cod. Voss. lat. 69 4° vorliegen'. Velut haec attulit exempla: *De ogduade de octaba die* = V 6 Hessels, *Dorium indiculum* = V 7; *Ependiten tonica vel cocula* = III 56; *erapsa dapulas* = III 54; *Parethris ministeris* = V 78; *pessuli quo cluditur cornu . peride* = III 19 (om. *peride*); *Peculum lammina aurea* = IV 34 (*Petulum lumina aurea*); *Peragerem pro exercitu apuli ·i· nuitabor*

= III 14 (*per aggerem Pro exercitu appuli huuitabar*; cf. Steinmeyer in adn.); *Panigericis in laudibus* = IV 1: quae exempla facile possunt augeri. Ex his ultro conicies glossarum harum certe magnam partem ad Sulpicium Severum et Rufini translationem Eusebii spectare. Sed de singulis in praefatione disserere nolo: satis habeo harum glossarum fundamenta demonstrasse.

CAPVT XVI. DE MEDII AEVI QVIBVSDAM EPITOMIS ET EPITOMATORIBVS

§ 47. Quae fata habuissent in glossariis glossae Festinae extremis antiquitatis saeculis supra exposuimus (cf. § 6; 36 p. 127). Ex hoc promptuario copias glossematicas denuo ditatas et amplificatas esse aetate Carolina et saeculis quae illam excipiunt, scilicet ex quo Paulus, h. e. ut constare videtur (cf. Neff, de Paulo Diacono Festi epitomatore ⟨Kaiserslautern a. 1891⟩; Manitius Gesch. d. lat. Lit. des Mittelalters I p. 264 sq., Traube 'Abh. d. bayr. Acad. d. W.' 1898 p. 708 = 110, Lindsay praef. p. XIX) Paulus Diaconus, Casini epitomen Festi in breviorem formam redegit (cf. Goetz Nov. Melet. Fest. Ienae a. 1887 p. VI sq.), nunc paucis ostendemus. Festi codicem Casini invenisse Paulum, non eo attulisse inde apparet, quod glossaria quaedam aperte Casini scripta et certa quadam necessitudine cum Festo coniuncta glossemata non ita pauca continent, quae vix possunt ad Festum ipsum non revocari. Nam etiam si dices illa glossemata ex talibus excerptis hausta esse qualia p. 127 tractavimus, nihilo setius, cum ipsa illa excerpta Casini facta esse videantur, id quod dixi confirmant potius quam refutant. Ex eisdem autem excerptis, quippe quae ex bibliotheca Casinensi viam ad alias litterarum sedes invenissent, Paulus quae in commentario ad regulam Benedicti etyma Festina attulit (p. 43: *Illecebra vero attinet ad gulam et ideo dictum est illecebra quod illiciat hominem* = Epit. p. 113: *Inlecebra item ab illiciendo dictae*; p. 86: *consilium enim a consulendo dicitur* = Epit. p. 41: *consilium vel a consulendo dicitur vel* . . .; tertium quod attulit Neff exemplum merito Traube p. 708 = 110 Isidori Originibus V 26, 13 reddidit; cf. etiam Isid. X 10) haurire potuit: quae excerpta nescio an Paulum cum Casinum venisset ad pretiosissimas Festi reliquias ibi asservatas allexerint.

Nova autem Pauli epitome in multa glossaria intravit, ex quibus gravissima tractare placuit: totam vero quaestionem absolvere neque potuimus neque, si possemus, res digna videretur cui nimiam operam impenderemus. Antiquissimum exemplum huius generis codex Vaticanus 1469 saeculi X (cf. IV praef. p. XVII; V p. XVIII) septimo loco

habet: glossarium enim miscellaneum continet, haustum illud ex optimis fontibus ac nobis per se notis; velut ex Placido (cf. V praef. p. XVIII), ex Bedae libro de orthographia composito (quae excerpta locum habere solent in principiis singularum litterarum), sed ut utriusque scriptoris excerptis aliena glossemata interposita sint, hebraica, Fulgentiana, Isidoriana, alia, in fine excerpta addantur velut ex Augustino et Orosio. In eodem glossario multas glossas Paulinas exstare hisce credideris exemplis ex variis litteris exscriptis: *Blandicella verba diminutive* (= p. 35, 9 M.); *Dubat dubitat* (= p. 67); *Momar stultus* (= p. 140); *Muttire loqui* (= p. 144); *Nervum vinculum ferreum quo pedes vel cervices impediuntur* (= p. 164); *Putus* (*Putatus* cod.) *antiquitus pro puro* e. q. s. (= p. 216); *Sardare intellegere* e. q. s. (= p. 323); *Topper cito, ut Neleus* e. q. s. (= p. 353). — Fere totam Pauli epitomen transisse in posterius glossarium Salomonis quod dicitur in encyclopaedia reali sub Lateinische Glossogr.' p. 1456 exposui. Quod ita se habere ipsae primae glossae indicio sunt hae (glossas Pauli ad ordinem alphabeti redactas saepius exstare moneo, velut in cod. Cantabrig. 'Gale ms. O 5. 34' saec. XII/XIII): *Abacti magistratus dicebantur qui coacti deposuerant imperium* (= p. 23 M.); *Abalienatus dicitur quem quis a se removerit*; *alienatus, quia alienus est factus* (= p. 25); *Abambulantes abscedentes* (= p. 26); *Abavus dicitur quia abest ab avo et est avus avi* (= p. 13); *Abdias servus domini hebraicum est*; *Abelitivi* (= *Abditivi*) *abortivi* (= p. 22); *Abemito significat demitto* (!) *vel auferto*; *emere enim antiqui dicebant pro accipe⟨re⟩* (= p. 4); *Abercet prohibetur* (= p. 25); *Abgregare est a grege ducere. segregare ex pluribus gregibus parti seducere. unde et egregius dicitur egregie lectus. quorum verborum frequens usus non mirum si ex pecoribus pendet. cum apud antiquos opes et patrimonia ex his precipue constiterint. ut adhuc etiam pecunias et pecualia dicimus* (= p. 23); *Abhorrescens discrepans* (= Ab. maior); *Abiectus ab actu remotus summissus panidus* (!) *imperitus* (contaminatae *Abacta* et *Abiecta*; *Abactus ab actu remotus* et interpretamenta *summissus pavidus imperitus* ex libro glossarum videntur provenisse); *Abicias respuas*; *Abiit ambulavit discessit*; *Abingruentes ab inmittentes* e. q. s. In posterioribus litteris augentur hebraica vocabula, minuitur numerus glossarum Paulinarum, quae in extremis litteris omnino deesse videntur. Littera U prorsus excidit. Cuius glossarii exemplaria manu scripta cum non adhibuerim, de singulis diligentius disputare non possum; nec desiderabitur accuratior tractatio, cum ex hoc glossario studiorum glossographicorum auxilia peti posse spem exstare certum sit nullam. — Tertio loco glossarium commemoro Cheltenhamense Phillipsianum 4626, ex quo Ellis (American Journ. of Philol. VI et VII) uberiora excerpta

edidit (cf. idem 'Journ. of Philol.' Cambr. XIV p. 81 sqq. VIII p. 71 sqq. et p. 122 sq.). Paulina glossemata haud pauca ibi exstare (non Festina) ex hisce apparebit exemplis: *Reapse hoc est reipsa. unde Pacuvius si non est ingratum reap-e quod fecit* (= p. 279); *Regiescit crescit* (= p. 279); *Obiurare iuramento se obstringere* (= p. 188); *Mirior antiqui comparatim dicebant a miro. Titinnius: mirior tibi videor* (= p. 123); *Mirachiton prime adolescentie* (= p. 123); *Melancoriphus avis quedam que grece atricapilla dicitur eo quod in summo capites sit nigra* (= p. 124), quibus alia addi possunt multa. Saepius cum Isidori glossis confluxerunt Paulinae, saepe cum derivationibus; omnino satis magna necessitudo cum Osberno exstat, de quo infra agetur. Cheltenhamensis codex Phillipsianus 4626, ex quo pendent excerpta Phillipsiana Ellisii, saeculi est tertii decimi; idem glossarium, sed hic illic contractius, continet cod. 2274 eiusdem saeculi et bibliothecae. Cf. glossam hanc: *Nefredus dr porcus castratus quasi renibus imminutus. Nefren enim grece rien sive ren latine. Nefrendis infans nondum dentatus quasi nondum frendens -i- frangens. Vnde livius. Quem ego nefrendem alui. Nefrendes etiam dnr arietes sive porcelli lactentes eo quod dentibus frendere non possunt. Nefrendes quoque testiculi dnr quos alii nebrundines alii nefros alii nefrones vocant* (v. Paul. p. 163). De ratione quae est inter Pauli codices et excerpta cod. 4626 Ellis (Journ. of Phil. XIV p. 81—84) pluribus disseruit. Ceterum glossarium 2274 etiam in Bruxellensi codice exstat 8421 saec. XVI; sed videtur Bruxellensis ex Phillippsiano transcriptus esse. — Excerpta ex Paulo etiam in Miconis glossario inveniuntur una cum glossario 'Abavus' plenioris memoriae (cf. de hoc glossario praeter Loewium Prodr. p. 102 Manitium l. s. s. p. 470. 475), item in glossis Priscianeis Remigii Autissiodorensis; cf. p. 99. — Praeter ea quae dixi glossaria haud pauca circumferuntur glossematis Paulinis aucta; cf. quae supra p. 128 de glossario Leidensi protuli; adde glossarium codicum Londinensium 'Additional ms.' 15219 saec. XIII in fol. 55r—74r et 'Old Kings mss.' 15 A XVI s. X. Vterque codex multa habet ex libro glossarum, quibus accedunt alia ex Paulo et Isidoro petita. Sed cum vix spes sit ex talibus fontibus nos quicquam lucraturos, nunc satis disputavisse mihi videor de Paulo, praesertim cum infra in magnis quibusdam corporibus tractandis ad eandem quaestionem revertendi occasio futura sit.

§ 48. Glossarium Salomonis appellari solet liber rarissimus a. fere 1483 in monasterio SS. Vdalrici et Afrae Augustano impressus et e codice eiusdem monasterii s. XII, ut videtur, scripto haustus (Loewii Prodr. p. 234 verba sunt; cf. Vsener Mus. Rhen. t. XXIV p. 389 sq. = Kl. Schr II 248). Continet hic liber duo glossaria, quorum prius

librum glossarum, alterum Pauli glossas pro fundamento habet. Prioris glossarii copiosissimi titulus hic est (sequor exemplar meum): '*Salemonis ecclesie Constantiensis epi glosse ex illustrissimis collecte auctoribus incipiunt foeliciter*': cui praecedunt '*Epistola prelibaticia in sequentis operis commendationem brevibus absoluta incipit foeliciter*'. De hac epist. cf. Vsenerum l. s. s.; exscribo haec: '*Nonne admiraculo ducendum: homines quibus natura datum est ut ratione vigeant: eam ignorare linguam in qua a pueris studii sui tempora triverunt: et bestiis hac in parte se pati brutaliores. Ergo Salomon ille noster secundus ecclesie Constañ episcopus his frena cupiens imponere: quid aeger ab aegroto differat eleganter: latine: aperte: plane: distincte: et ornate: in hoc opere brevibus disseruit: cui glosse non Katholicon quod est universalis ut Iohanni Ianuensi est titulus: qui gloriatur continere se omnia: cui pulchre a quodam obicitur: praeter utilia: hoc idem omnis sentit Italia hoc canonum et legum quoque scholares: solis vero ignaris suum pannuciatum placet latinum* e. q. s. Salomo autem, qui tertius abbas fuit Sangallensis, postea episcopus Constantiensis, a. 919 mortuus (cf. Vsener p. 390 = Kl. Schr. II p. 248, Hoffmann v. Fallersleben, Althochd. Glossen a. 1826 p. XXII), haec glossaria ipse non composuit, sed auctor videtur fuisse eorum in eam formam redigendorum quam nunc habent. Exemplar impressum valde recedere ab exemplaribus manu scriptis testantur cum alii tum Gabriel Meier 'Catal. cod. ms. Eins.' p. 267. Innotuerunt autem mihi, quamvis peculiarem operam his codicibus indagandis non dederim, codices hi (quorum plerosque simul hermeneumata Pseudodositheana exhibere moneo): 1) cod. l. Monacensis 13002 (cf. III praef. p. XVII) a. 1158; 2) cod. l. Monacensis 22201 (cf. III praef. p. XVIII) anno 1165 ad finem perductus; 3) cod. l. Monacensis 17403 saec. XIII (de quo cf. Steinmeyer IV p. 559); 4) cod. l. Monacensis 17152 saec. XII (cf. Steinmeyer IV p. 557); 5) cod. Pragensis saec. XIII (cf. Steinmeyer IV p. 605); 6) cod. Zwettl. 1 saec. XIII (cf. Steinmeyer IV p. 677); 6) cod. monasterii S. Crucis 17 saec. XII (cf. III praef. p. XIX); 7) cod. Admont. 3 saec. XI (cf. Steinmeyer IV p. 374 et III praef. p. XIX); 8) cod. Vindobonensis 2276 saec. XIV (prius glossarium exhibens; cf. Steinmeyer IV p. 647). Quibus accedunt fragmenta haec: 9) Monacensia a: cod. gr. Monac. 187 unum folium continens idque ad initium prioris glossarii pertinens (cf. Steinmeyer IV p. 594); b (non signatum): unum folium et dimid. saec. XII ad litteram C (*Camera* ad . . . *theonetica a loco alexandrie* = fol. 29^{v} exemplaris impressi); c: folium unum saec. XII 29121 pertinens ad litt. V (*hanc graeci afrodin* ad *Verecus verecundatus*); d: duo folia 29121 saec. XII *Presbiter* ad *Prinotose* et glossemata ex litteris Q et R continens);

e: unum folium saec. XI? 29121 ad glossas *Inurere* ad *Israhel* pertinens; conspirat cum 13002: cf. de his Steinmeyer IV p. 584; 10) fragmenta Oenipontana cod. 711 saec. XIII excerpta ex littera C exhibentia (cf. Steinmeyer IV p. 471); 11) fragmenta Labacensia conflata ex gl. Salomonis et Abav. maioris memoriae (cf. Steinmeyer IV p. 124 sqq. et inprimis p. 474); 12) cod. Mus. Brit. Addit. ms. 18379, continens glossaria duo Salomonis confusa cum glossis Abavus maioris memoriae (cf. IV praef. p. XXXV; sed diligentior de singulis partibus est Steinmeyer IV 128 sqq. et 490 sq.); 13) cod. l. Monacensis 23496 (cf. Steinmeyer IV p. 166 sqq. 581) fragmenta continens; 14) cod. l. Monacensis 7999 (cf. Steinmeyer IV p. 173 sqq. 529) contractum glossarium continens; 15) cod. Einsidlensis 293 saec. XII priorem partem primi glossarii continens (ab *A* ad *M Mactat interficit.* Tomus II huius libri periit praeter pauca fragmenta in cod. Eins. 365 p. 137—146 servata; cf. Gabr. Meier Catal. cod. Eins. N. 293 et 365; Hagen, Anecd. Helv. p. LI). Notabile est in hoc libro glossas theodiscas omnino deesse. Quibus libris non dubito quin alia exemplaria addi possint, velut fragmentum illud quod e cod. Londinensi Mus. Brit. 34389 mihi notavit Guil. Meyer Spirensis; cf. etiam Hoffmann v. Fallersleben l. s. s. p. XX—XXII.

Glossarium Salomonis prius ex libro glossarum qui dicitur provenisse iam Loewe l. s. s. et Vsener l. s. s. recte perspexerunt: glossemata tamen saepius non integra transcripta esse, sed in epitomae formam contracta et confusa velut glossa *Deditícii* testatur, quae duplex est in libro glossarum (sequor in eis quae nunc affero commentationis meae de libro glossarum compositae pag. 34 sqq. = 244 sqq.), altera ex Gaio ducta (Inst. I 13, 15), altera ex Isidoro (Orig. IX 4, 49). Prior glossa talis est in libro glossarum: *Ysidor Dedicii sunt qui ante . . . turpitudinibus affecti sunt*, posterior autem sine praescriptione talis: *Deditici primum a deditione sunt nuncupati* e. q. s., quas glossas in unam conflavit glossarium Salomonis primis posterioris verbis priori insertis (*et a ditione deditii nuncupati sunt*), reliquis autem quatenus conspirant cum prioribus simpliciter omissis. Quae ratio facile explicari potest et ad ingentem exemplorum numerum pertinet. Qua in re mirum est quod prorsus eaedem contractiones exstare solent in libro glossarum cod. lat. Monacensis 14429, de quo l. s. s. p. 227 et praef. vol. V p. XXIII paucis disputavi: quem librum quo diligentius contuli, eo maior apparuit necessitudo, donec cognovi librum Monacensem fundamentum esse ipsius glossarii quod Salomoni adscribi solet. Quod re vera ita se habere ex his et similibus locis cognosces: 1. Cod. Monacensis haec exhibet: *Stromateas opus . . . vel varia | diversitate contextum.* ~ ≡

Stromphaliae aves abstro | Stronfades insolas q̄ prius plotas vocabantur. — | nfadibus insolis appellate. ~ *Stropola ip̃ura.* ~ Inde Salomonis glossarium in cod. l. Monacensi 13002 fecit: *Stromphalide aves ab rostro. | Stronfades insulas que prius plotas vocabantur ñfadibus insulis appellate*: haec autem in cod. l. Monacensi 17152: *Strophalide aves abst° | Stronfades insulas que prius plotas vocabantur nefadibus insulas appellatę.* Qui scripsit, lineolas duxit sub graecis et palaeotheodiscis vocabulis; idem *abst°* pro palaeotheodisco vocabulo accepit. In exemplari impresso haec rectius exhibentur ex Isid. XII 7, 27, ut videtur. — *Vates fanatici . . . futurorum | malefici vinefici.* ~ ≡ *Vates gentilitas | Īs Vates dicti quod tamquam futura conspiciunt. | appellat quod nostri profetas* e. q. s. Librarius verba *Vates gentilitas* in loco vacuo relicto scripsit; qui descripsit, rem non perspexit et haec propagavit: *Vates gentilitas. Votes dicti quod tamquam futura conspiciunt. vates gentilitas appellat quod nostri prophetas* e. q. s. correctione postea adhibita (cum exemplari impresso conspirant cod. l. Monacensis 13002, 17152, 17403). — *Dulci umbra odorata umbra* est in optimis libri glossarum exemplaribus; unde cod. l. Monacensis 14429: *Dulci nectare dulci melle.* ~ ≡ *odorata.* ~ | *Dulcis natos rarissimos filios.* ~ *Dulci umbra.* Glossae Salomonis: *Dulci nectare dulci melle. Dulces natos rarissimos filios. Dulci umbra.*—2. Glossa *vermis* talis est in cod. Bambergensi: *Bombix vermis est* (*est* add. m. 2) *indicus ex cuius textura bonbicinum conficitur. de hoc verme quid tradidit historia vel eorum relatio qui videre potuerunt. non p̄teribo. fertur hic* e. q. s. Cod. l. Monacensis 14429: *Ambr. Bombix vermis indicus ex relatione cuius textura vel eorum ratio qui videre potuerunt non p̄teribo. fertur hic* e. q. s. Prorsus idem glossae Salomonis exhibent (nisi quod *vel relatione eorum qui*). — Glossa *Exenodochium* talis est in cod. Bambergensi: *Exenodochium cum hierosolymam antiochus obsideret hircanus princeps iudeorum reserato dd̃ sepulchro tria milia auri talenta inde abstraxit ex quibus trecenta antiocho dedit* e. q. s. Pro quibus cod. l. Monacensis 14429: *Exenodocium cum hierosolimam antiochus obsiderat hircanus princeps iudeorum reserato dd̃ sepulchro tria milia auri tallenta inde abstraxit et ½ antiocho dedit* (et in marg. m. 1: *½ quibus recenta*). Salomo habet *obsiderat*, sed *abstraxit ex quibus paucis retentis antiocho.* Cum in cod. Monacensi *recenta* vix distingui possit a *retenta*, causa mutationis planissima est. — 3. Cod. lat. Monacensis habet: *Plũ Magalia quasi . . . id est rotunda aedificiola in furnorum modum parva quas alii casas vocant* (*i. fornacium* deest in vetustis exemplaribus). Salomo: *in furnorum id est fornacium modum.* — Idem cod. lat. Monacensis

ł saxonum
habet: *Mioparo dictus quasi minimus paro ... quales utuntur germanorum piraticae naves in occiani litoribus.* Prorsus idem (nisi quod *germanorum vel saxonum*) habet Salomo (= Isid. XIX 3, 21). — 4. Cod. lat. Monacensis habet in serie *Aeu, Aex*: *Is̃ Aeuum et seculum ... dicuntur | Plă ~~Adexitiorum conspirationum~~ factionum.* Reliqui libri cum *Aexitiorum* habeant, *Adexitiorum* peccatum est, uti iam ordo indicat. Salomo has glossas in serie *Adex* habet; qui in cod. Monacensi *Adexitiorum conspirationum* delevit, idem inseruit sub *Adex.* Simili ratione in Monacensi saepius certis quibusdam glossis ϑ signum praemissum est, h. e. *dele*; easdem glossas Salomo omisit (inprimis in litteris L—P). Idem cod. Monacensis saepius glossis breviatis adscriptum habet *rł* (h. e. *reliqua*). Salomo in his glossis nusquam ultra illud *rł* progreditur. — 5. Quod Salomo etiam glossas propagavit in cod. Monacensi non traditas, huic rei cave ne multum tribuas, cum qui glossarium confecit praeter librum glossarum plures fontes exscripserit. Similiter iudicandum de eis quae in Salomonis glossario pleniora sunt quam in cod. Monacensi. Gravius certe est, quod glossae ex libro glossarum desumptae in universum optime cum glossis Salomonis concordant. Quae cum ita sint, glossarii Salomonis in glossematis refingendis non est cur rationem habeamus. Quod de genuino glossario valet, idem de exemplaribus contractis, contaminatis, interpolatis valere satis est hic breviter commemorasse.

Sed nondum totam materiam huius libri absolvimus: qui confecit, etiam alia glossaria adscivit, de quibus nunc disserendum est. Primum enim glossarum hebraicarum ingens moles immissa est ad Vulgatam pertinentium (cf. Loewe l. s. s. p. 234, Vsener l. s. s. p. 389 = Kl. Schr. II 248): de quibus, cum tantum non omnes ex latina quam dedit Hieronymus versione libri Eusebiani qui est *περὶ τῶν τοπικῶν ὀνομάτων* haustae sint, conferre iubeo quae Ericus Klostermann (Eusebius Onomastikon der bibl. Ortsnamen, Leipz. 1904) exposuit. His accedunt 2) glossae 'abavus' pleniores e tali recensione derivatae qualem exhibet cod. Parisinus l. 7640 (cf. vol. IV praef. p. XXXVII). Tertio loco commemoro glossemata theodiscis interpretamentis ornata, quae Steinmeyer l. s. s. edidit: quorum glossematum lemmata neque ex libro glossarum neque ex glossis 'Abavus' fluxerunt, sed cum interpretamentis aliunde petita et cum glossis illis coniuncta, ex parte etiam contaminata sunt; contaminationis mirum exemplum produnt fragmenta Labacensia (IV p. 124 sqq. Steinm.), de quibus conferenda sunt quae Steinmeyer IV p. 473 sq. optime exposuit. Porro vestigia glossularum quae ex 'Gestis Apollonii' (Poet. lat. aev. Carol. II p. 484 sqq.) exscripta sunt Schepss (Neues Arch. IX p. 173 sqq.) detexit, de qui-

bus paucis egit Ludovicus Traube (Neues Arch. X p. 381 sq.). Miscellaneum igitur iure appellabimus hoc glossarium, quod ut in quaestionibus germanicis et latinis medii aevi suam auctoritatem habet, ita ad glossographica studia vetustioris aetatis illustranda parum valere existimo.

Pergo nunc ad alterum glossarium quod in plerisque exemplaribus cum illo coniunctum esse solet. Incipit sic: *Abacti magistratus dicebantur qui coacti deposuerant imperium*, sic autem explicit: *Zozommin hec cogitationis ut supra.* Litterae V nullae glossae sunt, litterae T paucissimae, plenissimae sunt A et C litterae. Fundamenta principalia glossarii sunt haec: 1) Pauli glossae in severiorem alphabeti ordinem redactae; de his cf. quae p. 166 paucis disseruimus; 2) glossemata ex glossariis petita, quae modo cum 'abavus' glossario pleniore modo cum aliis quarti voluminis glossariis concinunt (in aliis litteris frequentiora sunt, in aliis rariora, in quibusdam prorsus desunt); 3) hebraica vocabula permulta ad sacram scripturam pertinentia; 4) lemmata latina interpretamentis theodiscis illustrata, sed multo pauciora quam in priore glossario et ab illo plerumque diversa, rarius cum eo conspirantia (in B littera nulla sunt, unum in littera D). Cf. Steinmeyer p. 111 sqq. Omnino hoc glossarium tumultuaria opera confectum priori auctoritate cedere apertum est.

§ 49. Papiae quod dicitur elementarium impressum est Mediolani 'per Dominicum de Vespolate Anno domini MCCCCLXXVI die XII. mensis decembris': exemplaria impressa duo quae mihi innotuerunt minutissimis tantum rebus inter se differunt, h. e. correctionibus aliquot ante quam plura exemplaria imprimerentur adhibitis. Ab hac editione pendent reliquae tres Venetae, 1. anni 1445 (per Andream de Bonetis de Papia ... Die ultimo Iunii. Ioanne Mocenico inclyto Venetiarum principe regnante); 2. anni 1491 (per Theodorum de regazionibus de asula die XV mensis Martii); 3. anni 1496 (per Philippum de pincis Mantuanum ... die XIX Aprilis. Regnante Serenissimo Augustino Barbadico Venetiarum duce felicissimo). Quae tria exemplaria inter se simillima, cum non differant nisi interpunctione, additamentis et emendatiunculis levioribus, orthographicis minutiis, ab eadem editione principe pendere lacuna quae est inter *pecuosus* et *placitum* octo foliis quae in editione principe exstant deperditis demonstrat. Quod cum ita sit, ab editione Mediolanensi proficiscar, nisi ubi exemplaria manu scripta pro fundamento esse volui.[1])

Codicum Papiae, quos innumerabiles esse dicit Loewe Prodr. p. 235, conspectum dederunt Montefalconius Bibl. mss. p. 751, 754,

1) Multa quae nunc profero, exposita invenies in mea commentatione 'Sitzungsberichte d. Königl. Bayer. Ac. d. W.' 1903 p. 267 sqq.

760; Loewe p. 235 adn. 4, Berger de gloss. et comp. exeg. p. 12. Innotuerunt autem mihi exemplaria haec: duodecimi saeculi 1. cod. Parisinus lat. 9341 (suppl. lat. 22, cum grammatica de qua mox agetur); 2. Trecensis (Troyes) 539 teste catalogo; 3. cod. Duacensis (Douai) 751 (cum grammatica); 4. cod. Montepessulanus 107 (teste catalogo); 5. cod. Montepessulanus 108 (litteras A—P complectens; teste catalogo); 6. cod. Laudunensis 427 (a P ad finem, cum grammatica); 7. cod. Darmstadiensis 909 (sine grammatica); 8. cod. Florentinus Ashburnh. 63 (cum grammatica); 9. cod. Matritensis bibl. nat. V 191 (cf. Loewe-Hartel p. 447); 10. cod. Romanus Casanat. 464 (A. I. 22; duodecimo saeculo adscribit Gundermann; cf. Loewe Prodr. p. 235; cum grammatica); 11. cod. Vaticanus Ottobon. lat. 2231 (teste Loewio; cf. tamen idem Prodr. p. 235); 12. cod. Cavensis 14 (saeculum definivit Guil. Meyer); 13. cod. Lucensis (bibl. capit.; saeculum indicavit Ewald); 14. cod. Gandavensis (teste catalogo p. 238; sine grammatica); saeculi duodecimi vel tertii decimi 15. Montepessulanus 38; 16. Autissiodorensis 70 (cum grammatica); saeculi tertii decimi; 17. cod. Parisinus lat. 17162 (cum grammatica); 18. cod. Parisinus lat. 7609 (sine grammatica); 19. cod. Parisinus lat. 7610 (cum grammatica); 20. cod. Parisinus lat. 7611 (cum grammatica); 21. cod. Parisinus lat. 7612 (sine grammatica); 22. cod. Parisinus lat. 8844 (sine grammatica); 23. cod. Parisinus lat. 11531 (cum grammatica); 24. cod. Parisinus lat. 10296 (A—O; sine grammatica); 25. cod. Parisinus lat. 13030 (sine grammatica); 26. cod. Parisinus lat. 14744 (cum grammatica); 27. cod. Parisinus lat. 17878 (sine grammatica); 28. cod. Parisinus lat. 17879 (N—Z, sine grammatica); 29 cod. Parisinus lat. 7642 (A—M., sine grammatica); 30. cod. Parisinus lat. 7645 (O—Z, sine grammatica); 31. cod. Parisinus lat. 7622 A (sine grammatica); 32. cod. Parisinus lat. 12400 (A—D, sine grammatica); 33. cod. Parisinus 'Arsén.' 1225 (cum grammatica; tempus definivit Gundermann; teste catalogo XII. saeculi est); 34. cod. Parisinus Mazar. 3790 (453), cod. miscellaneus, partem Papiae continens; 35. cod. Montepessulanus 109; 36. cod. Rothomensis (Rouen) 1020—1021 (sine grammatica); 37. cod. Rothomensis 1022 (cum grammatica); 38. cod. Duacensis (Douai) 752 (cum grammatica); 39. cod. Atrebatensis 345 (cum grammatica); 40. cod. Bononiensis (Boulogne-sur-mer) 182 (cum grammatica); 41. cod. Bononiensis 183 (cum grammatica); 42. cod. Audomarensis (St. Omer) 193 (cum grammatica); 43. cod. Trecensis 160; 44. cod. Valentinianensis (Valenciennes) 396. 397 (in cod. 397 pars saeculo XV suppleta); 45. 46. 47. codices Alcobacenses (teste Haenelio p. 1027); 48. cod. Londinen-

sis Harlei. 2355 (epitomen continens); 49. cod. Modiciensis (Monza) 229 (cf. Memorie storiche di Monza e la sua corte raccolte ed esaminate da A. F. Frisi t. III p. 233 sq); 50. cod. Florentinus Laur. 27, 3; 51. cod. Matritensis bibl. nat. Bb 126 (cf. Loewe-Hartel p. 389); 52. cod. Matritensis bibl. reg. privat. 2 D 5 (cf Loewe-Hartel p. 466; sine grammatica); 53. cod. Bernensis 1 (cum grammatica); 54. cod. Bernensis 2 (cum grammatica; cf. de his codicibus Bern. Hagen Anecd. Helv. CLXXIX); 55. cod. Bernensis 276 (Loewe Prodr. p. 235; Anecd. Helv. CLXXX; teste Hageno codex est saeculi XIII/XIV); saeculi XIII vel XIV 56. cod. Romanus Chis. LVII 244 (olim 2065; sine grammatica); 57. cod. Londinensis Harlei. Addit. 8244 (contextu saepius mutato); saeculi decimi quarti 58. cod. Parisinus lat. 7613 (A—I); 59. cod. Parisinus 7614 (sine grammatica); 60. cod. Parisinus lat. 7615 (sine grammatica); 61. cod. Parisinus lat. 7616 (A—P); 62. cod. Parisinus lat. 7617 (A—P); 63. cod. Parisinus lat. 7618 (a F usque ad finem; sine grammatica); 64. cod. Parisinus lat. 7619 (N—Z; cum grammatica); 65. cod. Parisinus lat. 7598 (sine grammatica); 66. cod. Duacensis 753 ('elementarium Papiae abbreviatum'); 67. cod Londinensis Harl. 2610 (fragmentum continens); 68. cod. Londinensis Harl. 8404 (sine grammatica); 69. cod. Londinensis Addit. 14806 (mutilus); 70. cod. Cantabrigiensis bibl. univ. Kk IV 1 (sine grammatica); 71. cod. Cheltenhamensis Phillipps. 2112 (A—I); 72. cod. Leidensis bibl. publ. 17 (cum grammatica); 73. cod. Leidensis bibl. publ. 120 (contractum exemplar); 74. cod. Neapolitanus 5 C 31 (a. 1338, sine grammatica); 75. cod. Romanus Chis. L VIII 288 (sine grammatica); 76. cod. Vaticanus Reg. Christ. 1482 (Loewe Prodr. p. 235; Wilmanns Rh. Mus. XXIV p. 379, sine grammatica); 77. cod. Vaticanus Ottobonianus 2331; 78. cod. Vaticanus Ottobonianus 1757; 79. cod. Matritensis bibl. nat. Bb 125 (cf. Loewe-Hartel p. 389, sine grammatica); 80. cod. Erfurtensis 28 (Papiam et novum Cornutum complectens); quinti decimi saeculi 81. cod. Parisinus lat. 7620 (sine grammatica); 82. Valentinianensis 379. 380 (cf. 44); 83. cod. Londinensis Harl. Addit. 14807 (sine grammatica); 84. cod. Vaticanus 1465 (cf. Loewe Prodr. p. 265; Wilmanns Rhein. Mus. XXIV p. 379) ex exemplari anni 1264 descriptus; 85. cod. Vaticanus 1466 (cf. Loewe l. s. s., Wilmanns l. s. s.)[1]); 86. cod. Vaticanus Vrb. 304 (cf. Loewe l. s. s., Wilmanns l. s. s.); 87. cod. Vaticanus 5228 (cf. Loewe l. s. s., Wilmanns l. s. s. p. 379). His adde quae Steinmeyer IV p. 497 de fragmentis litterae S in Har-

1) Etiam cod. Vaticanus reg. Christ. 1392 in fol. 135r—138u 'excerpta de libro papie' continet.

leiano 2610 saeculo tertio decimo scriptis dixit, item quae Haenel p. 405 de codice Remensi, Thurot Not. et Extr. XXII p. 45 de codice quodam Parisino attulerunt.[1]) — Ex tanto codicum numero, qui sine dubio augeri potest, quanto ardore Papiae liber studiis medii aevi adhibitus sit, probe cognosces. De quibus libris in classes digerendis quaesivissem, si elementarium in glossis emendandis maiorem vim haberet: cum tamen quae insunt ex eo fonte noverimus quem ipse Papias exscripsit, studia nostra ad vetustiora tempora spectantia perparvum fructum ex hoc lexico capere possunt. Quod cum ita sit, in excutiendis singulis exemplaribus modo auctis modo contractis modo emendatis modo corruptis operam diligentiorem collocandam esse non censui. Hunc vel illum locum ex libris quos inspexi, codicem Darmstadiensem in permultis glossis tractandis adscivi, exemplar impressum ex bono libro haustum esse perspexisse mihi visus sum.

Papiam qui composuit elementarium Lombardum fuisse ante Trithemium de script. eccl. ('Papias natione Lombardus claruit temporibus Heinrici VI, a. d. 1200') Ptolemeus Lucensis († 1327) in historia ecclesiastica c. 18 (Murat. Script. XI 1128 D) testatur: 'Eodem etiam tempore', h. e. sub Innocentio III, 'Historiae tradunt, quod floruit Papias natione Lombardus, qui expositionem vocabulorum nobis clarissime tradidit'. Quem ut constat de aetate Papiae erravisse, de patria cur erravisse statuamus nullam causam esse video. De urbe ex qua oriundus sit, nihil scimus: nam quod dicit Berger l. s. s. p. 14: 'de urbe Papia sive Pavia, quam scriptoris patriam fuisse suspicari licet, sic ille: "Papia vero a papae dicta, eo quod abundet in multis quasi mirabilibus", incertiora sunt nec est cur ad patriam pertinere putemus. Quo tempore Papias lexicon suum condiderit, dudum exploratum est. Iam in chronico Alberici (cf. Pertz, Monum. Germ. Script. XXIII p. 790) leguntur haec ad annum 1053 adnotata: '*Anno 1053, 13 imperatoris Henrici filii Conradi, Papias librum suum, scilicet elementarium doctrinae rudimentum, edidit, quod probatur per numerum annorum, ubi agit de aetatibus saeculi in prima littera et enumerando pertingit usque ad hunc annum*'. Locus quem in mente habet auctor talis est sub voce 'Aetas' teste codice Darmstadiensi: '*Otto minor ·XXII· Otto puer· sex· Henricus maior ·XXIII· Conradus ·XVI· Henricus minor ·XIII·*' Igitur annus tertius decimus regni Henrici III iam praeterlapsus erat, cum haec verba scri-

1) Sero vidi etiam codicem Neapolitanum 5. C. 31 saeculi XIV Papiam exhibere (sine grammatica). Porro moneo codicem Vaticanum 5141 saec. XIII ex Papia fluxisse. Papiam continet etiam cod. Havniensis 124 saec. XIV, Vaticanus Palatinus 1467, Vallicellianus B45 saec. XII, Modicianus bibliothecae capitularis 164, Guelferbytanus 2246 saec. XIV.

berentur: quae verba non ipsius Papiae esse, sed eius qui post illum librum retractaverit, vix putabis. Porro cum illa de aetatibus expositio non procul ab initio libri exstet, in praefatione autem scriptum sit: 'opus ... a me ... nuper per spatium circiter decem annorum prout potui adauctum et accumulatum' (Loewe Prodr. p. 235), anno fere 1063 liber ad finem perductus esse videatur. Vetustissimum Papiae vestigium — ut mittamus exemplaria antiquissima duodecimi esse saeculi — testantur versus adscripti Papiae exemplari Aquicinctinensi (Anchin), quos C. Oudin commemorat in commentario de script. eccles. II p. 621, hi:

Instar apis mella collecta labore decenni
Cunctis Papias ista legenda dedit.
At cibus ut noster de divite ditior esset,
Apposuit nobis has Rainaldus opes.
Ne tali nostra dulcedine mensa careret,
Exstitit eius in hoc officiosa manus.

Et infra:

Scripti tempus habet, qui Ihesu copulat annis
Undecies centum septuaginta tribus.

Scriptor igitur Aquicinctinensis exemplaris Rainaldus anno 1173 apographon suum confecit. Alia quaedam ad recentiora tempora pertinentia vestigia commemorat Wilmanns Mus. Rhen. t. XXIV p. 379. — Quae praeter ea quae adhuc attulimus de Papia innotuerunt, ex praefatione pendent ad filios data et ipsi lexico praemissa hac:

'*Fili uterque carissime*[1]*, debui si potuissem, potui si meae voluntati Christus suae gratiae pondus adhibuisset, earundem quas novi litterarum disciplinas*[2]*) in praesentia vos edocuisse. At quia aut nostri causa peccati aut melius providentis divinae dispositionis gratia ad praesens sumus remoti, ne non videamini filii, si non viva voce ut debui, saltem eiusdem significatione ut potui, interim quaedam disciplinae*[3]*) elementa ad vestra erudimenta invenire disposui: nec vobis solum filiis, sed, si arrogantiae non detur, patribus vel fratribus quibusdam iam satis olim a me petentibus, quibusdam autem, etsi non petentibus, tamen cupientibus, omnibus vero quibus proficere debeat, talentum non occultandum, sed usuris erogandum suscepi. Opus quidem a multis aliis iam pridem elaboratum, a me quoque nuper per spatium circiter decem annorum prout potui adauctum et accumulatum: ad confertum igitur et coagitatum eiusdem exornationis et perfectionis cumulum quantum deus donaverit adhuc superaddere pertentabo. Erit enim quibusdam perspatiosum ac mare magnum innumerabilibus et diversis plenum reptilibus naufragantibus et in tranquillitatem tutissimi ecclesiae portus redire et quiescere volentibus firma*

1) *Filii. utique carissimi* ed princeps.
2) *disciplinis* cod. Paris. 'Arsénal.' 1225. 3) deest in cod. Parisino.

stabilisque receptio et a violentissimis ventorum flatibus vera defensio. Qui si malivoli non fuerint, leni suavissimoque docente magistro per hanc ad veram poterunt provehi sapientiam dogmatizante[1]*) spiritu sancto. Nolentes igitur nullo modo cogo, volentes vero per Christum obnixius*[2]*) omnes rogo, immo adiurando per eundem cogo,* [*et*][3]*) ut, quoniam ad utramque viam, arrogantiae scilicet vanam philosophiam et Christi veram omnibusque communem sapientiam, hoc quidem ex omnibus quas invenimus scripturis electum atque compositum opus despicere*[4]*) approbatur, aut ad idem pertractandum ne aspirent aut in Christo id habere nitantur, posteaquam*[5]*) susceperint. Contra id vero qui fecerit aut alteri faciendi occasionem dederit, ipse quidem exterior homo ad praesens sit anathema, ut interior ne pereat in die iudicii. Insuper autem id solum ab omnibus peto remunerationis, ut cum ad legendum hunc librum susceperint, nostri quoque cum caritate meminerint et pro me PAPIA multiplicibus obsito peccatis ad humanatum pro nobis deum exorent, ut perfecta omnium meorum*[6]*) delictorum venia percepta divini spiritus gratia purificatus et eiusdem ardentissimo amori inseparabiliter copulatus deum deorum in Syon videre et in Hierusalem perpetuo laudare uno in corpore cum ipsis omnibus orthodoxis coniunctis valeam. Amen.'*

Ex hac igitur praefatione discimus duo fuisse Papiae filios, sed ipsum fuisse ab iis "remotum", vixisse eum inter clericos (cf. *patribus vel fratribus quibusdam iam satis olim a me petentibus*; quibus adde haec ex epilogo: *quatenus vestris orationibus et elemosynis ceterisque spiritualibus auxiliis perpetuo adiutus omniumque meorum percepta venia peccatorum vobiscum ad aeterna valeam pervenire gaudia*: cf. Hagen Anecd. Helv. p. CLXXX); de ceteris Papiae fatis et vita nihil ad nostra tempora pervenit. Praeter lexicon aliud opus condidit, scilicet grammaticam ex Prisciani libris compilatam, ex qua excerpta aliquot edidit Hagen Anecd. Helv. p. CLXXIX sqq., in multis exemplaribus lexico additam, id quod in recensu codicum ubi fieri potuit indicavi. Incipit grammatica ab his verbis: *Petistis a me, karissimi, ex arte grammatica vobis competentes regulas dari aut componi.* Quam grammaticam ex Prisciano potissimum compilatam esse ipse auctor confitetur: '*ipsius igitur Prisciani dispositionem summamque sequens aliorumque, siquid dictum est, non renuens quam brevius potero, opus vestrae eruditioni componam necessaria non praetermittendo, si quid vero utile nobis et compendiosum mihi visum fuerit, intermiscendo*'. Quem librum post lexicon eum aggressum

1) ita certe cod. Paris. et Darmstad ; *docente* ed. princ.
2) *obnoxius* cod. Paris. 3) om. cod. Paris. et Darmstad.
4) *inspicere* ed. Ven.: an *respicere*? 5) *postquam* cod. Paris.
6) deest in cod. Paris.

esse testatur illius epilogo, ubi sperat se grammaticam 'ad eiusdem perfectionis cumulum' perducturum esse. Etiam epistolarum librum eum scripsisse Trithemium testari adnotavit Cangius p. XXXIII editionis novae; quarum tamen cum in codicibus nullum vestigium invenerim, de 'formatis epistolis' glossario insertis an cogitaverit Trithemius nescio. 'Elementarium doctrinae erudimentum' se post aliorum operam auxisse et cumulasse ipse dicit auctor in prooemio: idem in epilogo 'opus ex multis et diversis texturis elaboratum et contextum licet per multorum annorum curricula ad finem tamen usque' se perduxisse monet. De fontibus autem ipse in prooemio haec adnotavit (teste codice Darmstadiensi hic illic in pusillis rebus emendato): *At vero quorundam etiam auctorum nomina ad eorundem verborum auctenticum primis quibusdam litteris quorum quosdam subnotabimus praescribentur: Isidorus Is., Augustinus Aug., Hieronymus Hieron., Ambrosius Amb., Gregorius Gre., Priscianus Pris., Boetius Boet. — quicquid autem in omnibus paene libris Prisciani Boetii aliorumque invenimus iisdem notatur apicibus —, commentum super Boetium com. Boet., Remigius Rem., Beda Be., Origenes Orig., Horatius Hor., Cicero Cic., Hippocrates Hip. etc., de gestis Longobardorum, Romanorum, de historia Eusebii ecclesiastica, Orosius, Galienus, Placidus, Eucherius, Virgilius, commenta Virgilii, Horatii, Iuvenalis, Martiani et ceterorum quos supersedemus. Aimo. Plato. Fulgentius.* Vnde fit, ut etiam nunc haud pauca exemplaria Papiae ista auctorum compendia in marginibus ostendant (cf. Loewe Prodr. p. 236). Quorum tamen compendiorum longe plurima cum ipsis glossis quibus praemissa sunt ex libro glossarum fluxisse iam Hildebrand in Muetzellii annal. vol. VII (a. 1853) p. 113 sqq. recte exposuit. Cf. Vsener Mus. Rhen. vol. XXIV p. 390 (= Kl. Schr. II p. 248), Loewe Prodr. p. 236, Goetz 'der liber gl.' p. 248 (ubi demonstravi fundamento fuisse non exemplar classis Parisinae, sed potius classis Vaticanae). Quodsi Loewe dicit Papiam usum esse exemplo in brevius iam contracto — contaminatos enim saepius esse complurium glossarum ordines — opponi poterit Papiam ipsum glossas contraxisse videri, quem constat verba auctorum suorum satis libere nec raro neglegenter tractavisse. Velut in littera A hanc habet seriem:

Actolera urbs argirippa quam Diomedes et Olus in Appulia condidit.
Actor defensor, patronus, causidicus, advocatus.
Actualia nomina ab actu dicta, ut dux, rex, cursor.
Actuariae naves remis et velis actae.
Actualis scientia tres habet partes, moralem, dispensativam et civilem
Actuarius scriptor publicus, qui facit acta.
Actum intervicinale quatuor pedes latum quo iumenta agi possunt.

Quas glossas liber glossarum omnes eodem fere ordine dispositas continet: prima Vergilii est et contracta; secunda ex synonymis Ciceronis, tertia, quarta, quinta ex Isidoro sumptae; sextae in libro glossarum 'de glossis' praescriptum est (*Actuarius acta qui facit* et *Actuarius scriptor publicus* in unam contractae); septima Placidi est. Quas septem glossas ex quinque fontibus inter se diversis casu bis eodem modo et ordine coniunctas esse nemo credet. Quales series cum innumerae exstent libri glossarum et Papiae communes, omnis dubitatio de fontis ratione excluditur: immo constat permagnam glossarum partem ex illo libro a Papia exscriptam esse, modo ad verbum, modo contracta decurtata alia ratione mutata forma; quae glossae cum in optimis fontibus saepe emendatiores exstent, exiguum Papiani libri usum esse Loewe p. 238 merito pronuntiavit: nisi quod in historia singularum glossarum per posteriorem medii aevi partem propagatarum illustranda evolvendus erit. Quae qui secum reputaverit, de auctoritate scriptorum in indiculo supra posito commemoratorum actum esse cognoscet; etenim nomina Isidori, Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Gregorii, Eucherii, Fulgentii, Originis, Orosii, Hippocratis, Vergilii, Galeni, Placidi, Ciceronis (h. e. synonymorum) ex libro glossarum transcripta sunt; in ceteris saepius unus sive maior sive minor locus vel loci pauci ansam ostentandae doctrinae dederunt: quorum quaedam mox tractabuntur.

Praeter librum glossarum Prisciani libros grammaticos haud exiguam doctrinae partem contribuisse docti dudum viderunt: cf. Sinner catal. cod. Bern. I p. 548, Hagen Anecd. Helv. p. CLXXIX. Haud raro fit, ut Priscianus auctor nomine appelletur, ut *Bellantur passivum pro activo bellant profertur. Priscianus* (cf. Gr. L. II p. 393, 16); *Buxus arbor est apicibus i. litteris apta: haec buxus arbor, hoc buxum lignum: buxus pro ξύξος Priscianus* (Gr. L. II p. 20, 19); *Campester in campo se habens: Priscianus* (Gr. L. II p. 230, 22); *hic campester vel haec campestris et hoc campestre.* Aliis locis Prisciani verba non simpliciter exscripta sunt, sed confusa et contaminata cum locis alienis ex libro glossarum petitis: quibus ex locis nos nihil de Prisciano discere posse consentaneum est. Praeter ipsam grammaticam etiam scholia Prisciani adhibita esse apparet; velut haec ibi exstat glossa: *Scaena σκηνὴ theatri locus, nunc arborum cacumina vel densitas ordinata, locus quasi lobia Prisc. pro η longa graeca ae ponitur* e. q. s. Quae fluxerunt ex Prisc. Gr. L. II p. 38, 4: *ponitur pro e longa, ut scaena pro σκηνή.* Additamentum Papiae '*quasi lobia*' ex adnotatione marginali accessit, velut sic est in glossis Leidensibus (Voss. 37) fol. 3^{r}: *scena umbra interpretatur et in amphitheatro fiebat, quae barbare louba dicitur. In qua ludi exercebun-*

tur et primo ramis, deinde tabulis, postremo etiam lapidibus aedificabatur. Cf. thes. gl. em. p. 630. Ex parili fonte glossa haec hausta est: *stlata genus navigii latum et a latitudine dictum: inde purpura stlataria dicitur, i. e. marina, vel navis piratica.* In glossis Leidensibus hoc exstat scholion ad Gr. L. II p. 74, 24: *Stlatta genus navigii latum magis quam altum et a latitudine sic appellatum, sed ea consuetudine qua stlocum pro locum et stlitem pro litem dicebant. Inde dicuntur stlattaria instrumenta navium* (cf. Fest. p. 312^{b}, unde *stlatta ... dicebant* fluxerunt). Glossas theodiscas huius libri edidit (quamvis non omnes) Steinmeyer AHD. GL. II p. 378.

Tertius fons quem in omnibus quantum vidi litteris consuluit liber derivationum videtur fuisse, ut iam Loewe Prodr. p. 237 pronuntiavit. Derivationum quae ad *agere* verbum spectant partem idem eodem loco exscripsit: ipse alterum exemplum adieci hoc: *Facere est neutrum, sed tamen habet vim activam, ut facio te et calefacio te. Sed in compositis cum paene omnibus praepositionibus est activum, ut officio, or ... praeter praeficio, deficio, sufficio. Nam calefacio, tepefacio et similia calefio et tepefio loco passivorum habent. Sic quoque 'defio'. Componitur etiam inde gratificor, aris, ludificor, aris. Excarnifico vero et vilifico et amplifico activa sunt, quae omnia coniugationem mutant. Facio facis, unde facesso desiderativum et factito frequentativum. Facesso, is, factum, factura; factor autem componitur omnifactor, superficies, facinus, orosus, facilis, facilitas; facultas componitur difficultas; difficilis, factio, factiosus. Componitur conficio, of. inter. de. ef. per. prae. inficio. sufficio, reficio, mansuefacio, consue. pingue. calef. made. tepe. are. dissuefacio, floccifacio, commonefacio. perfectus. perfectio, officium. Componitur officiperdi, affectus. affectio ctum. proficiscor. inficior. refectorium. pacificus co cas. aedifico cas. benefico cas. aedifico cas aedificium. fructifico aris. gratifico aris. factum et fictum et similia e coniungunt sequenti syllabae.* Quae derivationes quomodo e Prisciano enatae, mox iterum iterumque auctae et amplificatae paulatim miram quandam auctoritatem nactae sint, infra exponetur. — Ad hos fontes quos per totum librum valere moneo accedunt alii, qui rarius adhibiti hic illic comparent, quo in numero Boethium (et commentum Boethii), item Remigium Autissiodorensem esse commemoro. Ex Boethii libris sumpta esse quae 'carminum varietates' afferuntur iam Peiper praef. p. XXIII adnotavit. Qui summittitur tractatus de metris Horatii, in summa rei cum eis conspirat quae apud Keilium GR. L. IV p. 468 sqq. leguntur. 'Commentum super Boetium' Servati Lupi († 861) esse inscriptio illius tractatus in pluribus codicibus traditi docet haec: *Genera metrorum in libro Boetii que domnus Lupus ut facilius studiosus lector accipere potuisset in lucem produxit*; cf.

Peiper p. XXIV; p. XXV—XXVIII; Manitius p. 490. Porro magnus qui exstat tractatus de *subsistentia* et *substantia* ex libro contra Eutychen et Nestorium sumptus est, quibus, si tanti esset, alia addi possunt. — Remigii Autissiodorensis commentum in artem Donati (quod edidit Fox) non uno loco Papias exscripsit. Ita de *Persona* qui exstat tractatum p. 33, 10 sqq. Papias hoc modo exhibet: *Persona dicitur quia per se sonat, id est per se sonando se ipsum demonstrat: quae graece prosopon πρόσωπον dicitur. Iuxta definitionem soni dicta est a concavitate larvarum, quibus comoedi utebantur: ex qua prolixior prolixiori reddebatur sonus. Secundum vero substantiam persona est individua rei repraesentatio.* Quae secuntur apud Papiam *Persona est naturae rationalis individua substantia*, ex Boeth. contra Eut. et Nest. III (p. 193, 4 Peip.) fluxerunt. Quae verba cum in F, h. e. exemplari impresso Feldkirchensi, exstare Fox adnotet, ex Papia hanc traditionem interpolatam esse suspicor, praesertim cum etiam alia vestigia rationis satis apertae inter utramque traditionem intercedentis exstare constet, quae eodem modo explicanda sunt. — Porro Fulgentii Expositionem Papiae notam fuisse Wessner Comment. Ien. VI 2 p. 107 sqq. diligenter demonstravit. Idem Wessner de scholiis Iuvenalis alio loco exponet; nam commenta Iuvenalis adhibita esse praeter commenta Vergilii, Horatii, Martiani ipse auctor in praefatione indicavit. Praeter haec scripta quae attuli et alia quaedam quae afferre potui etiam anonymi nonnulli tractatus maiores vel minores haud pauca contribuerunt, de quibus l. s. s. p. 281 sqq. disputavi. Velut tractatus de notis sub 'Notatio' expositioni Isidori de signis criticis (I 19—25) adiectus; notas ipsas post Lindenbrogium (p. 152—175) et Putschium (p. 1639—1666) diligenter una cum similibus reliquiis Mommsen apud Keilium IV p. 315 sqq. edidit. De harum notarum codice Paris. lat. 4481 (Colb. 3603. Reg. 5960. 5) saeculi X l. s. s. paucis tractavi, quae nunc repetere nolo. — Item notabilis est tractatus de formatis epistolis, cuius priorem partem ex codice Darmstadiensi omissis quisquiliis subiciam: *Formate epistole CCCXVIII patribus inniceno consilio institute feruntur. ne videlicet quicumque clericorum in transferendo se qualescumque litteras confingeret a proprio episcopo comeandi licentia accepisse. Oportebit igitur in epistolis que formate habebuntur litteras has et earum subputationem exprimi. Primas litteras grecas patris et filii et spiritus sancti. que videlicet sunt r. y. a* (scr. π υ α). *Pater enim grece patros filius yos spiritus sanctus agios pneumatos dicunt. quarum subputatio est CCCCLXXXI. addenda erit preterea Prima littera nominis petri apostoli cum subputatione sua sicut aliorum que sequuntur hec est T. que littera significat LXXX. Nominis quoque episcopi qui relegat epistolam prima*

ponenda erit. clerici cui licentia data secunda episcopi ad quem dirigitur tercia civitatis de qua mittitur. quarta et earum subputatio erit addenda subputatio indictionis eiusdem anni. horum igitur elementorum subputatio erit describenda e. q. s. Verba quae in impressis exemplaribus post lacunam secuntur desunt in cod. Darmstadiensi, teste Bergero (l. s. s. p. 12) omnino in vetustioribus exemplaribus, insunt in recentioribus, ut in cod. Paris. 7598 (supra sub 65), Matrit. Bb 125 (supra sub 79). Totus tractatus exstat apud Albericum de dictamine, de quo cf. Bresslau (Handbuch der Urkundenlehre) I p. 625; Rockinger (Quellen und Erörterungen) IX p. 29 sqq. Plenior forma lexico post addita videtur esse. — Tractatus de provinciis Italicis qui exstat sub Italia ex Pauli Diaconi historia Longobardorum (II cap. 14 sqq.) fluxit; 'gesta Langobardorum' una cum 'gestis Romanorum' in margine fontes adferuntur. Sub R positae sunt 'regulae Tichonii' et contracta quidem forma.[1]) Sic plerorumque capitulorum maiorum fontes erui posse videntur, de quibus hoc loco diligentius agere nolo, utpote cum constet impressum exemplar in universum quaerentibus idoneum fundamentum praebere. Quamquam negari non potest hic illic interpolationes illatas esse. Velut sub 'Bidens' excerpta quaedam ('de bidente apud Au. Gel. lib. XV. ca. VI') ex Gellio sumpta leguntur, quae a libris manuscriptis, certe a vetustioribus, absunt; idem valere de loco sub 'Decrevit' allata testatur Sabbadini Stud. Ital. V p. 300; idem denique dicendum est de loco sub 'Charites' Hesiodi verbis illustri, quem tractavit Loewe Prodr. p. 238, et de Theocriteis verbis sub Acanthylis allatis.

De glossis quae proprie ita appellantur non agerem, nisi illarum permultae ad Cangium, Devitum, alios viam invenissent. Quarum longe plurimae cum ex libro glossarum pervenerint, omnino neglegi potuerunt: sed cum dubitari nequeat, quin etiam per alios rivos haud ita paucae in magnum librum intraverint, in thesauro glossarum emenda-

1) Notanda erit glossa sub 'Lateranum': *Lateranum palatium fuit Neronis, quod dictum est vel a latere septentrionalis plagae qua situm est vel a lata rana quam Nero dicitur peperisse, cum tradidit se viro, in quo pallatio nunc magna est ecclesia Romae* (quae verba prorsus fere eadem ratione exhibet cod. Darmstadiensis). De re cf. Monum. Germ. Deutsche Chroniken I p. 157; Massmann, Kaiserchronik III p. 689—691; A. Graf, Roma nella memoria et nelle imaginazioni del Medio Evo (Torino 1882 I 338). Notabilis etiam haec glossa: *tenda quae rustice trabea* (*trabis* in nonnullis libris est) *dicitur*. Quae glossa ex libro glossarum non desumpta est. Mirum videtur quod eodem fere loco apud Salomonem legitur: *tenda. trapum*. Num eodem spectet Aelfrici glossa haec: *tenda tyltsyle* (praecedit *Papilio*, sequitur *clavus tentorii*) nescio. Cf. Wright-Wuelcker p. 187, 4; Glogger Leid. Gloss. I 49; II 39; Diefenbach Nov. Gloss. p. 361 (nunc consulendus F. Kluge 'Altdeutsches Sprachgut im Mittellatein' Sitzungsberichte der Heidelberger Akademie d. W. 1915 p. 14 sq.).

tarum saepius Papiae verba attuli. Quamquam semper cavendum erit, ne decipiaris, cum dici vix possit, quot ridiculi errores ibi nunc inveniantur. Ex quo genere paucula exempla delibabo. Liber glossarum ex Isidoro XX 1, 2 habet: *Stefadium ab stibus* (= *stipitibus*) *dictum quasi stipadium*; *sic enim prius ceptum* (*dici coeptum*? *scriptum*?) *erat*: pro qua glossa duas habet Papias hasce: *Stephadium dictum quasi stipendium*: *sic enim prius coeptum est* et *Stiphadium* (post illam neglecto litterarum ordine) *a stipitibus quasi stipiadium prandium*. Porro liber glossarum habet recte: *Lyciae sortes Appollinis responsa*; Papias ridicula corruptela: *Liciatores Apollinis responsa*. Denique liber glossarum habet recte: *Super sua de sua* (glossa est Vergiliana); Papias miseram coniecturam praebet eodem loco hanc: *Supersuadere est dissuadere*, quae transiit in librum Cangii. Vnde sequitur, ut si quae glossae apud solum Papiam exstent his diffidendum sit, si in libro glossarum exstent vel aliis glossariis notis, inutiles et abiciendae sint; quamquam medii aevi studia qui tractant, saepius hunc librum qui pro thesauro habitus est evolvent (cf. Loewe Prodr. p. 238). Velut e Papia maximam partem derivatum est Vincentii Bellovacensis († 1264) in speculo doctrinali glossarium. Continetur autem libri secundi capitibus 46—79. Post locum uberiorem ex "Alphorabio in lib. de divisione scientiarum" excerptum "auctoris" verba secuntur haec: "Actor. Nota, quod Alphorabius hic sub scientia lingue grammaticam comprehendit. Superius autem in libro de ortu scientiarum dicit, quod scientia lingue grammaticam precedit: itaque quod ad lingue scientiam attinet, longum utique nimis esset, immo opus imbecillitatis nostre viribus penitus impossibile, vocabulorum omnium in omnibus linguis origines atque significationes exponere. Paucorum vero, que frequenter in scripturis incidunt nec satis omnibus nota sunt, tam ex papie quam aliorum libris significationes, plerumque etiam et origines studuimus excerpere operique presenti inserere: precipue vero latinorum atque grecorum. Habent enim hebraica per se volumen suum, illa quidem que in sacra scriptura continentur. De ceteris ergo iuxta ordinem alphabeti pauca breviter (vertente folio) prosequamur.' Incipit glossarium: 'abavus: pater avi, abiegna ligna abietis, abietarius lignarius', explicit 'zona oculus vel cinctorium, zoi ·i· vita, zotica virtus ·i· vitalis in corde consistens que facit vitam membris et corpori.' Sequitur Speculi 'Liber tercius'. — Glossas Vincentius collegit circiter 3030, quas paene omnes e Papia sumpsit, ut tamen multa in Papia impresso aliter comparata exstent. Qualia quidem discrimina ad ipsum Vincentium plerumque redire videntur. Satis enim libere materiam quam Papiae debebat mutavit. Velut cf. haec exempla:

Vincentius:	*Papias:*
Furcifer qui ob leve delictum furcam circa via ferre cogebatur confitens peccatum suum, magis ad hominum ignominiam et aliorum terrorem quam ad supplicium.	*Furcifer olim dicebatur qui ob leve peccatum cogebatur ignominiae magis quam supplicii causa furcam circa viam ferre, proedicans peccatum suum ceterosque terrendo.*[1])

Scriptores excitantur paucissimi. Vnum habes in glossa 'Scitropodes secundum quosdam furni portatiles; sed dicit Radulphus super Leviticum quod sunt vasa fictilia pedes habentia, in quibus cibi portantur' (Loewii verba sunt Prodr. p. 239 sq.). De aliis quibusdam scriptoribus a Papia pendentibus infra disputabitur.

§ 50. Inter glossaria minora quae ex libro glossarum derivata esse constat locum non infimum glossae 'Abba pater' obtinent cum in pluribus libris manuscriptis exstantes tum ex parte certe editae et a viris doctis tractatae. Libros huius glossarii commemoravi et accuratius descripsi commentationis meae de libro glossarum compositae p. 39 (= 249) sq. hosce: 1. cod. Montepessulanum H 160 saec. IX fol. 53^r—78^u (cf. Bonnet Acta Thomae p. XXVII). 2. cod. lat. Monacensem 6210 saec. IX (cf. Catal. cod. Monac. III p. 73): unde edidit G. M. Thomas 'Sitzungsberichte d. Königl. Bayer. Ac. d. W. 1868' II p. 369 sqq. Cf. C. Halm et C. Hofmann ibid. 1869 II p. 1 sqq., A. Miller 'Blätter f. b. Gymn.' 1870 VI p. 295—303; Loewe Prodr. p. 232. 3. cod. Bernensem 357 saec. X 7^u—28^r (cf. Hagen Catal. p. 345 sq., Buecheler ed. Petron. maior. p. XVII; Buecheleri apographon Loewe et ipse inspeximus). 4. cod. Montepessulanum H 306 saec. IX (cf. vol. III praef., Boucherie Not. et Extr. XXIII 2 p. 308 sqq.) in fol. 128^r—138^u. 5. cod. Parisinum Sanctae Genovevae C. C. l. 2 saec. XII (quem adhibuit Quicherat ad 'Addenda lexicis latinis'; glossarium additamentis interpolatum est). 6. cod. Bruxellensem 1828—1830 saeculi X in fol. 51^r—68^u (cf. III praef. p. XXVII). — Ex libro glossarum provenisse has glossas iam Loewe Prodr. p. 232 affirmavit, quod ita se habere hisce credes argumentis: 1. quotquot insunt in exemplaribus purioribus glossulae, paene omnes cum libro glossarum conspirant, ut adhibita editione quam Thomas fecit facile demonstrari potest; 2. nonnullae glossae epitomae formam habent, cum qui composuit maiores glossas evitaverit. Cf. *badium equum* = Isidori verbis his magno libro insertis: *Badium equum antiqui vadium dicebant, quod inter cetera animalia fortius vadat* e. q. s.; 3. aliae glossae conta-

1) Quod sequitur apud Loewium exemplum (*Flagella* e. q. s.) minus huc pertinet; pendet Vincentius ab Isidoro XVII 5, 8 in libro glossarum exscripto, a Papia neglecto.

minatae sunt, ut *beare benedicere vel beatificare* ex his: *Beare benedicere* et *Beat beatificat* iuxta collocatis; 4. glossulis in libro glossarum modo *de gl.* praescribitur, modo *Isid.*, modo *Verg.*, modo *Plac.*, modo aliud; excerptor has notulas abiecit; certe constat non casu has glossas sic potuisse coniungi; 5. turbae ordinum quibus libri magni aliquot litterae notabiles sunt etiam in Abba glossariolum transierunt, id quod iam ex littera B cognoscis, ubi, ut unum exemplum ponam, glossam *Bucinus sonus tubae* excipit haec: *Bigis* (deinde *Bilibris, Bilis*) et rursus infra glossam *Bigas* haec: *Bucco stultus garrulus.* Vnde omnis dubitatio excluditur. Ex tali glossariolo in singulis glossis corruptissimo (cf. *Bacillum exuvium = Bacci latex vinum*) libri magni glossas emendari posse nemo sperabit. Quid romanicarum linguarum studia ex his lucrentur, alii exponent. Iure igitur me hoc glossariolum neglexisse confido.

Pergo ad aliud glossariolum eiusdem prosapiae, quod a glossa *Absida lucida eo quod lumine accepto per arcum resplendeat* incipit (quod glossariolum noli confundere cum eo quod vol. III p. 487 edidi) et exit in *Zozia signa.* Cuius hi mihi innotuerunt libri manu scripti: 1) cod. Montepessulanus H 160 in fol. 42ᵃ—53ʳ (cf. p. 184); 2) cod. Montepessulanus H 306 in fol. 123ʳ—128ʳ (cf. p. 184); 3) cod. Bernensis 357 saec. X fol. 1—7ʳ (cf. Hagen p. 345); 4) cod. Bernensis A 91 n. 18. 4 saec. IX/X in fol. 8 (fragmentum usque ad *Apocrifa* pertinens corrupta forma); 5) cod. Parisinus S. Genovevae C. C. l. 2 saec. XII in fol. 58ᵃ—62ʳ; 6) cod. Bruxellensis 1828—1830 (cf. quae supra dixi) in fol. 68ʳ—77ᵃ. Qui libri quomodo dissentiant aut conspirent nunc nolo quaerere, nisi quod commemorare iuvat codicem Parisinum in fine singularum litterarum additamentis quibusdam auctum esse.[1]) Codex Parisinus hanc habet inscriptionem: *De grecis nominibus,* hanc autem cod. Montepessulanus H 306: *Incipiunt glose in verbis grecorum*; cod. Bernensis denique hanc: *Haec sunt greca verba et aliqua eorum cum glosis suis*: ac revera pleraque lemmata graeca sunt, ut *Absida, Acataleptus, Acephali, Aethica, Aferesis, Afron,* alia multa: quibus tamen latina aliquot interponuntur, ut *Latrina, Meridies, Patruelis,* alia: quae paene omnia, latina et graeca, ex libro glossarum excerpta sunt. Cf. has tres glossas eodem ordine in libro glossarum se excipientes: *Aeolus rex ventorum, Aeonas Graeci dicunt cuius nec initium nec extrema noscuntur, quod nos per dirivationem aevum vocamus, Aenon graece quod latine significat sempiternum vel seculum,* quorum priori *Virg.*, secundae *Esid.*, tertiae *Augustini* praescriptum est: unde apparet ordinem et coniunc-

1) His accedit codex Parisinus nov. acquis. 763 saec. IX, unde hoc glossarium typis exscribendum curavit M. H. Omont 'Notices et Extr. XXXVIII' (a. 1903) p. 372 sqq.

tionem ex libro glossarum fluxisse. Talia in omnibus litteris inveniuntur, ut de re ipsa dubitare non liceat. Ceterum glossulas saepe contractas, contaminatas, quovis modo corruptas esse ut olim dixi ita nunc affirmo: unde inutiles eas esse iudico.

Vt hoc glossariolo graeca vocabula tractata sunt, ita in codice Lambethano 389 inprimis Isidoriana excerpta (maxime differentiae) leguntur. Codex est membranaceus duodecimi saeculi; fol. 1—54^{a} glossas hebraicas continent, fol. 64—178^{a} glossarium latinum, quod sic incipit: *A littera in omnibus gentibus ideo prima est litterarum quod ipsa prior nascentibus vocem aperiat. Placidi. Abdomen grece pinguedo carnium* . . ., sic autem exit: *Zoi vita. Zona . . . Zorobabel . . . Zelomin. praeparati in acie.* Etiam fontes, saltem in prima parte, indicantur inter versus lemmatis supra adscripti. Quantopere verba ipsa cum libro glossarum cohaereant, turbae litterarum ut in B (*Ba- Ben- Bo- Br- Bu- Bi- Bl- Bo- Br- Bi- Bu*) testantur. — Epitomen ex libro glossarum factam etiam cod. Cantabrigiensis (coll. trin. Gale ms.) O 5.34 saec. XII exhibet (de quo cf. III praef. p. XXX) in fol. 40^{r} sqq. sic incipientem: *A littera . . . Abba . . .* et sic terminatam: *Zoe, Zona . . . Zosia signa, Zosimus . . . Zoisti interpretator.* In margine superiore folii 40^{r} manus saeculi XVII/XVIII adscripsit hoc: '*Est in bibliotheca Lambethana glossarium antiquum quod cum hoc bene convenit*' (scil. cod. Lambeth. 389, qui satis prope ad eum librum quem tractavimus accedit). — Non ita dissimilis epitome est in codice Oxoniensi collegii Balliolensis 155 saeculi XIV in fol. 38^{r}—175^{r} (de quo cf. III praef. p. XXX): quem nunc satis habeo commemorasse. Item in cod. Lambethano 481 pars epitomae exstat (*Abba sirum est grece pr. latine genitor Aaron . . . Equinoctium equitas diei et noctis*); reliqua interciderunt. Turbae litterae B eaedem quae in libro glossarum sunt. — Addo codicem Cheltenhamensem Philippsianum 4049 saec. XIII (ab *Abbas* usque ad *Pati ferre perpeti sustinere tolerare dutare*), ubi fontis indicia servata sunt partim in contextu partim in margine; item cod. Parisinum 7642 (qui etiam Papiam continet) in fol. 1—12 fragmenta epitomae exhibentem ex litteris A et D—F (maxime synonyma et differentiae leguntur); denique duo folia Monacensia saec. XIV nondum signata (*Abba syraice pater. Albanes subucula linea . . . Alget infrigidat, Alietus avis, Algidus mons*) et fragmentum Graecianum saeculi XII ex litteris C et E desumptum.

Sui generis est glossarium codicis Aemiliani 30 Matritensis saeculi decimi (de quo cf. Loewe-Hartel bibl. patr. Hispan. p. 507), quod incipit ab *Adspernatus contemptus, Adscisci coniungi, Adstant stant, Adsum praesens sum, Adsume gremio sinu, Adspirans redolens, Adsensere*

consenserunt, Ad sidera ad cęlum, Ad sedis priami apriami domum, Ad soceros ad mariti parentes, exit in has glossas: *Steatos adipes, Sternit deicit, Steranaces pavidi, Stipulator promissor.* Omnes quas attuli glossae in libro glossarum exstant praeter unam (*Steatos adipes*); aliis praescriptum est *Virg.*, aliis *de gl.*, aliis *Isid.* Idem dicendum de ceteris glossis: paucissimae in libro glossarum desiderantur, quantum quidem ex meis excerptis potui cognoscere; quae exstant non semel praeter eas quas dixi notas etiam *Placid.* notam in magno libro prae se ferunt. Vnde nescio quid colligendum sit nisi hoc: excerpta haec fluxisse ex libro glossarum et glossulis aliquot aliunde esse aucta: nam hanc quam indicavi quadrigam (*de gl. Virg. Placid. Isid.*) casu effectam esse incredibile puto, nec magis credibile glossas esse ex quattuor vel quinque glossariolis exscriptas, haec autem ipsa esse in magnum librum translata. Qui excerpsit, priscum ordinem delevit: quod qua ratione ductus fecerit incertum.

Etiam cod. 25 eiusdem bibliothecae decimi saeculi (cf. Loewe-Hartel p. 503. Exempla script. Visig. ed. Ewald et Loewe tab. XXI) in fol. 156 sqq. glossariolum continet, quod plurima cum libro glossarum communia habet; prima glossa in fol. 156^{r} a est: *Da dexteram praesta auxilium*, ultima in fol. 160^{u} b: petibilii ////// *pe*. Quantum ex excerptis a Loewio relictis iudicare potui, haec quoque ex parte maiore ex libro glossarum desumpta videntur. Ceterum hoc glossarium integrum publici iuris fecit ex suo apographo Michael Artigas Matritensis, adulescens doctissimus, loco quem propter belli turbas indicare non potui.

Codex Escurialensis L I 15 (cf. Loewe-Hartel p. 186) inter apographa recentioris temporis in fol. 25—32. 51^{r}. 56—60 continet haec: *GLOSSARIVM LATINVM. in Codice vetustissimo literis Langobardicis (seu ut vocant Gothicis) scripto ante annos sexcentos. Ex Bibliotheca St^{i} Ioannis de la Peña in regno Aragoniae qui iam in Biblioteca Comitis de Olivares asservatur*

*

* *

*

deerant in codice multa

*

vocis aquae scaturientis

Bimatos duplicatos e. q. s. Explicit in fol. 60^{v} sic: *Certescunt certum sciẽt'. Cerritum insanum amens. Cerveria vini generis ex frumento. Cernit videt que cernimus longinqua que enim videmus proxima. Cesaries*

coma capitis. Epitome est libri glossarum; itaque non fuit cur excerpta uberiora exhiberem.

Ex libro glossarum aliquo modo pendet glossarium 'abactus', cuius mentionem praef. II p. XLIV fecimus. Codicibus Cantabrigiensi et Oxoniensi addendi codices Parisinus lat. 8048 saec. XII, olim Claudii Puteani, ex quo litteras A et B exscripsit Gundermann, item Trevirensis 40 saec. X, de quo p. 20 verba fecimus. Glossis latinis etiam saxonicas quasdam immixtas esse iam alio loco diximus.

Ex bibliotheca Leidensi addendus est cod. 67 D saeculi X (cf. Geel 498, Loewe Prodr. p. 231, Mommsen Mus. Rhen. XVI p. 145 sq., Conrat die epitome exactis regibus p. CCCXXIV, Goetz 'der lib. gl.' p. 44 = 254) qui in fol. 3^r—50^b magnum glossarium continet, scilicet epitomen libri glossarum auctam additamentis aliunde exscriptis, paucioribus in litteris ACSTQ, multo pluribus in EFG, nullis in ceteris litteris: de quo libro accuratius egit Loewe Prodr. p. 116, 231: quae additamenta quomodo coniuncta sint cum glossario Amploniano primo idem Loewe l. s. s. exponit. — Porro "codex Leidensis Vossianus Oct. 24 chart. post varia geographica (cf. catalogum p. 387^a) glossarium exhibet novem foliorum, ex vetustiore libro haud dubie descriptum. . . . Inscriptum est: *glossarii opus egregium totius linguae latinae vocabulorum copiosissimum feliciter incipit*. Tituli iactantiam refutat pusillitas glossarii inde ab *a* (*ab abatisimis*: *a deformissimis, ab infirmissimis*) usque ad *c* litterae principium (*casnar*: *senex*; *casnari seni osculorum lingua*; *corruptile*) pertinentis. Subscriptum est: *Reliqua in MS. desiderabantur*. Glossarium 'egregium' e libro glossarum haustum est. Hic illic ubi glossarum forma uberior quam libri glossarum tralaticia est exstare videtur, quae accedunt nova additamenta sunt et coniecturae a viro docto olim adscripta, postea in ipsas glossas recepta. Ceterum 'egregii' glossarii scriptor egregios versiculos singulis litteris praemisit hos: *Possidet A numerum quingenti ordine recto.* | *Et B tercentum per se retinere conatur.* | *Non plus quam centum C constat habere*" (verba Loewii sunt Prodr. p. 230 sq.). Qui versus non pertinent ad numerum glossarum, sed indicant, quem numerum litterae ABC significare possint; cf. Mommsen apud Keilium G. L. IV p. 330 et 'Berichte der S. Ges. d. W.' 1853 p. 94; Goetz 'der lib. gl.' p. 254 = 44.

Huc etiam notissimus codex Leidensis Scaligeri orientalis saeculi XI pertinet, in quo exstat glossarium latino-arabicum, unde Scaliger in cod. Leid. 61 fol. 166—170 nonulla exscripsit, edita illa a Vulcanio interpretamentis arabicis omissis p. 701—710. Lemmata longe plurima ex libro glossarum provenisse et Kettner perspexit et ipse confirmare potui. Cf. commentationis meae de libro glossarum scriptae

p. 255 = 45 et praefationis editionis illius glossarii ('Glossarium latino-arabicum ex unico qui exstat codice Leidensi undecimo saeculo in Hispania conscripto nunc primum edidit notisque instruxit tabulam phototypicam adiecit Christianus Fredericus Seybold Tubingensis a 1900') p. XI, ubi haec scripsi: 'Multae insunt glossae Isidori et Eucherii, quas liber glossarum omnes continet; non paucae sunt Placidi in iisque tales, quas quidem ex Isidoro scriptor excerpere non potuerit. Accedit quod interdum glossae miro modo contaminatae inveniuntur, quod quomodo factum sit perbene ex libro glossarum cognoscitur. Velut glossa *cidarim* (p. 67) conflata est ex glossa Placidea et Eucheriana; Eucherianam scriptor ex libro glossarum nosse potuit, Placidi glossam unde petere potuerit nisi ex libro glossarum difficile est dictu. Glossa autem *lanista* (p 281) ex his tribus glossis libri glossarum concinnata videtur: 1. *lanista laniarius*; 2. *lanistae macellarii quoqui* ....; 3. *lanista macellarias* (!) *qui carnes ferro lania*[*n*]*t*. Vnde facile intellegitur ad vetustiora quidem glossaria tractanda ex hoc glossario novicio et miscellaneo non ita multa hauriri posse: quae disci possunt, ad mediam potius quam dicimus latinitatem tantum non omnia pertinent. Sed in his quoque studiis non neglegendum erit, id quod Loewe iam monuit, lemmata multa ita mutata esse, ut nominum nominativi et verborum primae singularis indicativi praesentis personae ubique pro traditis formis substituerentur' (sequuntur exempla nonnulla quae nunc repetere nolo). De lingua Hispano-Romanica ex glossario Arabico et Latino illustranda Eduardi Boehmeri adnotatio consulatur libro qui inscribitur 'Romanische Studien' inserta, de omnibus autem quaestionibus ad hoc glossarium spectantibus docta praefatio Seyboldi una cum adnotatiunculis quas in appendice adieci.

Memorabilis in hac quam tractamus re etiam codex Cavensis quidam 14 videtur esse saeculo duodecimo scriptus. Qui liber, si excerptis meis fides habenda est, mira ratione modo cum Papia modo cum libro glossarum consentit; illud fit, ut uno utar exemplo, in initio litterae A, hoc in B litterae initio. Etiam quae ex Y littera adnotata vidi, ad librum glossarum facilius accommodantur. Sed nolo de hoc codice confidenter iudicare.

Praeter eos codices quos in commentatione mea de libro glossarum scripta et in quinti voluminis praefatione attuli, alia quaedam vestigia magni libri indicavit Steinmeyer volumine quarto; velut p. 409 fragmentum Caroliruhense saeculi XI commemorat a *Laus* ad *Leges* pertinens; item p. 586 fragmentum Norimbergense saeculi XIII ex litteris *B* et *C*. His adde fragmentum cod. Bernensis 588 saeculi XII —XIII, quod quamquam glossas mutilatas exhibet, tamen ad librum glos-

sarum revocari potest; item codicem Londinensem Lambethanum 481 saec. XIII in fol. 181r—188u. Nec dubito quin ne sic quidem totam materiem exhauserim: sed quae attuli satis demonstrant quanta auctoritate hoc magnum lexicon per plus quam quattuor saecula floruerit.

CAPVT XVII. DE DERIVATIONIBVS HVGVCIONIS PANORMIA OSBERNI CATHOLICO IOHANNIS IANVENSIS

§ 51. Inter magna litterarum et studiorum corpora, quibus viri eruditi saeculis duodecimo et tertio decimo doctrinam variam et omnigenam institutionis causa complexi sunt, tria lexica eminent certa quadam necessitudine inter se iuncta: Panormia Osberni Glocestriensis, derivationes Hugucionis Pisani, catholicon Iohannis Ianuensis: de quorum librorum auctoritate et ratione ita tractabo, ut in Hugucionem primum se demittat disputatio, ab hoc ad Osbernum exsurgat, descendat ad Iohannem.[1])

Martinus Hertz Prisciani praefationis p. XXXI Antonii Beccariensis medici Ferrariensis carmen circa annum 1343 confectum commemorat de obitu qui perhibebatur Petrarchae, quo inter artes lugentes prima grammatica prodit eiusque comitum ordinem ducunt Priscianus et Hugucio: ex quibus versibus apparet talem tunc fuisse memoriam Hugucionis, ut grammaticae *κατ' ἐξοχήν* dux et signifer haberetur. Quamquam minime in grammatica sola auctoritas huius viri continetur, quippe quem etiam inter iureconsultos Bononienses egregium locum occupasse et praeceptorem Innocentii tertii exstitisse notum sit. Bononia anno 1190 discessit, ut Ferrarae episcopi dignitatem teneret usque ad annum fatalem, h. e. 1210. Nolo nunc de Summa in decretum Gratiani agere, qua nomen suum immortalitati commendavit (cf. velut v. Schulte 'die Geschichte der Quellen und Literatur des kanonischen Rechts I' p. 156 sqq.): quamquam novam viam non ingressus satis habuit quae ab aliis acceperat fideliter transcribere. Nec libellum de dubio accentu nunc curo, quem in derivationibus (cf. Thurot, Not. et Extr. XXII p. 559, Hamann 'Weitere Mitteil. aus dem Breviloquus Benthemianus.' Hamburg 1882 p. XIII, Haase de med. aevi stud. phil. p. 32) ita commemorat: *de 'quatenus' qualiter debeat proferri et litterari in libello qui intitulatur de dubio accentu distinximus*, aut '*Rosarium*' ibidem allatum (*... consulat libellum a nobis compositum qui intitulatur rosarium*) aut quae praeterea persecutus est Berger (de glossariis et compendiis exegeticis quibusdam medii aevi Paris. 1879) p. XVII,

1) Dixi de his 'Berichte der phil.-hist. Kl. der Königl. S. Ges. d. W. a. 1903' p. 121 sqq.; ex eis quae ibi dixi nunc in multis pendeo.

sed omissis his omnibus ad librum derivationum aggrediar ingenti numero codicum propagatum; quorum nunc conspectum subiciam temporis ratione habita. Saeculi decimi tertii sunt codices Parisini bibl. nat. lat. 1) 7622 (de hoc libro optime disputavit A. Thomas in Romaniae tom. XXXIV p. 182 sqq.); 2) 14090; 3) 15462 (Sorb. 1152); 4) 16219 (Sorb. 905); 5) 16218 (Sorb. 1151); 6) 16217 (Sorb. 578); 7) 16678 (Sorb. 1573, anni 1298); 8) 17880 (Gr. Augustins 66, a. 1259); 9) 18521 (Jacobins S. Jacques 4); Rodomenses (Rouen) 10) 1023; 11) 1024; Atrebatenses 12) 234; 13) 496; Fani S. Michaelis (S. Mihiel) 14) 18; Trecensis 15) 531 (teste catalogo saec. XII/XIII; sed de saec. XII cogitari nequit); Autissiodorensis 16) 78 (a. 1263); Londinensis 17) Mus. Brit. Addit. 18380; Oxonienses 18) Canonic. 305 (a. 1262); 19) coll. Regin. 321; Leidensis 20) Voss. lat. fol. 12 (H—V); Patavini 21) bibl. S. Anton. 1; 22) 2; Caesenas 23) Plut. XXI 4; Florentini 24) S. Crucis Plut. XXVII 5; 25) S. Crucis Plut. XXVII 6; Vercellensis 26) bibl. capit. 177 CLXIII; Matritenses 27) bibl. nat. V 214 (Loewe-Hartel p. 450); 28) arch. hist. nat. LVI (Loewe-Hartel p. 528); Vindobonensis 29) 2339; Bernensis 30) 276 (Loewe Prodr. 244); Monacensis 31) 14056. — Saeculi decimi tertii vel quarti Montepessulanus 32) 302; Cantabrigiensis 33) coll. S. Petri O. 9. 9; Parisinus 34) 'Arsén' 976. — Saeculi decimi quarti Parisini bibl. nat. 35) 7623; 36) 7624; 37) 7625; 38) 7625 A; 39) 7625 B; 40) 7625 C; 41) 7625 D; 42) 'Arsén' 712; S. Genovevae 43) 1548 X, 2; Rodomensis (Rouen) 44) 1025; Trecensis 45) 1075; Turonensis 46) 853; Carnotensis 47) 415; Montepessulanus 48) 327; Monacenses 49) 12269; 50) 16190; Londinenses 51) Addit. 8874 (mutilus); 52) Lambeth. 120; 53) Arundel. 515; Cantabrigiensis 54) 'Caius coll.' 459; 55) bibl. univ. F. f. V 34; Oxonienses 56) Laud. 69; 57) 'E museo' 96; 58) Laud. 626; 59) Balliol. 298; 60) colleg. Exon. 42; 61) colleg. Lincoln. B 37; Hannoveranus 62) bibl. reg. IV 498; Cassellani 63) 'Landesbibl.' ms. Philol. fol. 11; 64) fol. 12; Lubensis (Lüben) 65) bibl. eccles.; Stuttgardiensis 66) philol. 3 (a. 1383); Trevirensis 67) bibl. urb. 1126; Romani 68) cod. Chis. L VIII 289; 69) Palat. 1777; Mediolanensis 70) Ambros. A 50 inf.; Florentinus 71) S. Cruc. XXVII 1; Vratislaviensis 72) (cf. F. Haase de med. aev. stud. phil. p. 34 adn.); Vindobonensis 73) 1454; Matritensis 74) bibl. nat. A a 36 (Loewe-Hartel p. 364). — Saeculi decimi quinti Parisini bibl. nat. 75—77) 7626; 8175; 2338; 78) bibl. Mazar. 580; Londinenses 79) Arundel. 127; mus. Brit. 80) Addit. 27328; 81) Addit. 16585; 82) Lambeth. 80; Darmstadiensis 83) 717; Gedanensis 84) 255; Norimbergensis 85) in archivo urb.; Luneburgensis 86) bibl. urb.; Stuttgardiensis

87) poet. et philol. fol. 21; Paderbornensis 88) bibl. Theodor.; Mediolanensis 89) Ambros. C 82 inf.; Monacenses 90) 12297; 91) 14168; 92) 6728; 93) 3451; 94) 9680; 95) 19660; Vindobonensis 96) 5373; Maihingenses 97) II Lat. I fol. 8 (cf. Schepss 'Sechs Maihinger Handschriften' p. 24); 98) II Lat. I fol. 31 (excerpta continens: cf. Schepss l. s. s.); Oxoniensis 99) Canonic. misc. 201 (retractationem continens); incerti temporis Basileensis 100) F III 35; 101) folia Tremoniensia; 102) Sarisberiensis 144; 103) 'vocabularius latino-germanicus Hugwiconis' (commemoratur apud Diefenbachium praef. p. XIV). His nunc addo 104) codicem Stuttgardiensem 2; denique 105) et 106) ex catalogo Heinemanni codices Guelferbytanos 444 et 1593. — In quibusdam codicibus, ut in Parisinis 7622 et 7623 derivationibus index vocabulorum tractatorum praemittitur, quem 'Petrus de Alingio Gebenensis incola Ianuensis' composuit: *'quoniam difficile et laboriosum erat invenire quasdam dictiones tam simplices quam compositas in derivationibus Uguitionis contentas extra ordinem alphabeti Petrus de Alingio Gebenensis incola Ianuensis supra difficultatem illam et laborem hanc composuit tabulam in qua dictae dictiones et alphabetum et capitula in quibus ipse inveniuntur in dictis derivationibus continentur.'* Praeter hunc indicem etiam alii inveniuntur, velut in cod. Parisino lat. 7625 C. Ceterum librum inscriptum fuisse DERIVATIONES testatur, ut unum afferam exemplum, cod. Parisinus lat. 7622: *expliciunt derivationes magistri Hugutionis Pisani.* Quas derivationes Loewe Prodr. p. 243 anno 1192 scriptas esse cum confirmat verum vix videtur dixisse. Verba enim chronici quibus utitur: *'Hugo natione Pisanus episcopus Ferrariensis agnoscitur, qui datus adiutor a sede apostolica abbati Nonantulano homini prodigo et indigno, ex libro Papiae quod illic est, librum derivationum composuit'* (Murat. IX col. 246 teste Bergero p. 16), id unum potius demonstrant, Hugucionem librum Nonantulae confecisse, quo in monasterio annis 1197—1201 commoratus est; cf. Tiraboschi storia di Nonant. (Modenae 1784) p. 126, Berger p. 16. Rectius igitur cum Bergero summatim anno fere 1200 derivationes prodisse putabimus.

Quid sibi Hugucio in magno hoc libro proposuerit, ipse in praefatione sermone tumido et illo tempore usitato professus est (verba exscripsi ex codice Monacensi 14056 iam ab Hamanno adhibito, comparato cum codicibus Parisinis 14090 et 7622, quos libros F. Beck in meum usum contulit):

Cum nostri protoplausti suggestiva[1] *praevaricatione humanum genus*

1) *sugestiva* cod. Monac.

a suae[1]) *dignitatis culmine quam longe deciderit ac triplicis incommodi*[2]), *scilicet indigentiae, vitii et ignorantiae, non modicam coartationem*[3]) *sumpserit, triplex huic triplici incommodo nobis a deo suggeritur*[4]) *remedium, scilicet commoditas, virtus et scientia. Nam indigentiae molestiam commoditas, vitii corruptionem virtus, ignorantiae caecitatem expellit scientia. Ad quam quidam longe accedentes panniculum*[5]) *ab ea dirripiendo sibi totam nupsisse credentes et si quando eam in quadam parte possideant, more tamen bestiarum degentes non modo praedictam*[6]) *triplicem miseriam aliqua*[7]) *virtute non redimere, ut sic honestarum artium*[8]) *exercitio ad pristinae decusationis relictum honorem aliquantulum valeant promoveri, sed etiam singulis diebus cumulare conantur, nec*[9]) *dentium exstantias*[10]) *elimare*[11]) *nec balbutientium linguarum vitiligines abradere nec ingenii tarditatem excitare nec madidae memoriae aliquid commendare nec*[12]) *oblivia corripere*[13]) *vel negligentiam redarguere nec*[14]) *maledicta punire nec sordes ac*[15]) *vitia repellere*[16]), *sed potius in vitiorum*[17]) *volutabro*[18]) *provoluti pec*[c]*uniam congerere*[19]) *ac congestae inservire vel etiam honestis officiis omissis lacunam corporis ingurgitare nituntur, quorum doctrinam vitam mortemque iuxta*[20]) *extimandum*[21]) *est. Nos vero altius procedentes, ne, si talentum a deo nobis concessum infoderemus, patenter furti argui*[22]) *possemus, quod naturae officio nobis*[23]) *denegabatur, per famam extendere laboravimus, ut universae carnis generalitas illam licet tenuem una cum corpore ne utiquam dissolveret. Opus igitur divina favente gratia componere statuimus, in quo prae aliis vocabulorum significationum*[24]) *distinctiones, derivationum origines, ethimologiarum assignationes, interpretationum repe-*

1) *sue* libri; ut etiam in eis quae secuntur *e* pro *ae* exstare solet, quod non notabimus.
2) *incomodi* libri ut porro, quod amplius non notabitur.
3) *cogitationem* cod. Monac. 4) *sugeritur* libri. 5) *paniculum* libri.
6) om. cod. Paris. 14090. 7) *a virtute* cod. Monac. 8) *actuum* cod. Monac.
9) *nam nec* cod. Paris. 14090. 10) *existencias* cod. Paris. 7622.
11) om. cod. Paris. 14090.
12) *aliquid commendare nec* om. cod. Paris. 7622, ubi m. 2 supplet in marg. *madide oblivia memorie corripere* cod. Monac.
13) *ne vel corripere* cod. Paris. 14090. 14) *vel* cod. Paris. 7622.
15) *ac* cod. Paris. 7622 et 14090. *nec* cod. Monac.
16) *pellere* cod. Paris. 7622. 17) *initiorum* cod. Monac.
18) *in voluptatibus vitiorum* cod. Paris. 7622.
19) *congregare congerere* cod. Monac.
20) *iustu* cod. Monac. *vix* cod. Paris. 7622 (corr. m. 2).
21) *extimande* cod. Monac. Cf. Sallust. bell. Cat. II 8.
22) om. cod. Paris. 14090.
23) *nobis officio* cod. Monac. *beneficio nobis* codices Paris.
24) *vocabulorum sensus* Hamann; sed nihil deest.

rientur expositiones, quarum ignorantia latinitas naturaliter indiga quorundam[1]) *doctorum pigritia non modicum coartatur. nec hoc tantum ut cenodoxiae vitream fragilitatem lucri faciamus, adimplere conabimur, quantum ut omnium scientiae litterarum invigilantium communis inde utilitas exflorescat. nec cuivis descendat in mentem, nos in hoc opere perfectionem insinuatim polliceri, cum nichil in humanis inventis ad unguem inveniatur*[2]) *expol[l]itum, licet aliis de hac eadem re*[3]) *tractantibus quadam singulari perfectione haud*[4]) *iniuria videri possimus excellere. nam hic parvulus suavius lactabitur, hic adultus uberius cibabitur, hic perfectus affluentius delectabitur, hic gignosophistae triviales (!) hic didascali quadruviales, hic legum professores, hic theologiae perscrutatores, hic ecclesiarum proficient gubernatores, hic supplebitur, quicquid hactenus ex scientiae defectu praetermissum est, hic elimabitur, quicquid a longo tempore male usurpatum est. Si quis quaerat huius operis quis auctor*[5]), *dicendum est quod deus, si quaerat huius operis quis fuerit instrumentum, respondendum est, qui patria Pisanus, nomine Vgutio*[6]) *quasi Eugetio, id est bona terra non tantum praesentibus sed etiam futuris, vel Vguitio: quasi Vigetio*[7]), *id est virens*[8]) *terra non solum sibi sed etiam aliis. Igitur Sancti Spiritus adsistente gratia, ut, qui omnium bonorum*[9]) *est distributor, nobis verborum*[10]) *copiam auctim sup⟨p⟩editare dignetur, a verbo augmenti nostrae assertionis auspitium sortiamur.*

Magniloquam hanc praefationem derivationes excipiunt ad litterarum ordinem in universum dispositae, quarum primam ad *Augeo* spectantem Hamann p. 5 edidit. Caput quod ad *Aula* pertinet iam Loewe Prodr. p. 244 proposuit, his alia quaedam capitula ex litteris QXZ Hamann p. VI sq. addidit. Ante utrumque iam Haase l. s. s. p. 33 ex codice Vratislaviensi specimen praebuerat perquam idoneum hoc: *Timo graece latine dicitur flos vel flores. Item a timo timinus a um i. e. floridus vel dulcis, suavis, et unde timinum dicitur mel suave et odoriferum, et hic timeus Platonis, quasi floridus vel quasi flosculus, quia ibi flosculi totius philosophiae comprehenduntur* e. q. s. et in fine: *timo quod est mens componitur cum ab et mutata b in u dicitur autumo, as, i. e. affirmare, putare* e. q. s. Quibus excerptis aliud ex P littera addere liceat, quod in

---

1) *indiga quorundam*] *quadam* cod. Paris. 14090.

2) *inveniatur ad unguem* cod. Paris. 7622. 3) *materia* cod. Paris. 7622.

4) *aut* codd. Parisini. *ut* cod. Monac. Hamann locum non intellexit.

5) *auctor* cod. Monac. *actor* cod. Paris. 7622. *auctor operis quis* om. cod. Paris. 14090.

6) *uguicio* cod. Paris. 7622. 7) *unguitio quasi iugetio* cod. Monac.

8) *vires* cod. Monac. 9) *bonorum omnium* cod. Paris. 7622.

10) *illorum* *** *ā* cod. Paris. 14090.

Monacensi codice quisquiliis omissis tale est: *Pin*[1]) *graece altum dicitur latine: unde haec pinna summa cuius libet rei, sed proprie templorum et murorum: unde etiam pinna dicitur, quod supereminet in dorso piscis, quod dicitur nottia* (?). *Et a pinna haec pinnula dicitur et pinnosus, a, um altus et superbus vel laniosus et comparativus, unde pinnose, sius, sime adverbium et pinnositas altitudo vel superbia vel laniositas. Item a pinna hoc pinaculum cuiuslibet domus vel templi fastigium, unde illud: statuit eum super pinaculum templi, et saepe pro cuiuslibet rei fastigio ponitur. Pinna componitur cum rapio et dicitur pinnirapus, pi, id est gladiator qui rapiat pinnas, id est summitates gallearum ab evictis quasi collo insignum victoriae suspensa referebant; vel pinnirapus quasi penirapus quasi qui plumet aves vel qui rapit pennam de capite alterius. Qui enim de velocitate se iactabant, pennam in capite ponebant insignum velocitatis; deinde siquis inveniretur velocior, rapiebat pennam de capite eius. Iuvenalis: pinnirapi cultos iuvenes iuvenesque lanistae. Item a pin haec pinus, nus vel pinus, ni, id est arbor altissima vel pinus dicitur a penum quod est acutum vel ab acumine foliorum dicitur pinium aliā pini. aliā Graeci pecuniam vocant quam nos piceam dicimus, quia desudet picem: unde haec pinax, cis, pugillaris, effimeris, tabula manualis ex pino facta. Marcianus: caelatam ex ebeno pinacem argenteis talibus asterebit. Et pinax dicitur tabula, in qua philosophi figuras fatiunt in supposito pulvere et pineus a, um, et hoc pignetum, locus ubi pini crescunt. Item a pinus haec pix, cis, quia fit ex pino. Haec a Graecis dicitur colofonia quem nos rataelem* (?) *dicere possumus, et inde piceus, a, um, de pice existens vel ad picem pertinens vel niger et obscurus. Statius: picea nox obuia nĩbro, et haec picea quaedam arbor de cuius succo pix efficitur, et pico, as, pice aliquid linire vel obturare. et no⟨ta⟩ quod pix alio nomine graece dicitur haec pissa, ae, unde secundum quosdam dicitur apud nos pix. Et componitur cum xeros quod quasi durum vel siccum, et dicitur haec pix xareta pix dura et sicca cum* (sequitur lacuna) *et dicitur pixager id est pix liquida.*

Ex his quae dedi derivationum exemplis quem rationis atque auctoritatis gradum teneat auctor facile cognosces. Quam secutus est doctrinam etymologicam, fundamenta quidem habet in libris veterum grammaticorum, ut Prisciani et Papiae, sed in arte nesciendi explodenda adeo suo ingenio indulsit, ut vix inveniatur difficultas quam ille solvere se posse sit diffisus. Praeter derivationes quae proprie dicuntur per omnes fere litteras partes glossematicae dispersae sunt, in quibus sacrae scripturae et hebraicae linguae saepius rationem habitam esse non mirum videatur. Adiecti sunt non uno loco ampliores tractatus, ut

1) Cf. GR. L. Suppl. p. 242, 28.

in D littera post *Dia* copiosa de numeralibus latinis disputatio, cuius in fine versus de litteris pro numeralibus positis exstant, quos Loewe Prodr. p. 231 commemoravit (cf. p. 255 Mommsen GR. L. IV 330 et de versibus 'Sitzungsberichte' a. 1853 p. 94; pars etiam in cod. Leidensi Voss. lat. 4, 24 legitur); item sub *Baulat* voces animantium positae sunt, de quibus cf. quae supra p. 91 disserui. Inter glossas hic illic germanicae inveniuntur, ut *faida inimicitia*. Maioris momenti quam haec loci ex vetustis scriptoribus allati, ut ex Plauto, Horatio, Iuvenale, Ovidio, Persio, Statio, aliis essent, nisi eidem loci etiam in alio libro exstarent cum Hugucionis derivationibus summa necessitudine coniuncto, scilicet in Panormia Osberni Glocestriensis, qui vir doctus, si quidem recte iudicavit Guilelmus Meyer Mus. rhen. vol. XXIX (a. 1874) p. 179 sq., medio saeculo duodecimo, h. e. paulo ante Hugucionem floruit: de qua necessitudine diligenter inquiret qui de auctoritate Hugucionis certum iudicium proponere audebit.

§ 52. Osberni Panormiam igitur, ut a libris manuscriptis proficiscatur disputatio, quam ex cod. Vaticano reg. Christinae 1392 edidit Maius cum inscriptione 'Thesaurus novus Latinitatis', praeter codicem Vaticanum quattuor alii continent, quos Meyer l. s. s. p. 179 sq. indicavit, nempe 2) cod. Monacensis 17154 saec. XII (sine prologo et repetitionibus); 3) cod. Monacensis 14584 saec. XIII (eodem modo mutilatus); 4) cod. Altenburgensis (in Austria) saec. XIII; 5) cod. Vindobonensis 1312 saec. XIV. Tres alios addidit Loewe Prodr. p. 241 sq.: 6) cod. Erfurtensem in folio 43; 7) fragmentum ex littera I, quod Barthius Adv. XXVIII 19 habuit, post illum adhibuit O. Mueller in editione Festi; 8) fragmentum saeculi XIV, quod publici iuris fecit C. Hofmann ('Abhandlungen der Königl. Bayer. Akad.' 1870 p. 197—200). Post Loewium ex adnotationibus Gundermanni 'Sitzungsber. der Königl. S. Ges. d. W.' 1896 p. 79 hos libros protuli: 9) cod. Vaticanum reg. Christ. 1590 saec. XIII, A—E litteras plenas continentem (a *fulvo* in fol. 32^c contextus ad prologum I litterae transit, quae satis brevis est et repetitionibus caret; etiam in L deest repetitio, cetera plena esse videntur); 10) cod. Parisinum lat. 7621 saec. XIII (teste catalogo Alexandri de Villa Dei); in quo singula praefationis verba glossemata sua habent ex parte francogallica; praefationes et repetitiones non desunt; 11) cod. Parisinum 7492 saec. XIII cum praefationibus et repetitionibus (cf. Notices et Extr. XXII 2, 30); 12) cod. Turonensem 854 saec. XIII; 13) cod. Luxenburgensem 1294 saec. XIV (teste Baehrensio). Numerum librorum denuo auxi l. s. s. p. 134 codicibus his inventis: 14) cod. abb. S. Floriani XI 581, nunc bibliothecae Lincianae, quem diligentius tractare non possum (cf. Loewe

Prodr. p. XII); item 15) cod. Cheltenhamensi Phillippsiano 4681 saec. XIII exeuntis, qui p. 349 post Hieronymi explanationes in libros biblicos haec habet: *Dirivationes partium. a ȳ littera i. e. incipientium. Artica dirivandi norma ratiocinante unus de assidentibus* e. q. s., h. e. prologum E litterae cum partibus ex E (ab *Emo* ad *Exul*); 16) codice S. Crucis (Heiligenkreuz) 804 saec. XII in fol. 1—86. Denique ex Steinmeyeri volumine IV p. 502 hi libri accedunt: 17) ex bibliotheca Melcensi (Melk) K 51, qui codex inter multa alia finem Panormiae continet; 18) ex bibliotheca Cheltenhamensi Phillippsiana cod. 7087 in fol. 146ª—164ᵇ; cf. idem ibidem p. 412. Quos libros in classes revocare conatus sum 'Sitzungsber. der Königl. S. Ges. d. W.' 1896 p. 79, quamvis subsidiis minime sufficientibus: quae nunc nolo repetere. Ibidem prologum primum cum glossematis proposui, quem hoc loco subicere placuit (ex codice Monacensi vetustiore 17154 addita discrepantia editionis Maianae et alterius cod. Monac. 14584).

Cum in nocte hiemali multe lucubrationis[1]) *pervigilio*[2]) *plurimoque in lichnis depasto olivo usque ab conticinium*[3]) *ferme nictitassem*[4]), *in letheum*[5]) *tandem soporem squarroso*[6]) *me lectisternio*[7]) *utpote*[8]) *perrara*[9]) *farragine*[10]) *hirtisque*[11]) *sagis*[12]) *receptantibus*[13]) *defetiscentes*[14]) *artus conquexi*[15]). *Dumque opiparo*[16]) *praedulcis somni suavio*[17]) *affatim*[18]) *saginarer*[19]), *ecce phalanga*[20]) *turmatim*[21]) *subeuncium domate*[22]) *quo decumbebam*[23]) *fragosa*[24]) *crepidarum*[25]) *plosione*[26]) *perstrepebat*[27]). *Quo ilicet*[28]) *experrectus*[29]) *crepitaculo*[30]) *semiulcos*[31]) *meticulose*[32]) *retegens*[33]) *ocellos*[34]) *thoralque*[35]) *involucro*[36]) *prae vultu*[37]) *clanculo*[38]) *corrugatum*[39]) *obiectans*[40]) *exili*[41]) *rimula quid rerum gereretur limis*[42]) *perspicabar*[43]). *Nec nox ea illimis*[44]) *nigellisve*[45]) *tenebrarum peplis*[46]) *obducta sed perlustri*[47]) *rutilantis*[48])

Glossae: 1. *i. lucerne* (item Maius). ‖ 2. *i. vigiliis.* ‖ 3. *i. gallicantu* (*gallicinium* Maius). ‖ 4. *vigilassem* Maius. ‖ 5. *obluionem.* ‖ 6. *squalido* (item Maius). ‖ 7. *lecto.* ‖ 8. *sicut.* ‖ 9. *valde rara.* ‖ 10. *i. stramine.* ‖ 11. *hirsutis.* ‖ 12. *linteolis.* ‖ 13. *recipientibus.* ‖ 14. *lassatos.* ‖ 15. *caput inclinavi* (item Maius). ‖ 16. *i. parum* (item Maius). ‖ 17. *dulcedine.* ‖ 18. *assidue* (item Maius). ‖ 19. *dormirem.* ‖ 20. *chohors.* ‖ 21. *perturmas.* ‖ 22. *domo.* ‖ 23. *iacebam.* ‖ 24. *sonora.* ‖ 25. *botes* (item Maius) ‖ 26. *strepitu.* ‖ 27. *sonabat.* ‖ 28. *cito.* ‖ 29. *excitatus.* ‖ 30. *sonitu.* ‖ 31. *dimidia apertius.* ‖ 32. *pavide.* ‖ 33. *aperiens.* ‖ 34. *oculos.* ‖ 35. *herilcz* ut vid. (*orner* Maius). ‖ 36. *involutione.* ‖ 37. *ante vultum.* ‖ 38. *clam.* ‖ 39. *involutum.* ‖ 40. *contra iaciens.* ‖ 41. *parva.* ‖ 42. *subtilis* (item Maius). ‖ 43. *perspiciebam.* ‖ 44. *obscura* (*obscuris* Maius). ‖ 45. *nigris.* ‖ 46. *umbris.* ‖ 47. *claro.* ‖ 48. *lucentis.*

Discrepantia scripturae: 2. *olivo depasto* Maius. | *usque ad* 14584, Maius. | *nictassem* Maius. ‖ 3. *squarroso me lectisternio* 14584, Maius (non satis certa sunt in 17154). ‖ 4. *conqueri* Maius. ‖ 5. *oppiparo* Maius. ‖ 6. *subeuntium* 14584, Maius. ‖ 7. *fragorosa* Maius. | *plosõe* 17154. *plosione* Maius. | *///licet.* 14584. ‖ 8. *semhiulcos* Maius. ‖ 9. *toralque Maius.* ‖ 10. *ea* om. 14584. | *illimis* corr. in *illunis* 14584. ‖ 11. *praelustri* Maius.

cinthie coruscamine quae rimatim[1]) *sese ingerebat perspicua*[2]). *Quaedam igitur celtica*[3]) *effecatique*[4]) *speciminis*[5]) *femina, quae grammatica uti*[6]) *ab ipsa postmodo*[7]) *percepi dicebatur, in praelibati*[8]) *cunei*[9]) *prima fronte reverenda maiestate incedens*[10]) *leva quidem pinacem*[11]) *quam venustam*[12]) *ex hebeno*[13]) *bracteisque*[14]) *aurulentis*[15]) *artite*[16]) *expolitam*[17]) *sed dextera aliquantule*[18]) *prolixitatis trinodem*[19]) *gestabat corrigiam, ex qua scabra*[20]) *puberum*[21]) *ingenia linguarumque vitiligines*[22]) *levi sensim*[23]) *attricione*[24]) *purgabat. Dominam autem praeambulam*[25]) *vates gravastelli*[26]) *cignino*[27]) *capillitio*[28]) *candidantes*[29]) *penulasque*[30]) *latiales*[31]) *indusiati*[32]) *pedibus quam decenter*[33]) *coturnatis*[34]) *comi*[35]) *processu*[36]) *assectabantur*[37]). *Quorum sodalitio*[38]) *cirrati*[39]) *pubete*[40]) *dicacula*[41]) *disertitudine*[42]) *facundati*[43]) *stipatim*[44]) *admiscebantur, qui se ab ipsis tenelle*[45]) *infantiae crepundiis*[46]) *in autenticis*[47]) *matris gramatice assidelis*[48]) *ubertim*[49]) *alumpnatos*[50]) *profitebantur; alii manibus ad volas*[51]) *percellendas*[52]) *ferulas*[53]) *orbiculatas*[54]), *alii vero ad tergora*[55]) *sulcanda*[56]) *vibices*[57]) *acerrimas praetendebant, ut liquidis*[58]) *clareret*[59]) *evidentiis*[60]) *pedagogali*[61]) *eos excellentia*[62]) *esse decusatos*[63]). *Nec mora virago*[64]) *memorata gemmatum*[65]) *conscendit suggestum*[66]), *quem ex populari*[67]) *eius famulitio*[68]) *due praeministre me con-*

Glossae: 1. *per rimas* (item Maius). ‖ 2. *lucida.* ‖ 3. *auctorabilis* (item Maius) ‖ 4. *perfecti* (item Maius). ‖ 5. *pulchritudinis* (item Maius). ‖ 6. *sicut.* ‖ 7. *posteà.* ‖ 8. *ante dicti* (*praedicti* Maius). ‖ 9. *chohortis.* ‖ 10. *ambulans.* ‖ 11. *depinu.* ‖ 12. *oneratam.* ‖ 13. *illo ligno.* ‖ 14. *lance.* ‖ 15. *aurei.* ‖ 16. *ingeniose* (item Maius). ‖ 17. *ornatam.* ‖ 18. *aliquantum magne.* ‖ 19. *trium nodorum.* ‖ 20. *pigra* (item Maius). ‖ 21. *purorum.* ‖ 22. *inpedimenta* (item Maius). ‖ 23. *paulatim.* ‖ 24. *verberatu* (item Maius). ‖ 25. *ante cedentem.* ‖ 26. *gravis* (*graves* Maius). ‖ 27. *albo* (item Maius). ‖ 28. *cesarie.* ‖ 29. *albentes.* ‖ 30. *camisias* (item Maius). ‖ 31. *latinas* Maius. ‖ 32. *induti* (item Maius). ‖ 33. *pulchre.* ‖ 34. *calciatis.* ‖ 35. *faceto.* ‖ 36. *incessu.* ‖ 37. *sequebantur.* ‖ 38. *societate.* ‖ 39. *crinici* (*artati* Maius). ‖ 40. *pueri*/// (*pueri* Maius). ‖ 41. *loquaci* (item Maius). ‖ 42. *facu.* ‖ 43. *facundi facti* (*facundificam* Maius). ‖ 44. *dense* (item Maius). ‖ 45. *tenere* ‖ 46. *incrementis.* ‖ 47. *auctorabilibus* (item Maius). ‖ 48. *seriis* (*sociis* Maius). ‖ 49. *fecunde.* ‖ 50. *nutritos* (item Maius). ‖ 51. *palmas.* ‖ 52. *feriendas* (*verberandas* Maius). ‖ 53. *palmerias* (*lalmonas* Maius). ‖ 54. *rotundas.* ‖ 55. *tergo.* ‖ 56. *vulneranda.* ‖ 57. *virgas* (item Maius). ‖ 58. *claris.* ‖ 59. *pareret.* ‖ 60. *signis.* ‖ 61. *magistrali* (item Maius). ‖ 62. *auctoretate* (*-itate* Maius). ‖ 63. *honoratos* (item Maius). ‖ 64. *gramatica.* ‖ 65. *lucidum.* ‖ 66. *sedem.* ‖ 67. *vili* (item Maius). ‖ 68. *societate* (item Maius).

Discrepantia scripturae: 1. *cithie* 14584. *Cynthiae* Maius. | *quae* om. Maius. ‖ 2. *efficatique* Maius. | *quaeque grammatica* Maius. ‖ 3. *postmodum* 14584. ‖ 5. *bractheisque* 14584. ‖ 6. *aliquantille* 14584, Maius. ‖ 7. *vituligines* Maius. | *atricione* 14584. *attritione* Maius. ‖ 8. *autem*] *quoque.* | *cygnino Maius.* ‖ 9. *capillicio* 14584. *capellicio* Maius. | *laciales* 14584, Maius. | *induciati* Maius. ‖ 11. *pube* et *ce* sup. scr. 14584. *pubecae* Maius. | *diacula* Maius. | *fecundati* 14584 (et *a* sup. *e*). *facundatam* Maius. ‖ 12. *admiscebantur* (s s. scr.) 14584. ‖ 13. *alumpnatos* (*tos* ex *nos* corr.) 14584. ‖ 16. *decusiatos* (*i* s. s.) 14584. *decusiatos* Maius. ‖ 18. *famulicio* 14584. *famulatio* Maius.

spicante[1]) *in loco ediciori*[2]) *praestruxerant gravique auctoritate manu protensa residendi cunctis allubentiam*[3]) *indixit*[4]) *et ipsa pariter cum eis assedit. Videns humi cleostarum*[5]) *oculos mediocricule*[6]) *obstipos*[7]) *auresque ad audiendum accommodas*[8]) *inpendio*[9]) *dum quid rerum gestiat*[10]) *imperatrix sua conscionando*[11]) *promulget*[12]). *Tunc illa: 'Grammatica, inquit, dicor; nostis, commilitones*[13]), *qui meis incuriis, meis estis rudimentis*[14]) *adprime nutricati*[15]) *eo quod gramme lineae et gramata littere nuncupentur mihique sit indultum*[16]) *literarum formas propriis ductibus lineare, a priscis quidem viris triviatim*[17]) *concelebrata speciali praerogativa*[18]), *reliquis vernantius*[19]) *sororibus per orbis climata*[20]) *efflorebam. Nunc autem inter huiusce temporis stirpitus*[21]) *repudiata*[22]) *mortales publicitus*[23]) *ab omnibus floccipendor, quia qui me pernosse desudet*[24]) *vix inter tot milia vel unum reperies. Vbi, quod plorabunda*[25]) *deploro, sub hac tempestate*[26]) *litteratus? ubi partibus latialibus*[27]) *affluenter*[28]) *inbutus? Nonne prodigi omnes aleones*[29]), *pernoctes*[30]) *attibernales*[31]) *iuges*[32]) *lenociniorum*[33]) *sunt mancipes*[34]), *ardentius*[35]) *diludia*[36]) *quam gimnasium*[37]), *affectuosius*[38]) *enerve*[39]) *otium quam egregrie*[40]) *indolis*[41]) *colunt exercicium? Me fronte pervicaci*[42]) *tamquam gerroneam*[43]) *naucipendentes*[44]) *perexiles*[45]) *tantum de induviis*[46]) *netus*[47]) *tediose sumpsere pertusasque*[48]) *eas ac dilancinatas*[49]), *me autem spretam omnino liquere. Quoniam igitur adeo desipiscentes*[50]), *adeo inertici*[51]) *esse approbantur, ne per delumbem*[52]) *eorumdem*

Glossae: 1. *vidente.* ‖ 2. *altiori.* ‖ 3. *licenciam* (item Maius). ‖ 4. *dedit.* ‖ 5. *magistrorum* (item Maius), ‖ 6. *mediocriter.* ‖ 7. *inclinatos* (item Maius). ‖ 8. *accomodatas.* ‖ 9. *adtente inpendiose* (*i. a.* Maius). ‖ 10. *cupiat* (item Maius). ‖ 11. *canendo.* ‖ 12. *manifestet.* ‖ 13. *milites.* ‖ 14. *doctrinis.* ‖ 15. *nutriti.* ‖ 16. *promissum.* ‖ 17. *publice* (item Maius). ‖ 18. *dignitate.* ‖ 19. *pulchrius* (*pulcrius* Maius). ‖ 20. *partes.* ‖ 21. *omnino* (item Maius). ‖ 22. *spreta.* ‖ 23. *communiter.* ‖ 24. *laboret.* ‖ 25. *flebiles.* ‖ 26. *tempore.* ‖ 27. *latinis* (item Maius). ‖ 28. *copiose.* ‖ 29. *livores alorum* (*lusores* Maius). ‖ 30. *vigiles.* ‖ 31. *potātores taberne* (*potatores* Maius). ‖ 32. *assidui.* ‖ 33. *lecatorum* (*lecacitatum* Maius). ‖ 34. *famuli.* ‖ 35. *libentius.* ‖ 36. *ludicra.* ‖ 37. *studium* (item Maius). ‖ 38. *maiori affectu.* ‖ 39. *debile.* ‖ 40. *nobilis.* ‖ 41. *iuventutis.* ‖ 42. *improba.* ‖ 43. *inutilem* (item Maius). ‖ 44. *spernentes.* ‖ 45. *parvos.* ‖ 46. *vestibus* (*de vestibus* Maius). ‖ 47. *fila* (item Maius). ‖ 48. *foraminatas* (item Maius). ‖ 49. *depannatas* (item Maius). ‖ 50. *desipientes.* ‖ 51. *inertes* (item Maius). ‖ 52. *debilem* (item Maius).

Discrepantia scripturae: 3. *Videres* 15584. | *cleonatarum* Maius. | *ocellos* Maius. | *medio circulo* 14584. | *obstippos* Maius. ‖ 4. *inpendio accomodas* Maius. ‖ 5. *concionando* 14584, Maius. ‖ 6. *qui mecum in curiis* Maius. | *meis* om. Maius. ‖ 7. *apprime* Maius. | *grammee* 14584. | *littere*] *lineae* cod. Mai. ‖ 8. *mihi quod* Maius. | *litterarum* 14584, Maius. ‖ 9. *celebrata* Maius. ‖ 11. *huiuscemodi* Maius. ‖ 12. *floccipendorum* 14584. | *tot* om. 14584. ‖ 13. *Vbique* 14584. ‖ 15. *omnes prodigi* Maius. | *alecones* Maius. | *attabernales* Maius. ‖ 16. *gymnasium* Maius. ‖ 17. *anerve ocium* Maius. ‖ 18. *t///ñ* 14584. ‖ 19. *nexus* 14584. ‖ 21. *probantur* 14584.

scientiam abolear[1]), *in hac volo conscione*[2]) *partes latinas normaliter*[3]) *et digestim*[4]) *propalare*[5]), *quo dumtaxat*[6]) *intellectu*[7]) *acceptas vel ex qua derivandi scaturigine*[8]) *esse constat elicitas*[9]). *Quas tandem per singulos alfabeti*[10]) *apices*[11]) *serio*[12]) *et enucleatim*[13]) *enodatas*[14]) *cuiusdam mei sequestri*[15]) — *ad me autem oculo connivente*[16]) *adnutabat*[17]) — *famelicis*[18]) *memorie faucibus libet instillare*[19]), *quatinus isto scientie meae opulentiam*[20]) *socordibus*[21]) *illis effusim*[22]) *eventilante*[23]) *me necdum ad plenum animadvertant*[24]) *agnovisse. Quam quia ex parte agnoverunt, iam totam sibi diripuisse opinantur*[25]). *Assertionem*[26]) *quoque meam veterum et modernorum exemplis, quos in hoc dogmate*[27]) *fama vulgaris*[28]) *praeclues*[29]) *asseverat, libet astipulare*[30]), *non quod sanctionen*[31]) *meam discipulorum sit necesse suppetiis*[32]) *fulciri*[33]), *sed ut auctoritatem habeant in manu, qui ignotam sibi dictionem quamquam aliis tritam vix sine auctoritate recipiunt.' Huic imperatricis epilogio*[34]) *omnes confestim*[35]) *allubescentes*[36]) *sapide*[37]) *et consulte deliberatum esse acclamabant piumque laborem residibus*[38]) *ob inscitiam iuvenculis potissimum profuturum*[39]). *Nec mora domina lacernam*[40]) *quam indusiabatur*[41]) *praedivite*[42]) *murice fuccatam*[43]), *auroso*[44]) *etiam spinterculo*[45]) *quam decenter*[46]) *nodatam*[47]), *quo ad loquendum esset paratior*[48]), *effibulabat*[49]) *brachiolisque strictim venustissimis*[50]) *supparis*[51]) *ambitis*[52]) *per patulam*[53]) *ipsius palle portam porrectis talia rotatili*[54]) *sermone verba*

Glossae: 1. *delear.* ‖ 2. *cantu.* ‖ 3. *regulariter* (item Maius). ‖ 4. *regulariter et divisim* Maius. ‖ 5. *manifestare.* ‖ 6. *tantummodo.* ‖ 7. *significatione* Maius. ‖ 8. *origine.* ‖ 9. *derivatas.* ‖ 10. *abecedarii.* ‖ 11. *litteras.* ‖ 12. *ordine* (item Maius). ‖ 13. *aperte.* ‖ 14. *expositas.* ‖ 15. *socii* (item Maius). ‖ 16. *favente.* ‖ 17. *inclinabat.* ‖ 18. *famulentis* (item Maius). ‖ 19. *infundere.* ‖ 20. *copiam.* ‖ 21. *stultis.* ‖ 22. *prolixe.* ‖ 23. *exponentem.* ‖ 24. *percipiant.* ‖ 25. *putant.* ‖ 26. *affirmationem.* ‖ 27. *doctrina* (item Maius). ‖ 28. *communis.* ‖ 29. *nobiles famosas.* ‖ 30. *confirmare* (item Maius). ‖ 31. *affirmacionem.* ‖ 32. *auxiliis.* ‖ 33. *corroborari.* ‖ 34. *prologo* (item Maius). ‖ 35. *consentienter.* ‖ 36. *faventes* (item Maius). ‖ 37. *sapienter* (item Maius.) ‖ 38. *pigris.* ‖ 39. *valiturum.* ‖ 40. *clamide.* ‖ 41. *induebatur.* ‖ 42. *valde divite.* ‖ 43. *nutritam.* ‖ 44. *aureo.* ‖ 45. *firmaculo* (item Maius). ‖ 46. *convenienter.* ‖ 47. *nodatam.* ‖ 48. *promtior.* ‖ 49. *extra fibulam ponebat* (item Maius). ‖ 50. *pulchris.* ‖ 51. *rebrachiatoriis* (*-tariis* Maius). ‖ 52. *circuitis* (item Maius). ‖ 53. *latam.* ‖ 54. *volubili* (item Maius).

Discrepantia scripturae: 1. *abholear scientiam* Maius. | *concione* 14584, *contione* Maius. ‖ 2. *digestim* (ex-*tam* corr.) 14584. *digressim* Maius. | *dirivandi* Maius. ‖ 3. *singulos* (in *-as* corr.) 14584 | *alphabeti* Maius. ‖ 7. *eventilantē* 14584. | *nedum* Maius. ‖ 8. *agnovisse animadvertant* Maius. | Quam quia] $\overset{u}{q}\ \overset{u}{q}$ *qui* (omnia praeter primam *q* in ras.) 14584 ‖ 9. cognoverunt 14584 ‖ 10. *exemplis* (*i* ex *a* corr.) 14584, om. Maius. ‖ 12. ⟨*testimonio*⟩ *astipulare* Maius. ‖ 14. *in manu habeant* Maius. ‖ 16. *epilog///o* (*i* erasa) 14584. | *consensim* Maius. ‖ 17. *residibus laborem* 14584. | *ab* 14534. ‖ 19. *lacerna///* (*m* erasa) 14584. | *qua* Maius. ‖ 20. *murite* 14584. | *fulcatam* (*l* ex *c* corr.) 14584, *fucatam* Maius. | *et* 14584, Maius. | *spintherculo* Maius.

dictabat: 'Gnotescendum[1]*) est inprimis partes latiales*[2]*) aliquando secundum litteram tantum, aliquando secundum sensum tantum, aliquando autem et secundum literam et sensum, nonnumquam vero per antifrasim*[3]*) aut per sincopam derivari, super quibus superfluum duxi modo in praesentiarum exempla apponere, quia in derivando necesse est eadem sepius applicare*[4]*). Nunc autem quia de prima littera primitus est disserendum, animadvertendum est eam ·a· nuncupari ⟨ad illius equipollentiam⟩*[5]*) quam mater instante iam partu gravidante*[6]*) querulose*[7]*) depromit, quam et sub hiatu vocis congruo*[8]*), ut ait Marcianus noster, solo spiritu per palatum exprimimus. Ab hoc itaque verbo, quod est amo, inchoare disposui.' Cumque paulum ocellis in humerum defixis obticuisset, sic tandem cepit ex alto.*

Glossae: 1. *manifestum* (*manifestandum* Maius) *est.* ‖ 2. *latinas.* ‖ 3. *per contrarium* (item Maius). ‖ 4. *apponere.* ‖ 5. *equivalentiam* (*aequivalentiam* Maius). ‖ 6. *gravi.* ‖ 7. *questuose* (item Maius). ‖ 8. *convenienti.*

Discrepantia scripturae: 1. *innotescendum* Maius. ‖ *laciales* 14584, Maius. ‖ 3. *et* om. 14584, Maius | *litteram* 14584, Maius. | *antifrasin* 14584. *antiphrasim* Maius. ‖ 4. *syncopam* Maius. | *dirivari* Maius. | *duxi superfluum* 14584. | *modo* om. Maius. ‖ 5. *dirivando* Maius. | *replicare* Maius. ‖ 6. *quia* s. scr. 14584. ‖ 7. *ad illius equipollentiam* (et *equivalentiam* s. scr.) *quam mater* inter *nuncupari* et *instante* (ubi ante rasuram *quam* fuit) s. v. scr. 14584; ubi *ad illius vocis aequipollentiam* edidit Maius. ‖ 8. *eam partu* Maius. *partu iam* 14584. ‖ 10. *Ab hoc — disposui* om. 14584. | *paululum* Maius. ‖ 11. *humeris* corr. ex *humum* 14584. *humum* Maius.

En habes novum specimen glossematicae latinitatis, quam supra p. 70 attigimus, diligentius infra persequemur, ad exemplum sermonis quem Martianus Capella excoluit effictum, quem etiam in singulis quibusdam sententiis imitatus est, ornatum verbis raris et ex parte obscuris, scilicet ex glossariis aliquot velut ex Paulo desumptis (cf. *attibernalis, gravastellus, gnotescendum*, alia). Quam praefationem derivationes excipiunt, ut in A *Amo, Arceo, Alo, Aqua, Amicio, Acuo, Annus, Acer, Ango, Animus, Arguo, Algeo, Audio, Aro, Aurum, Aveo, Albeo, Astrum, Areo, Ater, Aula, Arbor, Archos, Armus, Anclo, Augeo, Am, Ago, Alea, Ardeo, Ager, Apostolus, Alius, Alter, Ambulo, Alvus, Altus, Agnus, Assis, Auxilior, Amnis, Amarus, Adra, Aptus, Apes, Adulor, Afros, Asper, Aper, Ancilla, Apex, Arvum, Amplus, Argilla, Adipiscor, Arbitror, Acer, Ace, Alapa, Ambo, Ador, Astutus, Angelus, Ambrosia, Auster, Anglia* (!), *Abhominor*; secuntur post alterum 'prologum' REPETITIONES quae dicuntur, h. e. glossae ex Derivationibus excerptae, quibus aliunde admixta inveniuntur, quae in Derivationibus frustra quaesiveris (cf. haec prologi verba: *verum quoniam saepenumero partes per scripturarum campos graves et obscurae minusque derivatae reperiuntur, iuvat easdem quascumque per primam inchoantem litteram seriatim seorsum re-*

ponere); velut haud raro synonyma occurrunt. Derivationibus ipsis etymologiae et testimonia interposita sunt ex diversis fontibus hausta. Extremae litterarum partes magis quam reliquae derivandi studio indulgent, velut sic: *Bruteo, es, ui, verb. neutr. et caret supino*; *inde brutus, a, um ·i· stolidus, insulsus*; *et brutesco, cis, quod componitur obrutesco, et debrutesco, is. Similiter et bruteo componitur obruteo, et debruteo.* Tales derivationes nudae multae inveniuntur; ceterae auctae sunt doctrina omnigena delibata velut ex Paulo, Prisciano, Isidoro, Martiano Capella, Macrobio, auctoribus ecclesiasticis, inprimis vero testimoniis modo ex vetustioribus grammaticis defloratis, modo ex ipsis scriptoribus et poetis collectis, velut ex octo prioribus fabulis Plauti, ex Terentio, Vergilio, Iuvenale. In omnibus autem tanta inter Osbernum et Hugucionem deprehenditur similitudo, ut aut alterum ex altero aut utrumque ex eodem fonte communi hausisse dicas. Quam similitudinem iam Loewe Prodr. p. 244 sqq. luculento exemplo illustratam ita explicare maluit, ut 'utrumque cum eodem fonte usum esse, tum ab ipsis collecta addidisse' censeret. Certe improbabile illud est Osbernum ab Hugucione pendere (quae est opinio Haasii l. s. s. p. 34), siquidem recte Meyer illum medio saeculo duodecimo floruisse coniecit. Quodsi Loewe Hugucionem ab Osberno pendere negavit, id is tantum certum esse dicet, qui Hugucionem aut de suo aut ex alio fonte nihil addidisse affirmabit. At quis hoc affirmare audebit? Immo de suo addidisse videtur derivationes non paucas, quas ex ratione instituta et sua doctrina abusus facile confingere potuit; aliunde adiecit testimonia quaedam non nimis multa et tractatus quosdam maiores, quales iam attigimus. Vt aperte profitear quae mea sit sententia: mihi etsi minime certum, tamen improbabile non videtur Hugucionem illas partes similes ex Osberno excerpsisse.[1]) Quod ita se habere posse ut putarem, hae et similes ratiocinationes me moverunt: 1) Si quae exstant apud Hugucionem, desunt apud Osbernum, nondum certum est, in codice meliore Osberni eadem defuisse. Etenim libri manuscripti Osberni magnopere inter se discrepant, cum alii aliis modo plura modo pauciora exhibeant. Ita verba, quae Maius ex codice Vaticano edidit, velut ex codice Amploniano (cf. Oehler 'Neue Jahrb. Supplem. XIII a. 1847 p. 252 sqq.), item ex aliis libris (cf. Meyer l. s. s. p. 182) corrigi possunt. Fieri igitur potest, ut etiam Hugucio pleniore exemplari usus sit. 2. Hugucio multo severiorem ordinem quam Osbernus secutus est, cuius ordinis sine dubio ipse auctor pu-

1) Hanc quaestionem ne plane aut plene expedirem, offecit exemplarium ut Osberni ita Hugucionis simul inspiciendorum et inter se comparandorum difficultas et recensionum differentia.

tandus erit; unde apparet si communis fons subesse creditur, Osbernum ad illum multo propius accedere quam Hugucionem; quin tam arto vinculo cum illo fonte coniunctus esse videretur Osbernus, ut mira esset illa magniloquentia et sui confidentia, quam non uno loco ostendit. 3) Constat Osbernum ipsum Pauli epitoma usum esse et maiores ordines glossarum etsi raro prorsus immutatarum repetitionibus inprimis intexuisse, ut p. 56; nec minus constat partem harum glossarum in repetitionibus positarum etiam apud Hugucionem etsi dispersam inveniri. — Quae omnia qui secum reputaverit, non improbabile esse iudicabit Hugucionem multa Osberno debere, sed libera ratione modo adiecisse quaedam modo abiecisse, modo contraxisse et vario consilio retractasse itemque ex aliis fontibus auxisse. Sed utut hoc est — nam confidenter iudicare non audeo —, certe vix erit cur his reliquiis maiorem dignitatem tribuamus, nisi quod tractatus illi maiores qui exstant non neglegendi videntur.

In chronico quod supra p. 192 commemoravi leguntur haec: '*ex libro Papiae qui illic* (h. e. Nonantulae) *est librum derivationum composuit*' (scil. Hugucio). Quibus de verbis merito Loewe Prodr. p. 244 dubitationem movit propter ipsam illam necessitudinem quae inter Hugucionem et Osbernum intercedit, ut quae minime ex Papia repeti possit. Quamquam illa verba non prorsus abicienda esse existimo; nam Hugucionem elementarium Papiae inspexisse et in derivationibus suis adhibuisse nullo modo negari potest. Cuius rei documenta quaedam subicere liceat. 1. P. 572 Osberni haec sunt: *Tucetum cibus qui fit ex carnium concissione, sicut est anduilla* (= *andouille*). Paene idem est apud Hugucionem, nisi quod pro *sicut est anduilla* exhibet: *sicut est salticia*. Apud Papiam est in exemplari impresso: *Tuceta escae regiae, salcinae* (ex *salcitiae* corruptum): unde pendere putaverim Hugucionem. — 2. Osbernus p. 352 habet: *haec monedula, ae ·i· avis quaedam quae alio modo causa* (= *gazza*) *dicitur, unde Plautus: dic me anaticulam, columbam, vel catellum, hirundinem vel monedulam.* Pro his Hugucio: *haec monedula,* inquit, *est quaedam avis quae vulgo dicitur taccula* (italice) *quasi monetula, quia si aliquam monetam invenit aufert et occultat. Plautus* e. q. s. Cf. haec apud Papiam: *monedula avis quaedam quasi monetula dicta, quia cum aurum invenit tollit et occultat.* — 3. Osbernus p. 99 praebet: *cadus pro vase quod gallice dicitur baril*; Hugucio: *cadus dicitur pro vase quod vulgo dicitur barile* (forma italica) *et ut dicunt continet tres urnas.* Additamentum legitur apud Papiam (*tres urnas capit*). — 4. In loco supra allato de *Pin* verba mira *pinnosus . . . superbus vel laniosus et comparativus, unde pinnose . . . et pinnositas altitudo vel superbia laniositas* ex Papia pendent: qui cum exhibeat *pinnosus raptor*

laniosus dolosus corde, facile *laniositas* fingi potuit. Etiam quae de *pinus* adiecta sunt, ex Papia fluxerunt. — 5. Locus de *gigno* ex pluribus Osberni particulis contaminatus est, nempe *geminus, germen, ignis*; quod quo modo fieri potuerit, disces ex his verbis Papiae: *ignis dictus, quod nihil gigni possit ex eo.* — 6. In glossa '*Augustus*' apud Hamannum allata additamentum quod est de *Augustus* apud Papiam legitur. — Haec et alia multa, in quibus idem observari licet, ne de mero casu aut alia ratione explicandi cogites, impedire existimo.

Ad illustrandam necessitudinem qua Osbernus et Hugucio continentur alia quaedam exempla profero. P. 10 haec sunt apud Osbernum: *hic alietus, ti, ·i· avis quae gallice vocatur smerillum, unde Ovidius* e. q. s., apud *Hugucionem* haec: *alietus, ti, lo smerreio unde Ovidius* e. q. s., ubi hic habet formam in Italia superiore usitatam, ille gallicam. P. 66 Osbernus exhibet: *bigens, tis, ·i· ille qui ex duabus gentibus natus, sicut ex patre Franco et matre Anglica* (Anglum esse auctorem Maius monet); Hugucio: *bigens, tis, ·i· ille qui ex duabus gentibus est natus sicut ex patre Tusco et matre Franca.* Hugucionem esse Pisanum supra exposui; eum saepius res suas respexisse ex his verbis professoris Bononiensis disces: *scolares Bononiae conducunt hospitia, Bononienses* (*bo͂no* cod. Monac., pro quo Littré hist. de Fr. XXII p. 10 in suo libro invenit *burgenses*) *locant.* Adde p. 314 Osberni: *libum, bi, ·i· placenta quod gallice dicitur uuastellus* (*wastel* teste Cloetta Galliae orientalis est pro *gastel* = *gâteau*); Hugucio contra exhibet: *libum, bi, pannis immolativus, scilicet qui sanctificatur et offertur*; *alio nomine dicitur placenta, gallice castel.* Sed iam satis de hac quaestione me dixisse arbitror, pergo nunc ad Panormiae fontes accuratius definiendos.[1])

Derivationes etiam in aliis collectionibus exstant, velut in codice Lipsiensi quodam saec. XIV (Ratsbibl. II 8. 154) teste Loewio (Prodr. p. 247 sq.) in fol. 12^{r}—28^{v}: *Incipiunt derivaciones optime. Sic dic̄ primo de anima. Anima est prime posicionis. et componitur exanimis. semianimis. et secundum quosdam compositum est anima ex a quod est sine. et mene quod interpretatur sanguis et dicitur anima sine sanguine.* A litterae lemmatum ordo sic currit: *anima. hec auris. alius. amo. ago. aveo. ardeo. arceo. areo. alo. audeo. augeo. albeo. annus. hec avis. hic anus. hec ales. adversus. amplus. acuo. aptus. arguo. ater. arbor. aro. amarus. algeo. austerus* cet. E scriptorum locis quales non adeo multi excitantur (fol. 15^{r} 'Ovi-

1) Eiusdem stirpis cuius sunt repetitiones Osberni glossulae esse videntur, quas cod. Bernensis 519 saec. XIV (p. 435 catalogi) continet: modo vetustissimae sunt et cum Paulo aliisque fontibus optimis coniunctae, modo recentissimas formas habent ac vulgares, admixtis interdum interpretamentis gallicis et saxonicis. Permultae glossae plane conspirant, quamvis ordo discrepet.

dius in VI'; f. 19r 'ita Priscianus asserit'; f. 21v 'Terentius ineutont̄') non pauci apud Osbernum desunt. Hic illic vulgares voces (velut *grangia* et *gleto*) proferuntur in hunc modum: 'quod vulgus vocatur'. Derivationes ad AMO spectantes cum Osberno comparatae (cf. Loewe Prodr. p. 248) magnam similitudinem ostendunt. Litteras continet codex Lipsiensis A—M. — Persimilia exhibet quamvis in singulis rebus discrepantia codex Maihingensis, de quo Schepss (Programm der K. Lateinschule Dinkelsbühl 1879) p. 23 disputat, quem conferre iubeo. Nec diversus est in universum cod. Londinensis Arund. 281 saec. XIII, cuius initium cum Lipsiensi libro conspirat, nisi quod *inposicionis* habet et *neme greco quod est sanguis*. Omnium autem librorum huius generis qui mihi innotuerunt quidem vetustissimus est codex Stuttgardiensis[1]) bibl. publ. reg. Q 56 saeculi duodecimi, quem ipse Ienae inspicere potui; is plenior est Lipsiensi et Arundeliano, sed ut in fine quaedam deesse videantur; ultimum lemma est *Video*. Comparationis causa aliquot locos exscribo: *Aptus ta tum tior simus, apte tius sime adverbia et aptitudo dinis et apto tas vi verbum activum, quod componitur adapto coapto tas et aptus componitur ineptus ta tum tior simus, a quo ineptia ę et ineptio ineptis verbum activum* = *Mai.* p. 37: *Aptus, a, um; comparatur aptior aptissimus; unde apte, aptius, aptissime adv. et haec aptitudo, is, et apto, as, v. a. quod componitur coapto, as, et praeapto, as et ab istis verbalia. Aptus componitur ineptus, a, um, quod comparatur ineptior, ineptissimus; inde inepte, ineptissime adv. et haec ineptia ae; unde haec ineptiola, ae diminutivum; unde et inepto as verbum activum ·i· infatuare.* Quae si comparaveris, leviter tantum discrepare invenies; Osbernus paulo verbosior est; quod adfert *inepto ineptas*, male confinxit. Alterum exemplum hoc est: *Amo as vi tum tu verbum activum. Inde verbalia* (*-lis* cod.). *hic et haec amabilis et hoc amabile amabilior simus. Item ab amo amasco cis amasius sia sium amicus ca, componitur* (scr. *comparatur*) *amicior simus, a quo amicicia cie et amicor caris verbum deponens, et componitur amicus inimicus ca cum, a quo inimicicia cie et inimicor ris. Item ab amo per adiectionem* (in ras. e corr.) *r ·i· amor, amaror sus ł amorsus. sa sum et componitur amo adamo re* (*deamo* cod. Lips.). Quibuscum si contuleris Osberniana haec (p. 6):

1) Eiusdem aetatis est codex lat. Monacensis 19411, de quo Ludovicus Traube 'Arch. f. Lexicogr.' VI p. 264 paucis disputavit; cuius libri in fol. 55v haec leguntur: *de istis autem differentiis quidam aliter sentiunt. Sed tamen seriatę positę* (del. Traube) *in glossis magistri Stephani reperiuntur.* Quem Stephanum intra annos 1060—1150 vixisse dicit Traube. Hunc codicem cum ipse non inspexerim, de ratione qua cum aliis derivationibus cohaereat nihil adfirmare audeo. In multis eum congruere cum Hugucione et Osberno testis est Traube.

Amo amas amavi amatum verbum activum. inde hic amator, ris; *unde amatorius, a, um et hic amatorculus, li, diminutivum, id est parvus amator. Vnde Plautus in Poenulo vix, inquit, aegreque amatorculos invenitis, mus. Et haec amatrix cis*; *unde haec amatricula, lae, et hic et hoc amans, quod comparatur amantior, amantissimus*; *unde amanter, amantius, amantissime, adverbia. Item ab amo, amatus, a, tum*; *unde amantim adverbium id est amanter*; *et hic et haec amabilis, et hoc amabile*; *unde amabiliter adverbium*; *et componitur inamabilis, et hic amasius, unde Plautus in Cassia*: *miserum hodie ego hunc habeo amasium* e. q. s., similitudine contineri maxima vix negabis, nisi quod multo plenior est Osbernus et glossematis testimoniisque ex Plauto, Prudentio, Augustino, Prisciano, Persio est ornatus et aliquot ineptiis deformatus. Quam similitudinem cur explicare non ausus sit Loewe, facile intellegas, cum recentiora tantum exemplaria novisset saeculi XIV: nos altius penetrare conantes certe non derivationes ex Osberno ducemus, immo Osbernum talem collectionem, qualem duodecimo saeculo iam exstitisse scimus, pro fundamento habuisse, auxisse, suis inventis interpolasse, condecoravisse testimoniis certe multo probabilius esse existimabimus. Haec ipsa autem collectio medium quendam locum inter Papiam et Osbernum tenet et ex parte stirpis est Priscianeae. Ad hanc autem quam tractavi recensionem prope accedit illa, cuius in commentatione de Papia scripta (Sitzungsber. der K. Bayr. Ak. d. W. 1903 p. 281) mentionem feci, nota mihi ex tribus codicibus Monacensibus 17151, 17153, 17194 saeculi duodecimi; quae collectio bifariam est divisa, scilicet in *expositiones* et *derivationes*. Pars glossematica peculiaria quaedam continet[1]), quamquam graviora in ea exstare non videntur, quoad ex excerptis a Loewio relictis mihi iudicare licuit. In derivationibus testimonia exstant aliquot ex Plauto, Terentio, Ovidio, Iuvenale, Persio desumpta, pleraque eadem quae in cod. Stuttgardiensi leguntur. In universum tamen observavi Osbernum ab his derivationibus longius

1) Expositiones quae dicuntur triplicis generis sunt: aut exhibent glossas hebraicolatinas, aut graecolatinas aut latinolatinas. Ab his quas tertio loco posui pendet horum librorum in rebus glossographicis auctoritas. Excerpsit Loewe aliquot glossas (ex cod. 17151): *Antica anterior pars corporis. Arvales fratres pueri qui pro arvis sacrificabant. Agrippa qui cum dolore nascitur. Indugredior ingredior. Indusio orno vel induo. Instrico defendo. Menica membranula cerebri. Muncus qui de naribus fluit. Meracus purus. Mucculentus mucco infectus.* Glossas theodiscas inde edidit Docen (Aretins Beitr. zur Gesch. und Literatur, München 1806) p. 288 sq. Expositiones, non derivationes etiam cod. Laurentianus 16,5 saec. XII continet, quem descripsit Steinmeyer IV p. 430 sq. Ceterum similia codicem Vindobonensem 894 saec. XII habere ex Goldmanni excerptis perspexi.

abesse quam a Stuttgardiensibus. Velut p. 407 Osbernus habet: *hic partus quod componitur hic parmeus, ei, ·i· partus means.* Idem est apud Hugucionem. Pro quo in cod. Stuttgardiensi sic est: *hic partumeus ·i· per partum means*; in Monacensi 17153: *parturiens ·i· per partum means. Parturiens* falsum est; nam *parturio* subinde sequitur. Illud *Partumeus* corruptum est ex *Pactumeius* (ita libri meliores; *partumeius* alii) Hor. Epo. XVII 50; quod cum transisset in *Partumeus*, male explicatum est *per partum means*, a *Partumeus* (non a *Parturiens*) pendet *Parmeus* Osberni, quod Hugucio fideliter transcripsit. Sed haec hactenus; fortasse alii hanc quaestionem maiore evidentia profligabunt.

Praeter derivationes quae pro fundamento sunt Panormiae multa Paulum contribuisse iam supra monui: cuius epitome ut saepissime ita licentissime exscripta est. Propono aliquot exempla propter hanc vel illam rem notabilia. 1 (p. 27 = 49ª): *autarium cibus qui mensae vacuatae superadditur* (= Paul. p. 14): *auctarium dicebant antiqui quod super mensuram vel pondus iustum adiciebatur*): ubi ridiculo modo erravit Osbernus. — 2 (p. 133 = 147ᵇ): *crebrifurus ·i· locus crebro habens fures* (= Paul. p. 59: *crebrisuro apud Ennium significat crebris suris, id est palis, munitum*). — 3 (p. 410): *hispedicosus a verme quodam hispedicosis, unde quidam: hispedicosis ubi me vidit caput abscondit, pedem contraxit* (= Paul. p. 211: *pēdes dicuntur quos diminutive dicimus pediculos. Ab his pēdicosi appellantur, ut est illud: pedicosus, squalidus ubi me vidit, caput scabit, pedes legit*). Qui haec excerpsit, *pēdes* et *pĕdes* confudit, animal male confinxit, testimonium pessime corrupit. Cf. Osbernus p. 481ᵇ. — 4 (p. 366ª): *mattici homines malarum artium* (= Paul. p. 126: *mattici cognominantur homines malarum magnarum*). — 5 (p. 398): *offendices nodi quibus libri signantur* (= Paul. p. 204: *offendices dicebant ligaturae nodos quibus apex retinebatur*). *Apex* pro *scriptura* accepit Osbernus; cf. Thes. gl. sub h. v. — 6 (p. 470ᵇ): *pila etiam vocatur effigies hominum in compitis posita* (= Paul. p. 239: *pilae et effigies viriles et muliebres ex lana Compitalibus suspendebantur in compitis* e. q. s. — 7 (p. 490): *rava ·i· vox rauca* (= Paul. p. 283: *rava vox rauca et parum liquida*). Osbernus 'rava' pro substantivo accepit. — 8 (p. 620): *antiqui dicebant . . . vefabam ·i· parvam fabam* (= Paul. p. 379: *vegrandem fabam minutam dicebant*). Quae octo exempla certo quodam consilio electa esse facile cognosces. Multis quidem locis Osbernus quae invenit simpliciter transcripsit, multis tradita auxit contraxit mutavit ridiculis erroribus admissis. Vbi Paulus verbum finitum habet, Osbernus saepe infinitivos praefert; pro casu aliquo nominativus, pro plurali singularis ponitur; non semel verba synonyma exstant, ut p. 241ᵇ (*fresus*) *con-*

cussa pro *fracta* (Paul. p. 91); p. 261ᵇ (*grallator*) pro *saltator* est *cursor* ex testimonio nimirum (Paul. p. 97); p. 132 (*crucium*) *tormentum quodlibet* pro *quod cruciat* (Paul. 53). Vbi plures significationes habet Paulus, unam aliquam elegit Osbernus; saepius diversa interpretamenta contaminantur, velut p. 54 et 452: *appluda sorbitiuncula ex paleis facta* ex his: *genus paleae frumenti . . . sunt qui sorbitionis putent genus* (Paul. p. 10). Non semel loci scriptorum allati decurtantur; aliquoties ex aliis fontibus augentur et supplentur, velut p. 254. 262: *unde Plautus in Epidico: quae est haec muliercula et ille gravastellus qui advenit,* pro quibus Paulus p. 96: *Plautus: qui est gravastellus qui advenit,* scilicet ex codice octo priorum fabularum. P. 353 = 364ᵇ nomen Catonis recte positum est, cum apud Paulum p. 155 sit: *ipse qui supra*; diligentia igitur solito maiore utitur Osbernus. Quamquam nomina saepe errores ostendunt, ut *Ennius* exstat p. 131 pro *Naevius* (Paul. p. 58), *Caecilius* p. 360ᵃ pro *Ennius* (Paul. p. 123), *Plautus* p. 372. 376 (adnictitare) pro *Naevius* (Paul. p. 29): quales errores levitati Osberni tribues, non fonti. Nec tales desunt loci ubi Osbernus explosis eis quae apud Paulum invenit alia, etiam sua etyma praetulit, velut p. 128: *cercopa ·i· certator et dicitur cercopa quasi certans copiose,* pro quibus prorsus alia exhibet Paulus p. 56. Ab hac etymologica sapientia audacter eo progressus est, ut nova vocabula confingeret; velut ex Pauli p. 224 (*Promulco agi dicitur navis, cum scaphae ducitur fune*) p. 481ᵇ fecit *Promulcus funis cum quo navis ducitur*; inde *promulgare navim ducere*; item ex Pauli p. 279 (*Remulco est cum scaphae remis navis magna trahitur*) haec p 505ᵇ: *remulcare navem ducere, unde et remulcus ·i· funis cum quo navis ducitur.* Neque *promulgare* neque *remulcare* ceteroquin inveniuntur. P. 607 sunt haec: *vesticeps pis ·i· iuvenis qui barbam iam habere incipit et componitur investiceps . . , qui etiam investis dicitur*; ex *vesticeps* igitur et *investis* excogitavit *investiceps.* P. 366ᵃ habet *madulfus* pro *madulsa* (Paul. p. 126); p. 517 ex *petilam suram significat ungulam equi albam* (Paul. p. 204) elicit p. 403ᵃ *petulus equus qui albos habet pedes*; p. 517 quod est apud Paulum p. 203 in testimonio *sacerdotula* interpretatur '*sacerdotis filia*'. Saepius Osbernum ordines integros vel paene integros Pauli ante oculos habuisse iam p. 203 adnotavi, unde constare videtur aut ipsum Paulum aut certe glossarium ex Paulo derivatum ei praesto fuisse. Quod quamquam ita se habet, tamen si vera sunt quae exposui, subsidia critica Pauli nullum ex his fructum capere posse satis apparere existimo.

Praeter Paulum etiam Priscianum saepissime exscriptum esse ab Osberno nemo mirabitur, qui quanta floruerit auctoritate hic grammaticus apud doctos medii aevi reputaverit. Ipsum autem Priscianum

adisse Osbernum, non ex glossariis Priscianeis hausisse (ut e Bern. 243) inde concludemus, quod septem locis, siquidem recte Maius testatur, nomen illius grammatici diserte apponitur. Quamquam noli putare, paucis quibusdam locis contineri excerpta Priscianea; immo frequentissima exempla inde translata esse hisce credes testimoniis certo consilio compositis: 1 (p. 407): *puellus iuvenis: unde Plautus in Lenonibus: dolet hic puellus sese circumduci* (GR. L. II p. 231, 21). — 2 (p. 119): *caruncula . . . unde Varro: quivis potius homo quam caruncula nostra est.* Cf. GR. L. II p. 209, 3 (ubi est: *Varro in Andabata*; saepius autem tituli sunt omissi). — 3 (p. 116): *citer . . . pro interior . . . ut Cato: citer, inquit, agnus erit alligatus ad sacra.* Cf. GR. L. II p. 85, 5: *Cato de agna pascenda: citer ager alligatus ad sacra erit*: ubi *ager* ex titulo falso in *agnus* correctum est. — 4 (p. 274): *holerare: unde Caecilius: meum, inquit, hortulum plus holero quam stercoro.* Cf. GR. L. II p. 274, 25: *Gn. Mattius: meos hortulos plus stercoro quam holero*; quem locum p. 394 iterum adfert Osbernus: *olero·i· olera plantare: unde quidam poeta: meos hortulos plus olero quam stercoro* (cf. etiam p. 518). — 5 (p. 416): *pinsa . . . sacella cum qua pasta maceratur, unde quidam poeta: neque pinsis pinsui neque palatis molui* (v. p. 469ª). Cf. GR. L. II p. 535, 20: *pinso pinsui facit praeteritum, quod Probus usu Pomponii comprobat: neque malis molui neque palatis pinsui.* Quomodo Osbernus illud *pinsa* excogitaverit, non satis liquet, nisi contaminationem factam esse sumimus. — 6 (p. 305): *pellicio is ·i· desipere et facit praeteritum pellexi vel pellicui, unde Livius: quaepiam te mulier Lydio fulgens ornatu et gratia pellicuit* (v. p. 416). Cf. GR. L. II p. 496, 27: *pellicui quoque pro pellexi veteres protulerunt. Laevius in Laodamia: aut nunc quaepiam alia te illo Asiatico ornatu affluens aut Sardiano ac Lydio fulgens decore et gratia pellicuit.* Osbernus non modo contraxit, sed etiam quaedam mutavit. — 7 (p. 178ª): *delitor qui aliquem occidit. Accius: fictor scelerum, fratris deditor delitor.* Cf. p. 301: *Perlino is, quod aliquando dicitur pro occidere, et inde hic perlitor, ris ·i· occisor, unde Accius: fictor scelerum, fratris perlitor.* Pro fundamento est GR. L. II p. 490, 15: *Accius in Atreo: Epularum fictor, scelerum fratris delitor.* Ribbeck in ed. maiore Osberno nimiam fidem tribuit. — 8 (p. 86): *occano, unde Sallustius: iussu Metelli Celeris cornicines occanuere tubis.* Cf. GR. L. II p. 529, 5: *iussu Metelli cornicines occanuere.* Vbi *tubis* et *Celeris* aliunde addidit Osbernus, nisi ipse finxit. — 9 (p. 389): *hae aborigines num ·i· superfluae quaedam frutices, quae non naturaliter, sed vitiose in arboribus vel etiam in campis oriuntur; unde Cato: ager, inquit, quem Volci habuerunt plenus aboriginum fuit; et dicuntur aborigines quasi seorsum ab origine* (cf. p. 54ª: *aborigines arbutus non plantata, sed sponte crescens. Cato: ager*

quod Volsci habuerunt aboriginum plenus fuit). Cf. GR. L. II p. 182, 7: *idem* (i. Cato) *in I Originum: agrum quem Volsci habuerunt campestris plerus Aboriginum fuit.* Pro *plerus* scripsit Osbernus cum cod. R *plenus*, coniunxit hoc cum *Aboriginum, aborigines* interpretatur per *herbas steriles campi.* — 10. Quae exempla qui consideraverit, non dubitabit quibusdam locis de contaminatione cogitare, velut his (p. 332): *hoc momentum, ti, eo quod cito etiam transitu moveatur*; ... *Inveni quoque hoc momen, nis, pro momento, unde Ennius: vestro sine momine venti.* Cf. Hugucio, cuius verba in Ind. Ien. 1885/86 et in 'Mélanges Boissier' p. 225 exscripsi. Quodsi verba Osberni pro fragmento Enniano circumferuntur, nunc certe improbo. Paulus p. 140 exhibet: *Momine momento. Lucretius: momine si parvo possint elementa moveri*; haec autem Priscianus GR. L. II p. 126, 7: *nuo numen ... unde Virgilius: meo sine numine venti i. e. sine meo nutu* (cf. Aen. I 133). Osbernus legit *momine* pro *numine*, nomen scriptoris, ut saepe, mutavit, pro *meo* metricis rationibus obsecutus *vestro* posuit. Itaque delendum hoc fragmentum hodie quidem existimo.

Nunc demum fieri poterit, ut de aliis quibusdam 'fragmentis' rectius iudicemus quam ipsi olim et alii fecimus. Osbernus p. 332 exhibet: *moveo ... et hic momarsiculus, li, ·i· stultus qui cito movetur ad iram, unde Plautus: quid tu o momarsicule homo praesumis?* Cf. p. 360: *momarsiculus qui cito movetur ad iram. Plautus: quid ais momarsicule homo?* (Maius Plauti verba omisit.) Quae verba tam certa putata sunt, ut et aliis et mihi maiorem vim habere viderentur (cf. maiorem Plauti editionem nostram p. 169 fragmentorum; ibidem etiam Hugucionis verba exscripsimus). Nunc non dubito quin fictum sit hoc 'fragmentum' ex Pauli verbis (p. 140) hisce: *Momar Siculi stultum appellant*; unde Osbernus fecit '*momarsicule*', quem vocativum qui videtur interpretatus est interrogatione ficta, derivavit autem *m* pro *v* positum esse arbitratus (ut *primilegium* pro *privilegium* et alia multa similia) a *movendo* et *ardendo* (*movetur ad iram*), denique Plauto tribuit, cui plurima verba rara et pulchra debuit.

Huic loco graviori alia testimonia adiungo, quibus maiorem fidem tribui posse negaverim. Apud Osbernum est p. 313: *lustro ille qui vagus est et nihil agit nisi fora lustrat, unde Naevius de quodam: vagus, inquit, est et lustro.* Cf. Paulus p. 29, 5: *aleonem aleatorem. Naevius: pessimorum pessime, audax, ganeo, lustro, aleo.* Testimonium quod ad *aleo* adhibuit firmandum Paulus eadem ratione ad *lustro* transtulit Osbernus glossemate (*lustro vagus est*) cum testimonio contaminato. Similis condicio est horum verborum (p. 372): *nicto ... unde Caecilius de quodam cane: bene, inquit, nictit holetque.* Cf. Paul. p. 176: *Nictit canis ... En-*

nius: *nare sagaci sensit voce sua nictit ululatque*; ubi *inquit* solito more adiectum est, *Caecilius* positum pro *Ennius*; *bene* pro eo quod est *nare sagaci* illatum. Osbernus p. 175ª: *depuire verberare. Naevius*: *depuit me miseram ad necem*, unde Ribbeck fragmentum recepit per se haud absurdum. Fluxit hoc 'fragmentum' ex Paul. p. 70: *Depuere caedere. Lucilius*: *palmisque misellam depuvit me, id est verberavit me, quod ipsum ex graeco, ἀπὸ τοῦ παίειν*: ubi *miseram* ex *misellam* Lucilii desumptum est; ad *verberare* pro *caedere* cf. Paulus p. 191 *oppuviat verberat*; *ad necem* perspicuitatis causa additum est. Itaque ne hoc quidem 'fragmentum' dignum est quod inter genuinas reliquias ponatur. Quae si recte disputavi, de priscis testimoniis Osberni actum est: aut enim ex Paulo aut ex Prisciano petita sunt: nisi quod quidam Plauti et Terentii loci restant, qui ex ipsis scriptoribus, non ex illo fonte fluxerunt.

Quod ad locos Plautinos attinet, ex octo prioribus fabulis quae media aetate solae fuerunt notae excerpti sunt. Codex quo usus est Osbernus sat prope ad I musei Britannici accedit; cf. Goetz, Anal. Plaut. p. 80 adn. 13. Velut inde fluxit catalogus artificum qui in Aulularia enumerantur (cf. p. 176). Ex tali libro Osbernus ipse quae rei suae inservire videbantur mutuatus est; ad rem criticam autem Plauti ex his testimoniis tumultuaria opera et magna licentia ex libro deteriore excerptis nulla auctoritas adscribenda erit. Idem de locis Terentiahis valet: quorum pars ex grammaticis propagata nobis notis, pars maior ex codicibus petita est: quae testimonia nihil ad verba emendanda conferre iam Umpfenbach perspexit. Nec maiorem fructum ex hac farragine Horatius, Vergilius, Ovidius, Iuvenalis, Persius, Statius, Lucanus capient, quae testimonia ex parte certe iam in Derivationibus invenit Osbernus, aut Martianus Capella et Macrobius non raro diserte excitati, aut denique Ambrosius, Sidonius, Prudentius, Iosephus, Hieronymus cum vulgata, Macer (*de virtutibus herbarum*), alii. Quaecumque testimonia examinavi, inutilia esse vidi, de aliis desperavi. Verba singularia quae hic auctor habet raro fidem invenient; longe plurima sunt suspecta vel aperte falsa.

In numero fontium quos nondum tractavi etiam Isidorus est, ex cuius Originibus permulta transcripta sunt. Saepe ipse Osbernus hoc indicavit verbis usus '*secundum Isidorum*' vel similibus; sed multo plura sunt quae sine tali additamento profert. Velut in repetitionibus non semel maiores ordines ex Isidoro compilati sunt, ut p. 174 quae de navi eiusque partibus exponuntur (Orig. XIX), p. 276 de *vermibus* eorumque generibus (Orig. XII 5), p. 262 de *vasculis* (Orig. XX 5, 6 cum additamentis aliunde assutis). Ne haec quidem Osbernum diligen-

ter tractavisse dixeris, velut in eo capite quod de *furiis* est: de quibus p. 210 satis recte disputavit Isidorum simpliciter secutus; in repetitionibus autem (p.240^{b}) maiorem doctrinam ut ostenderet, ex Orig. VIII 11,97 quaedam adiecit, unde talia evaserunt: *furiae eo quod feriant, quae pluribus modis dicuntur: nam hamadryades sunt furiae fontium, Oreades montium, Maiades (?) camporum, Dryades silvarum, Naiades maris, quae et Nereides dicuntur, Eumenides inferni.* Saepius suum ipsius ingenium ostendere temptat, ut p. 320, ubi sic est: *hic lardus, di, eo quod igne consumatur,* secundum Isidorum, ut opinor (XX 2, 24): *lardum eo quod in domo repositum conservatur*; *nam antiqui domos lares dicebant.* Cum autem Osbernus modo haec scripsisset: *lar pro domo, quod etiam pro igne dicitur*, pro *domo* intulit *igne,* scilicet quia in suo exemplari *consumatur* pro *conservatur* aut legit per errorem aut invenit. Tali modo saepissime male adscitus est Isidorus, quod semper notare inutile sit.

Haec autem Isidori excerpta ansam dederunt coniecturae qua Osbernus librum glossarum ante oculos habuisse putatur. Quae supra exposui diligenter qui legerit, non habebit, cur, ut exemplo utar, fragmentum Ennianum in quo *agea* exstat (492 Vahl.) ex libro glossarum potius quam ex Isidoro derivet. Quodsi Loewe Prodr. p. 240 dicit Osbernum (et Hugucionem) aliqua ex parte ad librum glossarum redire, ipse ('Der Liber gloss.' p. 256) hoc demonstrare cur difficile sit significavi. Nam si loci afferuntur, ut (p. 79^{b}) *bissumare bis transire = bis innare bis transire* (ubi cod. Bern. habet *bissinare*) et (p. 366^{b}) *machil tunica talaris et hiacynthina tota = machil quod est tunica talaris tota iaquintina habens ad pedes septuaginta duo tintinabula totidemque intermixta ac dependentia punica mala,* respondendum erit etiam Papiam habere formam decurtatam (*machil est tunica talaris tota hiacynthina*); itaque potius de glossario aliquo ex libro glossarum pendente cogitandum erit, qualia etiamnunc exstare exposuimus. Si quis tamen contendere mallet ex ipso libro glossarum talia fluxisse, diceres evidentiora vestigia exspectanda fuisse. Nec 'glossae nominum' quae sunt apud Osbernum, ut p. 140^{b} *Cerealium ·i· domus ubi panes inciduntur et administratio paratur* (cf. Thes. gl. s. *Cerearium*) et *Calculosus infirmitatem habens quae calculum dicitur* (cf. ibidem), demonstrare possunt librum glossarum inspectum esse, cum tales glossae dudum viam in alia glossaria invenissent (cf. t. II p. XLIV). Glossaria autem Osbernus etiam aliis locis adhibuit, velut multae glossae inde ab 'Abactor' p. 59 ad glossaria merito revocandae sunt; sed si modo vestigia apertiora quae esse videntur te deprehendisse credideris, haec rursus paulo post funditus delentur. Certa et aperta vestigia ipsius libri glossarum exstare nondum quisquam demonstravit. Multa quae cum libro glossarum con-

spirant ex Isidoro hausta sunt, cuius infinitum locorum numerum in librum glossarum transisse supra docuimus.

Ad alios fontes ut pergam, etiam Macrobium non raro usurpatum esse constat, cuius nomen plus septuaginta locis invenitur. Ex Macrobio certe, ut unum exemplum afferam, genera pirorum et pomorum p. 196 allata fluxerunt (Sat. III 19, 2), quamquam interpretamenta aut de suo aut ex alio fonte adiecit Osbernus. Permulta testimonia ex Martiani Capellae libro medio aevo famosissimo desumpta sunt, ad quem quanto Osbernus studio se etiam in praefationibus adiunxerit notum est. His adde Hieronymum, interpretes librorum biblicorum, Prudentium, Rhabanum, Vitas sanctorum aliquot, scriptores alios quosdam aut ab ipso exscriptos aut ex fontibus aliis translatos, quibus usus est, ut sibi doctrinae summae speciem tribueret: sed haec doctrina revera ex aliis aliquot libris corrasa est et tot erroribus et neglegentiae exemplis inquinata, ut eius auctoritas aut suspecta aut debilis esse videatur.

At, inquies, in repetitionibus multae glossae exstant, quarum fons cum hodie deperditus sit, fieri potest, ut in his reliquiae exstent per se haudquaquam inutiles. Quod ita se primo obtutu habere posse concedo; at accuratius quaerenti spes nimia fallax visa est. Remanent enim omnibus illis glossis quarum fontes deteximus neglectis quattuor glossarum genera haec: 1) glossae veteres; 2) synonyma; 3) ficticia vocabula ab ipso Osberno excogitata; 4) novicia vocabula ex fontibus recentioribus vel ex usu illius temporis adscita. Haud paucae harum glossarum dudum notae sunt; nam Panormiam iam Scaligerum sive quisquis fuit glossis Isidori quae dicuntur adhibuisse satis constat. Etiam illud observavi saepius maiorem auctoritatem his reliquiis adscriptam esse quam par fuit, velut ab O. Muellero in Festi adnotationibus; cf. Loewe Prodr. p. 48 sqq.

Atque glossae vetustiores, ut de his quattuor generibus paucis disseram, tantum non omnes ex aliis glossariis nobis notae sunt. Si quae sunt de quarum fonte nihil constet, cavendum erit ne falsa specie decipiamur. Velut si p. 333 (= 369^{b}) exstat: *magnamentum ti ·i· divinamentum*, in quibus et lemma et interpretamentum mirum est. At collato Thesauro glossarum intelleges subesse glossam Vergilianam hanc (Aen. VI 11): *magnam mentem divinam mentem*. P. 80 est: *broca marina belua eo quod sit grossa*; ubi Papias: *broca labrosa belua maris*. Subesse videntur hae duae glossae: 1) *brocca labrosa*; 2) *boca belua marina* (cf. Thes. gl.): quam contaminationem cum Osbernus invenisset, pro *labrosa* quae vox ei ignota fuit scripsit *grossa*. P. 79^{b} est: *bitalassus vestigium in luto impressum*; ubi prona esset suspicio contaminationis,

nisi Diefenbach aliam viam ostenderet, qui p. 572 habet: *talassus talafus*; unde conicias subesse *talatrus* (cf. *talatrum* in Thes. gl.). P. 246 est: *Familicosus familia plenus*, in quibus latet: *Famelicosus fame plenus*. P. 469ª est: *Palliator philosophus*, ubi subest *Palliatus*: cf. Mart. Cap. II § 213: *multus praeterea palliatorum populus*, ex quo loco talis glossa facile potuit enasci. Vnde animus inclinat ne eis quidem glossis fidem habere, quae per se suspicionem minus movent.

Synonyma in repetitionibus non uno loco exstant, velut p. 49 ex littera A: *Actutum cito perniciter ocius ilico extemplo protinus velociter curriculo festinato festinanter celeriter mox protinam mature acceleranter propere citatim citanter*. Quorum vocabulorum plurima sub *cursiliter* (p. 139) redeunt, alia plus quam semel, ut sub *protinam* et *festinatim*. Synonymorum collectiones exstare multas, vetustiores adscribi Ciceroni supra vidimus. Quae synonyma studiis rhetoricis destinata per medium aevum propagata, aucta, verbis ficticiis interpolata circumferuntur; studiis certe nostris quae ad vetustiora inprimis tempora pertinent paucissimi fructus ex his noviciis collectionibus accedent.

Tertium glossarum genus a quarto ratione quidem perfacile, reapse tamen aegre distinguitur. Novicia esse mihi quidem videntur plurima diminutiva, quae Osbernus aut solus aut ante alios exhibet, ut *mendaculus* p. 360ª, *mordaculus* p. 362ª, *procaculus* p. 468ᵇ, *pugnaculus* p. 468ᵇ, *mercedula* p. 361ᵇ, *maciecula* p. 363ᵇ. Talium diminutivorum tantus est numerus, vix ut probabile sit venisse ea ex scriptorum illius aevi libris. Osberno porro tribuo adverbia frequentissima in *im* exeuntia, in his satis mira, ut *latiatim* pro *latine* p. 329ª, *micatim* p. 366ª, *consuetim* p. 536, *humatim* p. 266; 275, *humectatim* p. 266, 275, *nodatim* p. 380, alia multa quae nimia credulitate composuit C. Wagener [3] II p. 549 (plus quam centum nova exempla habet Osbernus); porro adiectiva in *osus* exeuntia, ut *longinquosus* p. 326ᵇ, *morbidosus* p. 367ᵇ, *duriosus* p. 175, *foedosus* p. 244, *divisiosus* p. 176; substantiva, ut *opitulamen* p. 399ª, *ligurimen* p. 327ᵇ, *sospitulamen* p. 561ᵇ; *fidiamus* p. 246ª; verba ut *ingranare* = *grana in horreum ponere* p. 244ᵇ, *inhumanicare* p. 292ᵇ, alia. Testimonia Diefenbachii, utpote quae ex hoc fonte petita esse videantur, non commemoro. His et similibus exemplis lexicon latinum recte non ornatur: quibus tamen non semel abusus est C. Wagener l. s. s.

Quarti generis vocabula ex libris auctorum illius temporis[1]) quo floruit Osbernus excerpta esse existimo sive ex cottidiano usu et hominum commercio adsumpta. Talia enim non exclusisse Osbernum

1) Velut quae de voce 'glis' proferuntur p. 264 *Glis animal, glis terra tenax, glis lappa vocatur* e. q. s. ex Alexandri de Villa dei carmine grammatico v. 445 sq. ed. Reichling exscripta sunt.

ostendunt vocabula gallica, italica, germanica, quae ex parte iam commemorata sunt, ex parte a Maio in praefationis fine enumerata inveniuntur. Eodem pertinere vocabula 'latina' velut *conestabularius* p. 466ª, *pedana catena* p. 467ᵇ, *incanivare* = *incanippare* p. 292ᵇ, *lecator* et *lecacitas* multis locis, *lavorium* p. 295ᵇ, *luctuare* p. 328ª, *frissa carbonella* p. 244ª, *porcistetum* p. 476ᵇ. Talia apud Cangium et Diefenbachium frequentissima sunt, ex hoc nimirum fonte derivata, quamquam potius Hugucio, Iohannes de Ianua testes proferuntur; in lexicis latinitatis medii aevi haec locum habebunt, a thesauro linguae latinae rectius excluduntur. Sed satis iam de hoc 'thesauro novo latinitatis' quem dixit Maius vel de 'Panormia', quod nomen ipse auctor secutus fortasse exemplum Ivonis Carnotensis, cuius 'Panormiam' commemorat Loewe Prodr. p. 241, libro suo dedisse videtur.

§ 53. Pergo nunc ad tertium horum grammaticorum qui summa olim auctoritate floruit Iohannem Ianuensem, cuius Catholicon multis etiamnunc codicibus servatum — plus quam quinquaginta notavi exemplaria, quorum maior pars ad XIV saeculum pertinet; sed multo plura exstare scio, quorum in meis excerptis ratio haberi non potuit — inter opera encyclopaedica et grammatica saeculis decimo quarto et quinto studiis multorum hominum doctorum pro fundamento fuisse constat. De auctore glossarii Iohanne copiose tractat Echardus (Script. ord. Praedicat. I p. 462 sq. II 818; adde Histoire litt. de France XII 13—15, Oudin Commentar. de scriptor. Eccl. III 577, Berger l. s. s. p. 25, Loewe Prodr. p. 247, ut alios mittam): se esse Genuensem ipse testatur sub *Ianua*: '*Item a ianua porta dicta est Ianua quaedam civitas potens nobilis pulcra et dives iuxta mare sita, et est quasi introitus et porta Lombardie, Tuscie, Provincie. Huius civitatis oriundus fuit compilator praesentis libelli qui dicitur Prosodia vel Catholicon. Compilator siquidem huius operis dictus frater Iohannes Ianuensis de Balbis de ordine fratrum Praedicatorum modicus. Qui etiam compilavit alium libellum in theologia qui dicitur dialogus de quaestionibus animae ad spiritum. Qui etiam composuit quoddam opus pascale, ubi scilicet de facili reperitur Pasca. Sed hoc opus pascale composuit antequam ordinem intraret.*' Ad finem perduxit Iohannes Catholicon anno 1286 ('*in millesimo ducentesimo octogesimo sexto anno Domini Nonis Martii ad finem usque perduxit*' in fine exstat); est opus '*ex multis et diversis doctorum texturis elaboratum atque contextum ... per multa annorum curricula*': quibus adde ex praefatione haec: '*operis quippe ac studii mei est et fuit multos libros legere, ut ex plurimis diversos carperem flores*'. Notabilia sunt quae sub *Littera* leguntur: '*Non semper illae consonantes in dictionibus grecis aspirantur, et propter hoc difficile est scire et maxime mihi non bene scienti linguam grecam*'.

Liber inscribitur *Catholicon*, de qua inscriptione (*incipit summa quae vocatur Catholicon*) ipse: *Principaliter autem*, inquit, *in isto tractatu sive libro intendo de prosodia, licet etiam de aliis tribus partibus aliqua hic tangam. Vnde tractatus iste tamquam a principaliori intento si placet prosodia nuncupetur, vel si magis placet liber iste vocetur Catholicon eo quod sit communis et universalis*; *valet siquidem ad omnes fere scientias* (usus sum exemplari Ienensi pulcherrimo s. l. et a.). Partibus autem constat quinque, quarum prima est de orthographia, altera de accentu, tertia de etymologia et diasyntastica (!) vel diasynthetica, quam syntaxin intellegit, quarta de figuris, quinta de prosodia, qua quidem parte continetur lexicon, in quo etiam saepissime de quantitatibus agitur. Quod lexicon ex quibus fontibus sit compilatum facile cognoscimus, cum ipse fontes suos multis locis aperuerit.

Atque principales fontes duo sunt: derivationes Hugucionis et Papiae elementarium, qui saepissime coniuncti afferuntur, velut sic sub *Agonitheta*: ‘*Agonitheta te penul. acuta communis ge. qui vel que est in agone, id est pugil secundum hūg. Papias vero dicit* e. q. s. Sed capita Hugucionis in elementa sua disiecta et secundum severum litterarum ordinem disposita sunt, ut pro uno articulo plurimi eique minores evaderent. Nec non contrarius ordo invenitur, ut sub *Abdomen* (*secundum Papiam. Huḡ vero dicit* e. q. s.); aliis locis solus Hugucio aut solus Papias adhibetur. Ab Hugucione inprimis derivationes desumuntur; testimonia non uno loco abiciuntur; nisi quod Horatii testimonia aucta sunt. Etiam ex sacra scriptura multi loci afferuntur, haudquaquam omnes ex Hugucione aut ex Papia. Ad Priscianum haud pauca revocari possunt, quem Iohannes in rebus grammaticis praeter ceteros consuluit; post illum Donatum adiit. Accedunt excerpta ex Isidoro, patribus ecclesiae, ut ex Hieronymo, Gregorio, Augustino, Ambrosio. Ex Hieronymo sive ipso sive glossariis tralaticiis intercedentibus multa vocabula hebraica fluxerunt; ex glossariis ad vulgatam quae dicitur spectantibus plurimi loci Veteris et Novi Testamenti. Sed his adnotationibus ex remotiore antiquitate delibatis etiam doctrinae sui temporis adiecit testimonia plurima[1]), ut Eberhardi Bethuniensis Graecismum saepissime exscripsit vel Petri de Riga Auroram quae dicitur (quam in solis litteris A et B his sub vocabulis eum attulisse testis est Reichling in praef.

1) ‘. . . *unde superabditativa dicitur negatio que additur negationi et nichil cooperatur plusquam precedens; ut in vulgari solet dici: ego non habeo nichil, quod non plus valet quam si diceretur: ego nichil habeo* (verba exscripsit Loewe Prodr. p. 247). Cf. etiam quae Reichling in ed. Doctrinalis Alexand. de Villa-Dei praef. p. VIII sqq. exposuit.

Doctrinalis Alexandri de Villa-Dei p. XIX: *Acetum, Agabus, Agrippa, Albugo, Alchimus, Allophilus, Alo, Amens, Antigonus, Antipater, Apocalipsis, Apollonius, Aratrum, Architriclinus, Aroma, Assecla, Assur, Atrox, Auguro, Azimus, Beniamin, Bidens, Bitumen, Butyrum*), vel Alexandri de Villa-Dei Doctrinale, alios. Atque Iohannis inprimis opera factum est, ut quae olim in glossaria et derivationes, inde in Osberni et Hugucionis libros translata essent testimonia antiquae doctrinae, mutata et aucta ad recentiores libros traderentur, unde in Cangii, Diefenbachii aliorumque thesauros penetrarunt.

CAP. XVIII. DE GLOSSARIIS NOVI ET VETERIS TESTAMENTI

§ 54. In glossariis saeculorum septimi, octavi, noni non paucas glossas ad sacram scripturam revocandas exstare identidem monui. Cum enim in monasteriorum umbra nata et conservata essent haec litterarum monumenta, scilicet institutioni potissimum puerorum et adulescentium Christianorum destinata, inprimis sacrarum rerum ibi rationem haberi par fuit. Sed de glossis illis sacris opusculis profanis insertis hic nolo agere; de glossariis nunc quibusdam disputabo quae ad illustrandam ipsam sacram scripturam, h. e. vulgatam quae dicitur, se spectare aut inscriptione aut materie glossematica aperte testantur.

Plenioris glossarii 'Abavus' hanc esse inscriptionem: *Incipiunt glosae ex novo et veteri testamento seu ex ethimologiarum spiritaliter compositae* supra (p. 136) diximus (in quibus noli cum Arevalo Isidor. LXV 32 pro *spiritaliter* reponere: *specialiter*); quam inscriptionem per se minus aptam esse, cum paucissimae tantum glossae ad novum aut vetus testamentum pertineant, ibidem adnotavi: nempe translata videtur ex glossis 'Abrogans', quae cum glossis 'Abavus' confusae et contaminatae toti glossario quasi titulum dederunt. Glossarum 'Abrogans' optima nunc utimur editione ea quam Eduardus Sievers et Elias Steinmeyer in primo glossarum palaeotheodiscarum volumine p. 52—270 publici iuris fecerunt: quae glossae male Keroni nescio cui adscriptae quomodo cum 'glossis Hrabani Mauri' cohaereant, ex eadem editione cognosces. Ceterum hoc glossarium etiam sine interpretamentis theodiscis exstare in codice Caroliruhensi Aug. CXV R. Koegel in libello de his glossis scripto (Über das keronische Glossar. Halle 1879) adnotavit. De glossis ipsis idem p. II sic iudicavit: 'Der biblische Bestandteil, auf welchen die Überschrift *Incipiunt glossae ex novo et vetere testamento*, die in allen Handschriften auch der gl. Hr. überliefert ist, hinweist, ist keineswegs bedeutend; vielleicht besteht er nur in den an das Ende einer An-

zahl Buchstaben von einem Interpolator angehängten Erklärungen biblischer Namen, die ganz aus der Buchstabenfolge herausfallen' (cf. idem p. XLVII). Ac sane quamquam etiam in reliqua parte sacrae scripturae non ita pauca sunt vestigia, tamen certum est has glossas a ceteris quarti voluminis glossariis profanis non posse disiungi: quod ita se habere ex glossis ipsis cum nostro Thesauro comparatis tibi facile persuadebis. Satis igitur habeo ad ea relegasse, quae p. 136 de ratione quae cum maiore glossario 'Abavus' cohaereant disputavi. Ceterum conferre iubeo quae idem Koegel 'Gesch. d. d. L. I²' p. 426 sqq. docte exposuit; quibus addenda quae J. Stalzer 'Zu den hrabanisch-keronischen Glossen', Grazer Festgabe zur 50. Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner, Graz 1909, p. 80—90 summa diligentia et egregio successu protulit; neque denique erunt neglegenda quae G. Ehrismann 'Gesch. d. d. Lit. p. 245 adnotavit.

Maiore iure eadem inscriptio inditur glossario illi, quod in innumerabilibus exemplaribus ab nono saeculo modo duplici modo simplici recensione propagatur, ex parte edito ab Arevalo tom. VII editionis Isidori p. 407 sqq. ex codice Vaticano et Isidoro futtilibus argumentis adscripto. Eiusdem glossarii partem aliquam continet cod. Leidensis 69 Voss. in 4, quem Plazidum Glogger et I. H. Hessels laudabili cura tractavisse p. 154 exposui. Quarum glossarum cum mihi excerpta ex codice Bernensi 258 (de quo cf. IV praef. p. XXI) saeculi noni praesto fuerint, totius collectionis rationem perspexi. Prior pars ab his incipit: *Incipiunt glosae in genesim in prologo. Bresith liber genesis grece latine generatio. Prologus* (scil. Hieronymi) *praefatio praelocutio, Pręsagio providentia, Pentateuchum quinque librorum, obtrectatorum detrahentium, Sugillationem suffocationem, Cudere condere, Fędare sordidare . . . Incipit liber* (scil. *Genesis*) *In principio ordinis creaturarum, Cęlum et terram informem matheriam. unde cęlestia et terrestria formata sunt, Inanis inutilis vacua ornatu.* Secuntur nunc quae edidit Arevalus, sed ut singula hic illic ordine mutato proferantur et in verbis ipsis leviter quaedam discrepent; pertinent autem Arevali glossae usque ad Regum librum secundum (cap. 3). Quas excipiunt in cod. Bernensi libri Regum tertius et quartus, post quos exstant *Item de ecclesiastica istoria*: quae etiam in codice insunt Leidensi (p. 10 Hessels); tum *'incipit brevis exsolutio* (p. 10 Hessels) *Ne vel, Viscide viscerade . . . Quoadusque inequiperabilis*; submittuntur *de paralipomenon* (Hessels p. 10 sq.); *de Salomone* (Hessels p. 11); *de ecclesiasten* (Hessels p. 11); *in cantico canticorum* (Hessels p. 11—12); *de sapientia* (Hessels p. 12); *de ecclesiastico* (Hessels p. 12 sq.); *in libro isaię prophetę* (Hessels p. 13—15); *incipit in Hieremiae* (Hessels p. 15); *incipit in hezechiel* (Hessels p. 16).

Nunc vero in libro Bernensi post *Mundum muliebrem* altera sequitur recensio, et primum quidem iterum *in Prologo genesi* et sic deinceps: qua parte continentur in universum eaedem glossae, sed auctae alienis, velut hac: *Domigena Berna compositum nomen secundum Cassiodorum b ab eo quod est bonus. er ab eo quod est hereditarius. na ab eo quod est natus id est bonus hereditarius natus atque ideo per b scribitur*; accedunt multa de animalibus, quibus saepius Plinii nomen additum est; in fol. 39^{r} legitur *in praefatione IIII evangeliorum*, deinde *in matheo* (cf. Hessels p. 21); *in marco* (Hessels p. 21); *ad hebr̥eos*; in fine est: *expliciunt glosę veteris et novi testamenti.* Priori recensioni vocabula theodisca adscripta sunt, alteri a fol. 17^{a} vocabula hibernica, de quibus consulendus Zimmer Gloss. hibern. Supplem. 1886 p. 1. 2. Insunt in his glossis non pauca quae ad Hieronymum redeunt, velut ex prologo galeato, ex praefatione in librum Iosuae, alia. Nonnulla cum Remigii Autissiodorensis commentario in Genesim comparari possunt, ut haec: *Syntagma compositionem, Hiberas nenias nenię sunt quae in tumbis i. memoriis mortuorum scribuntur quę epitaphia primo Hiberi invenerunt, Autenticos auctoritate plenos antiquos, Oeconomicon id est dispensatorium, Inanis inutilis*, alia. Similia ac liber Remigii codex Parisinus continet lat. 14432 saec. XII in fol. 129^{a}—153^{r}, ex quo Gundermann nonnulla excerpsit, velut haec ex fol. 131^{r}: *De prologo genesis. Desiderii proprium nomen. desiderius vocabatur ep̄s quidam familiaris beati ieronimi qui eum obnixe deprecatus est ut pentateuchum transferret de hebreo in latinum sermonem ad quem scripsit hanc praefationem. Prefatio latine grece dicitur prologus vel proemium vel p̄viatio* e. q. s. *Hyberia est hyspania ab hybero rege sic dicta. Nenie sunt proprie carmina lamentacionum et funerum que solent lamentatrices decantare in exequiis mortuorum que quia nullius utilitatis sunt pro ociositatibus et garrulitatibus et ridiculis ponuntur. congrue vero illi genti has ascripsit dicens hyberias nenias quoniam lamentationum mos apud eam praecipue habetur et ipsi admodum ridiculis et vanitatibus sunt dediti. hyberas ergo nenias dicit hyspanicas vanitates.* Eodem modo etiam porro verba Remigii (Migne 131 p. 53 sqq.) intolerabiliter invenies dilatata. Ceterum similia, sed breviora cod. Parisinus 2674 saec. XII continet. Praeter commentarios in Genesim etiam in alios libros veteris testamenti commentarii leguntur. Prorsus cum Remigio conspirant quae Gundermann ex cod. Parisino lat. 8484 saec. XIII excerpsit: *Prefatio latine grece prologus proemium dr̄ ·i· p̄viatio. Imen grece latine via. Presagio divinatio est vel signo futurorum* e. q. s. Certum est cum his vel similibus commentariis plerasque glossas contineri; fortasse aliis, si tanti erit, continget rem penitus explicare. Subesse veterem commentarium ante Bedam in Anglia

scriptum et quidem in schola Hadriani Africani scriptoris suspicatus est Holtzmann (cf. Koegel I² p. 517): quod quo iure dixerit, me fugit; ipse nec refutare nec confirmare possum.

Harum igitur glossarum permulti exstant codices ab octavo usque saeculo addecimum quintum, quorum partem Gundermann inspexit. Eiusdem prosapiae glossarium est Augiense codicis Caroliruhensis IC saeculi VIII, ex quo Foerster et Koschwitz (Altfranz. Übungsbuch²) p. 27 sqq. glossas haud paucas ediderunt; unde facile explicatur, id quod monuit Heraeus (Zu den lexikalischen Quellen der Reichenauer Glossen; Festschrift zum 15. Neuphilologentag Frankf. a. M. 1912) p. extrema (13), integras series quasdam conspirare cum glossario Leidensi. Descripserunt codicem Steinmeyer IV p. 399, item Holder (die Reichenauer Hdschr.) I p. 256 sqq. Ex eodem codice et aliis glossas theodiscis interpretamentis ornatas ediderunt Steinmeyer et Sievers sub singulis libris biblicis. Subscribam ad glossas Steinmeyeri p. 315 ex codice Oxoniensi Iun. 25 editas seriem congruentem libri Bernensis: *Perizomata femoralia, Signum cain id est tremen;, Versatile vibrantem. versatilis dr̄ pro eo quod quandoque venerit tempus ut etiam removeri potuisset, Concidit mutavit colorem vultus sui, Maledicta terra in operibus tuis hic non opera colendi sed peccata exprimit, Sin si non sic, Num dicis, Aeden sacratissimum ipsum paradysi locum interpretatur oriens, Abitavit in terra haid. in hebręo hab nod id est instabilis, Pro videlicet, Famosi fama nominati, Levigatis limpidatis, Bitumen genus gluti alii piculam alii resinam, Cataractę fenestrę, In articulo diei initio diei, Convallem illustrem proprium nomen vallis, Tadal rex gentium qui super multas gentes regnavit eo quod in diebus eius divise sunt linguae, Rafaim et reliqua nomina provinciarum sunt, Expeditos vernaculos qui sine uxoribus sunt. vernaculus qui in domo ut servus ... Ferus iracundus indomitus, Sata nomen mensurę habens modium et semissem ... Vallaverunt circumdederunt ... Vim fortitudinem, Intuitus attendens ... Vepres rumices ... Quin magis vel potius ... Antrum speluncam ... Hispidus pilosus, Protinus statim, Adultis maturis, Gnarus expertus, Edulio victui esca ł esu, Parvi pendens pro nihilo ducens, Accersito vocato ... Quispiam modicum aliquid, Sevit irascitur ... Locupletatus ditatus, Invidentes invidiam habentes ... Olim in antiquo ... Iurgium rixa* e. q. s. Quibuscum si contuleris quae Steinmeyer et Sievers p. 304 sqq. ediderunt, item p. 318. 319, multa miro modo congruere inveneris. Quis primus has glossas excerpere et colligere susceperit, mihi quidem ignotum est; fortasse emergent ex codicibus, quae hanc obscuritatem discutiant. De tempore qui quaerent, post Isidorum fere octavo saeculo collecta esse conicient; neque enim vestigia vetustiora deprehendi potuerunt: videntur igitur temporibus Caroli

Magni adscribenda esse. Atque singula glossemata modo priscam et simplicem formam retinent, ut *patrarat perfecerat, Perizomata femoralia,* modo ad scholiorum naturam accedunt, ut *Bdellium in arbore colligitur et pigmentum est* vel *Stacten genus rasini preciosi ad medicamentum valet,* modo maiores quasi tractatus exhibentur, ut initio primi libri Regum ex galeato prologo Hieronymi. Cum vulgatis glossariis vetustioribus partim consentiunt, sive quod eaedem glossae iamdudum viam in vulgata glossaria invenerant sive quod interpretes Vulgatae ex talibus glossariis interpretamenta hauserunt, partim — idque multo saepius — differunt et rariora quaedam continent, quae tamen etiam aliunde sciri possunt. Antequam glossarii formam induerunt hae glossae, in commentariis vel marginibus positae esse videntur. Maioris et singularis doctrinae vestigia non deprehendi; si quae ex Plinio, Cassiodoro, Hieronymo exscripta sunt, puriores earundem rerum fontes praesto esse moneo.

§ 55. Singularem locum et auctoritatem maiorem sibi vindicant glossae Augienses, quas ex codice nunc Caroliruhensi CCXLVIII (cf. Holderi catal. I p. 557—560) saeculo VIII vel initio saeculi IX scripto (cf. de hac re nunc Foersteri commentatio 'Zeitschrift f. rom. Philol.' vol. XXXI p. 526 sq.) primus integras edidit J. Stalzer, privatim olim docens in universitate Graeciensi et magno bello litteris ereptus (cf. 'Sitzungsberichte der Kais. K. Ak. d. W. in Wien' vol. CVII a. 1906). Quae editio ut acerrimum castigatorem invenit Wendelinum Foerster l. s. s., qui lectionis haud paucos errores correxit, de compositione opusculi subtiliter quaesivit, de sermone interpretamentorum doctissime disputavit, ita laude minime indigna merito Heraeo visa est in commentatione supra p. 139 allata. Ceterum rationem qua rem suam defendit Stalzer (1. Zu den Reichenauer Glossen. Graz 1908. 2. Zu den Reichenauer Glossen. 'Zeitschr. f. östr. Gymn.' a. 1909 p. 97 sqq. 3. Die den Reichenauer Glossen zugrunde liegende Bibelversion 'Zeitschr. f. östr. Gymn. a. 1912 p. 481 sqq.) denuo percensuit Foerster nimis severo iudicio usus (Zeitschr. f. rom. Philol. vol. XXXVI a. 1912 p. 47 sqq. (quibus addenda quae anno 1915 'Altfranz. Übungsb.' p. 1 sqq. 284 sqq. dixit). Easdem glossas eodem fere tempore quo Stalzer etiam C. Hetzer tractavit (Die Reichenauer Glossen, textkritische und sprachliche Untersuchungen zur Kenntnis des vorliterarischen Französisch. Halle 1906). In eis quae secuntur missis quaestionibus grammaticis rationem qua haec glossaria cum aliis glossariis latinis coniuncta videantur paucis pertractabo.

Continentur igitur in codice duo glossaria, prius ex ordine librorum biblicorum quamvis turbato dispositum, secundum elementa litterarum

posterius. Quorum glossariorum quod prius est sic incipit: *Genesis dictus eo quod tenet exordium generationis, Subicite subponite, Producat germinat, Callidior vitiosior*, sic autem explicit: *Cymbalis cymblis, Iubilationis inexplicabilis letitie.* Singulae glossae cum eis quas modo tractavi rarius conspirant, saepius aperte discrepant. Qua in re fortasse non neglegendum est, quod glossae in Hieronymi praefationem omnino nullae deprehenduntur. At mira quadam ratione has glossas non omnes, sed plurimas coniunctas esse cum glossario 'Abavus' plenioris memoriae Heraeus in commentatione supra allata scitissime demonstravit: cuius argumentationem omni ex parte probare ac confirmare potui. Qui composuit glossarium Augiense, quocumque modo natum esse sumemus, praeter alia adiumenta etiam tali glossario ita usus est, ut quas glossas contextui simpliciter accommodare posset suas faceret: qua in re non semel infeliciter lapsus est. Velut glossae 2385 et 2386 tales sunt: *Conperit invenit cognovit conseruit scit vel dicit, Conpetitor amicus*; ubi *Conpetitor amicus* nullo modo in locum ex Maccabaeorum libro II (15, 1) petitum spectare potest. Evolve glossas 'Abavus', ubi haec est glossa: *Conperit conferuit cognovit scit vel rescit didicit, Conpetitor amicus*: nempe glossator accommodavit glossam 'Abavus', cui proximam fortasse continua scriptura iunctam incogitanter adiecit. Alia exempla eiusdem *ἀχρι-βείας* ex Heraei commentatatione petantur. Vbi lemmata non prorsus congruebant, interpretamenta accommodata sunt leviter ex loci sententia immutata; velut ad *Confisi* (Macc. II 10, 34) ex glossis 'Abavus' *Confisus satis praesumens* adscripsit *satis* (vel *fatis*) *presumentes*; ad lemma *salubris* (Macc. II 12, 46) tribus glossis 'Abavus' adscitis (*Salubrem bonum utilem, Salubre congruum sanum incolumem, Salubriora meliora*) adscripsit haec: *bonis vel utilis congruis. Sanum incolomem. Salubriora meliora*; item ad *Aperti sunt* (Matth. 3, 16) ex glossa 'Abavus' *Apertum evidens patens* adscripsit *evidunt patunt.* Denique ubi non invenit idem vel simile lemma glossator, quod ad verba sacra accommodaret, interpretamenta ipsa adhibuit ad explicationem, velut ad *Depellebat* (Macc. II 10, 14) adscripsit *excludebat* ex hac glossa: *Detrudit devellit depellit excludit.* Quae res quo magis pateat, glossas 2348—2388 subiciam adnotatione idonea ex 'Abavus' ornatas.

Agitare regere (Macc. II 9, 4); *Modeste verecunde* (II 9, 27); 2350 *Delubra templa ara fana idola. Pulvinaria quicquid in idolum colitur* (II 10, 2); *Creditas commissas commendatas. Creditum depositum in manum fide tradi-*

2348 *Agitat regit.* 2349 *Modeste verecunde.* 2350 *Delubrum templum ara fanum idola pulvinar vel quicquid in idolum colitur.* 2351 *Commissum creditum depositum, Credere committere, Depositum creditum.* Nonnulla aliunde adiecta.

tum (II 10, 13); *Depellebat excludebat* (II 10, 14); *Confisi fatis presumentes* (II 10, 34); *Detrusus inmissus*; 2355 *Barbaris indoctis incunditis. Obtusis moderatis inpertis* (II 10, 4); *Oportunitates occasiones* (II 10, 15?); *Tela flumina tela sagitta iacula arma fulmina iaculum flamma ictus* (II 10, 30); *Incedentes ambulantes* (II 10, 35); *Adgressi adorti conati sunt* (II 10, 36); 2360 *Nitentes incumbentes* (II 11, 13); *Annuit oculis consentit vel promittit. Favet venit heret* (II 11, 15); *Consolens prevídens* (II 11, 15); *Senatores patres conscripti. Senatus nobilissimi viri populo Romano iudices vel magistratus* (II 11, 27); *Accedimus ingredimus* (II 11, 36); 2365 *Pactiones institutiones. Pactum iudicium decretum* (II 12, 1); *Residerant remanserant* (II 12, 2); *Cognatus afinis proximis coniunctus* (II 11, 35); *Lacessantes provocantes detrahentes* (II 12, 14); *Stratis iugulatis* (II 13, 12?); 2370 *Infectum corruptum dissolutum tinctum* (II 12, 16); *Deicerentur delerentur prostarentur deruentur* (II 12, 22); *Conantibus vulneribus percussit ictibus* (II 12, 22?); *Iconia figura imago ictes* (?). *Molestes dolentes. Egre acerve indigne graviter iniquo animo* (II 4, 35). 2375 *Incussit inpegit* (II 12, 37). *Conlatio conferentia* (II 12, 43). *Sacrificium honorem* (II 12, 43). *Salubris bonis vel utilis congruis. Sanum incolomem. Salubriora meliora* (II 12, 46). *Solverentur desinerentur cessarentur* (II 12, 46). 2380 *Aggestum congregatum* (II 13, 5). *Obtineret vinceret* (II 13, 13). *Sedavit mitigavit Placavit linivit* (II 13, 26). *Demens id quia amens vel sine mente vel qui deminutionem habet mentis. Dementia vecordia inana stulticia* (II 14, 5). *Evidentibus manifestantibus*

2352 *Detrudit devellit depellit excludit, Detrudere expellere excludere, Detrusus inmissus inpulsus inclusus* (cf. 2354). 2353 *Confisus satis praesumens.* 2354 cf. 1252. 2355 Cf. synon. Ciceronis velut in libro glossarum, ubi eadem synonyma inveniuntur omnia (scr. *inordinatis inperitis*). 2356 *Opportunitates occasiones facultates.* 2357 *Telis sagittis iaculis vel armis* et *Fulmen fulgus vel iaculum flamma, Fulmine ictus vel ignis rapidus.* 2358 *Incedo ambulo.* 2359 *Adgressi adhorti conati sunt.* 2360 *Nitens incumbens (splendidus fulgens) vel conans.* 2361 *Annuit oculis consentit vel promittit favet venit haeret.* 2362 *Consolatis provideatis.* 2363 *Senatores patres conscripti. Senatus nobilissimi viri populi romani iudices vel magistratus.* 2364 *Accedit ingreditur.* 2365 *Pactiones conditiones* e. q. s *Pactum indicium decretum conventum* (*institutiones* ex *conditiones* corruptum videtur). 2366 *Resedit remansit placuit vel remoratus est.* 2367 *Cognatus affinis proximus coniunctus.* 2368 *Lacessit provocat inritat detrahit* etc. 2369 *Stratis occisis iugulatis.* 2370 *Infecta corrupta dissoluta tincta vel colorata.* 2371 Cf. *Deicit mactat delet deruit.* 2372. 2373 *Iconia figura imago, Ictibus conatibus vulneribus, Ictus percussus* e. q. s. 2374 *Aegre acerve indigne moleste vix.* 2375 *Incussit inpegit.* 2376 *Conlatio conferentia.* 2377 *Sacrificium honorem.* 2378 *Salubrem bonum utilem, Salubre congruum sanum incolomem, Salubriora meliora.* 2379 *Salve desine cessa.* 2380 *Aggessit congregavit.* 2381 *Obtinere vincere.* 2382 *Sedat mulcit mitigat placat lenit.* 2383 *Demens idemque amens vel sine mente vel quod deminutionem habeat mentis, Dementia vecordia insania stultitia.* 2384 *Evidenter manifeste perspicue aperte clare.*

(II 14, 15). 2385 *Conperit invenit cognovit. Conseruit scit vel dicit* (II 15, 1). *Conpetitor amicus. Verecundum pulchrum* (II 15, 12). *Habitudo species fortitudo corporis moles farine. Abitus corporis potio vel qualitas vestium seu acceptis* (II 15, 13).

2385. 2386 *Conperit conferuit cognovit scit vel rescit didicit, Conpetitor amicus.* 2387 *Verecunde pulchre honeste.* 2388 *Habitus corporis positio vel qualitas vestium seu acceptus. Habitudo corporis moles forma aut species fortitudo.*

Similiter res se habet in glossis 1442—1474 (ex primo Maccabaeorum libro), item in gl. 2259—2277 (ex Act. apost.), alibi. In aliis vestigia modo certa sed rariora, modo pauca aut paucissima inveni. Glossas quae cum Eucherio et Isidoro congruunt, ex parte certe etiam ex 'Abavus' glossario sumi potuerunt. Ceterum de Isidoro et Eucherio cf. Stalzer p. 140 sqq. Quae qui diligenter secum reputaverit, sine dubio discet qua ratione homines docti octavo saeculo sacram scripturam interpretari conati sint, de vetusta autem doctrina ex his glossis augenda desperabit. Quid Romanicarum linguarum investigatores inde discant, h. e. ex glossis non ex 'Abavus' glossario petitis, post Diezium nemo maiore successu exposuit quam Wendelinus Foerster: Hetzerum quaestionibus glossematicis minus quam grammaticis consuluisse iam Heraeus l. s. s. monuit.

§ 56 His glossis in novum et vetus testamentum in libro Augiensi quod subicitur glossariolum ad ordinem elementorum, sed primarum tantum litterarum digestum, 1725 glossas tenet, quas integras edidit Stalzer p. 87 sqq., ad fontes suos revocavit idem in commentatione anni 1908 (Zu den Reichenauer Glossen. 39. Jahresbericht des K. K. zweiten Staatsgymnasiums in Graz), deinde iterata cura anno 1909 (Zeitschr. f. östr. Gymn. a. 1909 p. 97 sqq.). De eadem re etiam Foerster disputavit a. 1912 ('Zeitschr. f. rom. Philol.' vol. 36 p. 54 sqq.). Quod glossarium non ad solam sacram scripturam pertinet, quippe in quo etiam glossae multae ad S. Benedicti regulam spectantes exstent. Quae ad sacram scripturam pertinent, magna ex parte ad Isidori 'Quaestiones tam de novo quam de veteri testamento' redeunt, partim ad primos quindecim psalmos; his, si Stalzerum sequimur, inseruntur glossae ex libris Salomonis, ex prophetis, ex Esther, Iudith, Iob, Tobias, Maccabaeorum libris, praefationibus Hieronymi, denique ex arte Donati. De his glossis illustrandis ut non omnia quae protulit Stalzer certa sunt et nonnulla adeo falsa, ita illum in universum bene meritum esse nullo modo potest negari. De quaestionibus singularibus, si tanti videbitur, nisi qui ipso codice inspecto diligenter observaverit diversitatem manuum, recte iudicare non poterit. Certus qui-

dam ordo per omnes litteras regnat. Priore in parte glossae Isidori et librorum quos dixi vulgatae locum habent miro modo mixtae et confusae, cuius rei rationem aegre expedias; posteriore in parte glossae ex regula Benedicti et psalmis quindecim primis positae sunt; in fine nonnullarum litterarum supplementa quaedam exstant eiusdem prosapiae qua glossae prioris partis oriundae sunt. Interpositae sunt aliquot glossulae aliunde ablatae. Cum glossis 'Abavus' paucissimae glossae eaeque tritissimae leviusculis in rebus componi possunt. Quodsi Stalzer putat, satis arto vinculo conexas esse has glossas cum glossario non alphabetico, opinio eum fefellit: nam quae comparari possunt sive interpretamenta sive lemmata, ex materiae et fontium congruentia repeti possunt omnia.

Duo glossaria alphabetica ex excerptis cognovi, quae inde post alios Steinmeyer et Sievers vol. I p. 271 sqq. ediderunt. Alterum exstat in cod. Oxoniensi Bodl. (Iun. 25) saeculi noni, de quo cf. Steinmeyer IV p. 588 sqq., in fol. 87^{u}—107^{u}, item in cod. Caroliruhensi Aug. IC in fol. 56^{b} sqq. saeculi noni (cf. Steinmeyer IV p. 399 sqq. Holder I p. 256 sqq.); continet glossas in libros biblicos a Genesi ad Regum lib. II. Alterum est in codice Parisino 2685 saec. decimi in fol. 58^{a} sqq.; exhibet glossas inprimis ad libros Regum et Maccabaeorum pertinentes nec non in Acta apost. satis incondito ordine se excipientes; cf. Steinmeyer IV p. 594. Etiam in his glossariis primae tantum litterae ratio habetur; ceterum ordo lemmatum idem qui est in sacra scriptura in singulis litteris servatur. Quaerenti mihi unde haec glossemata provenerint in universum eiusdem generis esse visa sunt quod in plurimis codicibus exstare diximus: inveni enim in meis excerptis quamvis minime copiosis non ita pauca lemmata consentire, nec semel eadem interpretamenta (quamquam qui transtulit haec interpretamenta latina tantum non semper abiecit), velut *Arbitris iudicibus* (Gen. 39, 11). Sed non audeo de his glossariis certius iudicium proferre, ut ad quae mea excerpta non pertineant.

Glossaria illa veteris et novi testamenti quae adhuc commemoravi, quamvis satis exilia fuerint, tamen etiam proximis saeculis, h. e. decimo, undecimo, duodecimo frequenti opera describebantur. In universum autem regnavit his temporibus auctoritas cum glossae ordinariae Strabonis Fuldensis, qui verborum interpretationi non multum tribuit, tum glossae interlinearis quae dicitur, quae satis trivialia interpretamenta continet; altera ex parte magna illa corpora consulebantur, ut liber glossarum cum Salomone et Papia, quae hebraicis glossis glossisque ad locos sacros pertinentibus ultro homines invitabant, ut etiam in studiis sacris ad suos thesauros se converterent. Quod quam-

vis ita esset, tamen etiam tenuiores illae collectiones octavi et noni saeculo denuo hic illic emerserunt. Sic vestigia quaedam deprehendisse mihi videor apud Guilelmum Britonem ex ordine minorum, qui praeter alia opuscula, quae nunc neglego, 'in prologos bibliorum' librum composuit: cuius libri pars nunc legitur in exemplaribus impressis Postillarum Nicolai de Lyra — ipse inspexi exemplar anni 1545 quod exstat in bibliotheca Ienensi — et vestigia illarum glossarum certissima ostendit. Idem Guilelmus Brito etiam Summam edidit, h. e. librum de significationibus vocabulorum in sacra scriptura usurpatorum, in innumerabilibus codicibus saeculorum tertii quarti et quinti decimi propagatum. Ipsi tractationi versus illi salebrosi praemissi sunt, quos exhibet Cangius praef. cap. XLIX; quorum primi tales sunt:

Difficiles studeo partes quas biblia gestat
Pandere e. q. s.

Ipsa 'Summa' velut in cod. Paris. lat. 521 saec. XIV sic incipit: *A littera sicut dicit ysidorus in primo libro ethimologiarum ideo in omnibus linguis est prior quia ipsa nascentium vocem aperit unde dicitur ... Item dicit Priscianus in tractatu de interiectione ... Abba sicut dicit glosa ad gal'* IIII *hebraicum nomen est ... Papyas vero dicit quod syrum est et hebreum ... Abdicare multa signat ... has significationes potes colligere ex papya et dirivationibus huguicionis ...* et sic explicit (in cod. Paris. lat. 523): *Zorobabel apud hebreos ... verba sunt ysidori eth. VII.* Subiciuntur versus decem (cf. Cangius l. s. s.), quorum hoc est principium:

Hic ego doctorum compegi scripta sacrorum,
Floribus auctorum loca certa notando librorum
In serie quorum textus patet hic positorum e. q. s.

Omnium saepissime Papias, Hugucio, Isidorus, Priscianus adferuntur. De ipso auctore conferre iubeo quae Berger (de glossariis e. q. s.) p. 18 sqq. corrasit.

A Guilelmo Britone omnis pendet auctor Mammotrecti qui dicitur, h. e. Marchesinus, cuius liber ut laudatur a traditionis defensoribus ita magnopere vituperatur ab eis qui Petrarcae vestigia ingressi veterem Ciceronis latinitatem resuscitare studebant. De codicibus aliquot Berger p. 31 sqq. disputavit, idem ibidem de editionibus. Ipse inspexi unum ex exemplaribus Ienensibus anno 1492 editum. Mammotrectus factum est ex mammothreptus: '*quia morem geret talis decursus pedagogi qui gressus dirigit parvulorum mamotrectus poterit appellari*' (ita explicit *prologus auctoris in mamotrectum*). Praemittitur '*vocabularius in mamotrectum secundum ordinem Alphabeti*', h. e. tabula vocabulorum alphabetico ordine dispositorum locis ubi invenian-

tur breviter adscriptis; secuntur glossae ad epistolam Hieronymi ad Paulinum; post has liber Genesis feliciter incipit et sic porro; subiciuntur tractatus quidam de quaestionibus, de quibus cur nunc disputem non habeo. In 'expositionibus' suis Marchesinum inprimis verba ex Britonis Postilla desumpta repetisse Berger p. 48 docuit; alia ex Petri Rigae Aurora, ex Beda, Vincentio Bellovacensi ducta. Subiciam initium commentarii in Genesim compositi. *Incipit liber genesis. A principio creavit deus celum et terram etc. Hec abyssus. si. profunditas aquarum. quasi sine bysso ·i· candore. ab ·a· quod est sine. et byssus quod est genus lini candidissimi. Versus de femininis in us. Hec paradisus habet nardus domus atque hyacinthus. Et synodus crocus* ⟨scr. *costus*⟩ *et carbasus alvus abyssus* e.q.s. ⟨cf. Alex. de Villa Dei v. 654sqq. ed. Reichling⟩. *Hic et hec inanis et hoc ne* et sic porro. Neque ex his expositionibus neque ex compendiis grammaticorum qui insecuti sunt, velut ex Comprehensorio Iohannis, peti possunt quae nostra studia aliquatenus sublevent, unde pedem sistere placuit. Cf. si tanti est Bergerum l. s. s. cap. VI.

CAPVT XIX.
DE GLOSSARIIS MEDICOBOTANICIS RECENTIORIBVS

§ 57. Glossaria medicobotanica vetustiora quae quinto capite tractavimus partim ex medicorum, ut Cassii Felicis (§ 17), partim ex botanicorum ut Pseudapulei (§ 18) scriptis derivata sunt: ad quae libri glossarum qui dicitur excerpta medicobotanica accedere p. 113 § 31 diximus. Maximam vero medio aevo auctoritatem adsecuta est latina versio Dioscuridis sexto ut videtur saeculo facta, de qua edenda et illustranda post Auracherum (Rom. Forsch. I 49 sqq.) Hermannus Stadler optime meritus est.[1]) A qua versione pendet Dioscurides (Dyascorides) latinus ad alphabeti formam revocatus auctusque additamentis ex Gargilio Martiale, Pseudapuleio, Pseudoribasio, Isidoro, aliis (edidit Colle a. 1478 apud I. Allemannum): quam recensionem in libris manuscriptis frequenter traditam adierunt Vincentius Bellovacensis, Simon Ianuensis, Matthaeus Silvaticus, glossematum medicobotanicorum auctores noti et ignoti

1) De Dioscoride Longobardo cf. Stadler Arch. X (1898) p. 117 sqq. XII (1900) p. 11 sqq. Rom. Forsch. X (1899) p. 181 sqq. 369 sqq. XI (1901) p. 1 sqq. XII (1902) p. 161 sqq.; Allgem. Medizin. Zentralzeit. 68. Jahrg. (1900) 14 et 15; Ianus, Archives Internationales pour l'histoire de la médicine etc. IV (1899) p. 548 sqq. His adde V. Rose Anecd. Graeco-Lat. II 113. 119 A. 2; Teuffel Röm. L. G.[6] § 498.

multi. Sed etiam alia res his temporibus notabilis est. Arti enim medicae non modo monachi laicique Italicorum et Francorum medici operam dederunt, verum etiam laudabili successu Arabes, ad quos Graeca doctrina per Alexandriam migraverat. Quae qui reputaverit, si in glossariis vestigia Arabum deprehenderit, minime mirabitur. Velut quod in codice Parisino latino 6893 saec. XIV in fol. 338ᵘ—339ʳ sic est: *Incipiunt synonyma. amsa ·i· cidam̄. abarithe anzeldarchet . . . zamores ·i· smaragdus. zufe ·i· ysopus. Expliciunt sinonima rasis filii Zadurie* (idem glossarium teste catalogo in codd. 6901. 6902. 6903. 6905. 6906. 6907. 6907ᵃ saeculi XIV omnibus invenitur; Razes floruit saeculo nono): quibuscum conferantur glossaria duo cod. Parisini lat. 16186 saec. XIII (1. *Alfachim ·i· medicus. Arteria subetem ·i· faciens dormire et sunt due grosse in guture* e. q. s. 2. *Areffata ·i· rotula genu. Aseresck ·i· berberis . . . Ahalaich ·i· sentitis*: quae excipit 'canon Avicennae' famosissimi Arabum medici). Sed haec et alia quae eiusdem generis sunt studia arabica nolo accuratius persequi: non quo indigna videantur investigatione, sed quibus illustrandis minime par sim: nec ad studia latina talia pertinere existimo. Latina autem glossaria quaedam quae his temporibus exorta sunt una cum compendiis quibusdam notabilioribus, quibus vetusta doctrina etsi mutata forma propagata est, silentio prorsus transiri posse nego: de quibus quatenus ex meis excerptis fieri poterit nunc disputabo.

Atque initium capio a notissimo glossario Alphita appellato secundum primam glossam, quod edidit Salvator de Renzi medicus Neapolitanus in collectionis Salernitanae vol. III p. 271—322 ex duobus codicibus Parisinis (6964 a. 1305 et 6957 saec. XV), sed ita, ut glossas in severiorem alphabeti ordinem redigeret. Codicem quem pro fundamento habuit eiusdem collectionis vol. V p. 124 sq. diligentius descripsit; alterum librum (h. e. 6957) ibidem p. 123 sq. tractavit. Ceterum idem glossarium quamquam non omni ex parte congruens exstat in cod. Oxoniensi collegii omnium animarum 74 in fol. 244—250 saec. XIII, quod ab his incipit: *Alphita farina ordei idem est. Arsenicum auri pigmentum citrinum sandaraca id quando simpliciter auripigmentum invenitur de citrino intelligitur. Asa fetida lasar . . . Amaracus samsucus . . . Amātilla portentilla . . . Alippiados laureola . . . Asfodillus . . . Agaricus fungus . . . Ampelon . . . Aristologia* . . . e. q. s.; explicit sic: *Zerna . . . Zimia . . . Zirbus omentum ut in o.* Duo alia exemplaria Oxoniensia protraxit Gundermann, alterum saeculi XIV Bodl. — Ashmol. 1396 (*Alfita farina ordei ·i· arsenicum ·i· auri pigmentum . . . Zirbus . . . Zucorariū vel zucorocia est flos vel semen angni casti. Explicit alphita de diversis nominibus herbarum et gummerum et nominibus grecis expo-*

nendo ea que sunt diversa materialiter eadem tamen realiter.), alterum Bodl. Ashmol. 1470 saec. XV (*Incipiunt Sinonima m⟨agistri⟩ R⟨eginaldi⟩. Alfita farina ordei idem arsenicum ·i· auripigmentum* e. q. s. . . . *Zimia est apostema factum de fleumate ut in Iohannicio. Expliciunt sinonima M. Reginaldi*: qui Reginaldus quam partem habeat in his synonymis nescio). Adde etiam cod. Parisinum lat. 7056, item Londinensem 'Old Kings mss.' 12 B III saec. XIV. His accedit codex Bernensis 295 saec. XIV in fol. 68ʳ—73ᵘ; ex quo exempli causa litterae A glossas subieci.

Alphita. farina ordeī idē.
Arcenicū auripigmtū q̄n simp̄r auripigᵗ intelligr̄ de citrino
Asa fetida lafar quirinatium silphiū. et silfiū est ferula cuius gūi est asa fetida īn opos sinphii ipsa asa fetida ut in alexandro
Amaricus sansucus maiorana mentilla. fu. valeriana.
Alipados laureola herba catholica
Affodilus albutium. c. capīa.
Agaricus fungus abietis
Ampelon prassiū, vitis alba idem
Ampelon leuce itē ampelon agas vitis agrestis quae alio nomine lambrusca dr̄ et eius flos y̅natū
Ampelon melanas ·i· nigra vitis et ampelos onofores vitis vinifera
Aristologia ro . malum storax est et alia aristolo que dr̄ longa et secundum marcum tertia species est quam nos dicimus fel terre q̄n simplr̄ p̄ rotunda intellr̄
Authemis camomilla id.
Alcionium caro marina ut nos accipimus. vel plumbum ustum ut alii vel cinis marīa ut alii
Anemon papaver rufum q̄n p̄ simp̄r album intellr̄
Ameos nenuche
Antera semen rose
Anisum ciminum dulce
Antimonium est vena terre similis plumbo
Allium scordeon tyriaca rusticorum
Atanasia mater herbarum
Antos flos roris marini un̄ nomen anthos pro quolibet accipitur
Acatia succus prunellorum inmaturatorum apud grecos
Acatia succus prunellorum īmaturatorum it acatia tta·i·dā.
Altea bismalva eviscus malviscus ibiscus
Anggo portulaca dilica spelta
Alexantos flos salis alex·i· sal. anthos flos caliphe urtica
Aithodides bacce iuniperi minoris
Atanasia tanacetum hac utuntur salernitani pro arthemesia
Artemesia lingua avis plantago maior lingua arietis
Aspaltum bitumen indiac̄
Antc herba est
Anantia pes leporis gariofilata sanamunda

Acantus spina inde acantus egyptia in acantus leuce·i· spina alba

Alumen stipta in stipta scistis quae est alumis sciscinum quod vulgari nomine dr alumen de pluma et rotund⁹ quod et sucarinum dr et silr liq quo rarius utimur. alumen vel stipt⁹a simplr nos intelligimus pro cisso alii pro rotundo

Amurca fex olei superior et est utilis sed murca est fex olei inferiorum

Apium herba .V. sunt genera domesticum . apium rananum sive raninum . apium risus . apin emorrogdar ut in dictis partibus (= particularibus). cerefolium est genus apii.

Acer herba acer arbor

Arilli arida grana uvarum et dicuntur arilli ab ariditate

Alapsa galla et alapsa aluta

Atramentum est terra gallicana cuius nobilior species vitreolum dr et dr vitreolum a claritate vitrea q i electoribus or gdus eius invenitur

Abaustrum genus est marmoris (sequitur lacuna 6 litterarum) *parvum et est et album*

Adiantos capilli veneris secundum alex

Ambustum cax viva in tpr extinctum

Alcanna herba est sed differt ad nos pulverizata

Acorus glandiolus or .IIII sunt herbe valde similes in forma et acorus qui discernitur a flore citrino et radice rubea spatula fetida q discernitur aliquantulo odore et nullum facit florem et pterea yris purpureum florem gerit yreos albu glandiolus o cceu. sed spatula fetida nullu

Abrotanum simp r domestic sed sicheu abrotanum est agreste

Alleluya panis cuculi.

Atinum c quod est de uva relinquitur extracto musto unde uve passe . qn z

atina c dicuntur ut in suetonio de angusto cesare.

Argiofora gemma margarita perla alba albula perla qn simplr non perforata sed unio unionis intellr pciosissima margarita

Anacardus pediculus elefantis ut dicunt quidam sed est fructus arboris

Amidum amilum ide sine mola fit de tritico

Amb sp ceti (*Ambra spermaceti* Renzi) *ut quidam sed procul dubio gui arboris prope mare nascntis*

Affros spuma in affrossu affrodite ·i· venus in affrodisia i· etas venerea

Affronitrum spuma iter quod ipsa est salsa

Atriplex crisolocana herba catholica

Anthora herba est quae cca (*contra* Renzi) *thoram herbam venenosam*

Antele lapis quidam anetus agreste

Amorosia rapistrum

Asarabaccara vulgago gariofilus

Agnus castus arbor est multum similis salici marine

Apoquinatos succus seminis lini ut quidam vel sordes navium

Asplemi herba splendilogion herba est silᵛima et in exterioribus et in virtute scolopende

Alipla qdam confectio ist q quia minist⁹ recipit alipta mcata dr

Anthophili maiores gariofili quasi an an nati et sunt idem anthofili quod grosse fic' quasi flores arboris unde aliud protulit grossas suas

Aloes tres sunt species epīcū citrinum caballinum hoc ultīo nō utimur ad laxᵃ' aloe qn̄ epīcū simp licet apothecarii pro citrino intelligant

Arthites est q̄dā ydᵒpisis dicta ab achis quod interpretatur utatur eo quod ventᵘ arthiti percussus sonat admodum utⁱ semipleni

Amincū sine rubore ·i· album ut in alexᵒ

Atropia ·i· extenuatio et interptatur sine conversione

Anastropha conversio scoi sursum ·i· invomitum catastropha conversio scoi deorsum ·i· in fluxu vents dūtn̄ fluxus cur fiant de vito stó

Anagoge ·i· eiectō sanguinis per os

Anathimiasis delatio fumi sursū ad caput

Analemptia spes epilntie de vito stoi. ana sursum. sursum vel equale

Anesis ē quies ab a quod est sine et nexo quod est labor sum egtisco in̄ anetica ·i· mitigatia

Apomel aqua frā ī aqua favū mellis abluitur sed ydromel habet ipsum mel compositum cū aqua frā sine omni decoᶜᵗᵉ nec habemus ↄcᵗā proportionem mellis ad aq̄. item mulsa de .VIII. partibus aq̄ et nona mellis dispumati et coquitur ad consumptionem tᵉ partis illius. quod si plus coquitur vel minus aqua dr̄ mulsa aquosa mīłłiccu idē ē quod mulsa ut ī alexᵒ de oculis. sed ī .V. particula affᵒᵗ pro mīłłicco accipimus ydromel quidam exponunt de melle et vino sed hii intcipiunt mīłłictū pro oximelle. verumptamen craton interpretatur vinum ut in graeco vulgari

Acopum mitigatum ab a quod est sine et copos quod est labor. inde miracopum ·i· mire mitigatum.

Atago ataginis avis est opimas habens carnes in partibus tholosanis invenitur

Asinthesis interpretatur sine ↄpsoe

Antipasis contraria detctō sed methasis linearis detctō

Apoflatismus omē quod per os et per nares deponit a capite sive sit garg sive masticatō sive interiorū oris sive caputpgium per nares inmissum sive sternutatorium et dr̄ apoflavu' ab apo quod est de et flā quasi de pōes flātis

Apozima interpretatur defervescenos intellegimus decocᵗᵉ ab apo quod est de et zeo zes quod est ferveo ves ut in z.

Anaplectica q̄ replet vulnus carne

Ares interpretatur virtus inde arcotica ·i· virtuosa et anepagita ·i· multum similia

Amicticum ·i· corporatm̄

Apocrustica ·i· repercussiva

Amodicium ·i· mitigatm̄

Alumbicum ·i· vas distillatorium in quo sit aqua. ro. et similia

Autumini vas alembio simile

Anastomasis interpretatur apertio sed anabᵒsis sive dyabᵒsis corrosio vel incisio

Alphin morphea inde alphus inclās morphea nigra et alphus leucas. morphea alba

Alchos princeps in̄ paltarchion pluribus principans et similia

Apulum sive pella sive testa ·i· ollia in̄ et dr̄ alpala sorthos mollis caro et hac mollicie quaelibet mollia dicuntur apala vel forbilia

Angima est ap'a quod nascitur in gula dictum ab ango angis qui morbus maxime porcis et animalibus accit qnz et hominibus

Amicseron ·i· facilis ad gnoscendum ut in alex de th'si vel oculis
Ampliopia ·i· obscuritas visus ut in oribasio et alex de oculis
Anliscus ·i· mitigatorium ·i· icoriū p quod initiuntur liquores in anum . usiscus nuchos instrumentum id p quod initiuntur liquores in aures nuchos enim auris interpretatur
Acrocordines sunt species vermiū ī orobo crescentium
Augma augmatis interpretatur augt. īn dr adolescentia etas augmactica quia in ea crescit homo . īn etiam dr febris augmastica ·i· crescens . epagmastica ·i· decrescens et multa similia sed augimē interpretatur status īn dr inventus augmastica quia in illa recte stat homo nec crescit nec minuitur
Antrax est venenosum apa
Aspratiles dicuntur pisces ab asperitate spinarum. vel locorum in quibus degunt
Anaxiał vel anagalion consolida maior
Arage citromulum idem
Ason est sviva et dr ab ay quod est semper et zon quod est vivere vel vita
Amabntū sine inquinatione
Acantum ciminū vel igia vel viticū idē
Agrimłatum ·i· gith
Adarascha ełłs albus idē
Acarca sarcocolla idem
Allogallica gentiana idē
Antifarmacum vicetoxic
Anagodara ·i· sumac
Agimonia agmonia idem
Agna aristologia longa
Amonis barba iarus pes vituli
Amifructus iuniperi . cachi ·i· bacce lauri

Quas glossas cum glossario Renziano qui contulerit, auctas inveniet in littera A circiter viginti glossis. In ceteris quoque non levis discrepantia scripturae deprehendetur. In universum enim glossae Bernenses vel corruptiores sunt Parisinis, item ut videtur Oxoniensibus (74), ex quibus pauca tantum excerpta penes me habeo. Eiusdem glossarii recensionem, sed satis diversam, Parisinus lat. 8160[1]) continet, siquidem ex meis excerptis iudicare licet. Multo magis autem discrepat recensio quam I. L. G. Mowat in Anecd. Oxoniensibus (Mediaeval and modern series vol. I part. 2) sub titulo Alphita a Renzio desumpto a. 1887 edidit. Vsus est cod. Bodleiano Selden. B. 35 saeculi quinti decimi ascito simul codice musei Britannici Sloane

1) Incipit sic: *Alfa ·i· farina ordei. Arsenico ·i· auripimento. Amentilla ·i· valeriana. Albucium ·i· affrodilli. Ampelon ·i· vitis alba. Agarias ·i· vitis* e. q. s. Explicit: *Zud ·i· butirum crudum. Zufaraud ·i· radix mandragore.* Ex quibus apparet additamenta accessisse quae in purioribus exemplaribus non inveniuntur. Etiam in Museo Britannico talia glossaria exstant, quae non inspeximus.

284. Glossae ibi alio ordine dispositae sunt quam in codice Bernensi et in singulis magnopere discrepant, sed procul dubio simili quodam fundamento nituntur. Nec id mirum: nam plurima olim glossaria circumferebantur modo aucta, modo decurtata, modo ad usum huius vel illius gentis etiam sermone accommodata, modo quavis ratione diversa, sed ex simili radice propagata omnia. Nonnulla in meis excerptis notata inveni; alia neglecta, cum mediocris spes sit ex talibus collectionibus recentioris aevi multa peti posse, quibus vetustiora glossemata illustrentur. De ratione qua Renzii glossarium, a quo exorsus sum, cum toto hoc genere coniunctum sit, haec est eius disputatio (p. 271): 'Questo breve trattato trova luogo nella '*Collectio Salernitana*' non perchè io lo credessi scritto in Salerno, anzi mi par chiaramente opera di uno scrittore francese, ma unicamente perchè è desso un Vocabulario delle voci spettanti alla patologia, alla terapeutica ed alla materia medica degli scrittori del medio-evo, massime Salernitani'. Commemorantur velut Oribasius (94), Alexander (sc. Trallianus; cf. 3. 42. 67. 74. 93. 94), Salernitani (28), quibus e ceteris litteris accedunt Rasis, Avicenna, Constantinus, Gariopontus, alii. Plurimae glossae formam synonymorum exhibent (cf. 1. 8. 12. 105. 106. 107. 108. 111, aliae); et in fine est: *Expliciunt cinonima* (corr. *sin*— alia manus). In Gallia haec scripta esse vocabulorum gallicorum multitudo videtur indicare. Adfert haec Renzi p. 271: 34 (ubi *vulgari nostro* codd. Parisini, ut *Bedegar rubus, idem vulgari nostro dicitur esglantier* et *Steax. vulgari nostro lupia loupe*, et *Yssicia ... vulgari gallico suicie*), *Endica fex nitri, gallice liche*, *Mescata ... saucisces gallice*, alia. Non desunt quae cum glossis vetustioribus congruant vel certe similitudine aliqua cohaereant. Sed longe plurima maiorem discrepantiam ostendunt; unde discimus non ab illis glossariis quae tertio volumine exhibuimus has glossas pendere; immo excerptae sunt partim ex Dioscuride latino partim ex aliis libris medicinalibus, quales recentiore aetate plurimae in usu erant, quamquam haud pauca ex ipsa vetustate propagata sunt, ac nonnulla ne mutata quidem.

Inter cetera glossaria quae innotuerunt Sinonoma Bartholomei eminent (cf. Anecd. Oxon. Mediaeval and modern series. Vol. I, part. 1; editor est I. L. G. Mowat), h. e. compilatio Iohannis Mirfeld (Marfelde, Marisfeldus) sub finem saec. XIV facta et in honorem monasterii S. Bartholomaei Londinensis cognominata: quae compilatio pars est 'breviarii Bartholomei', quo una cum hoc glossario disputatio de morbis et medicamentis quindecim capitibus continetur. Quae synonyma herbarum medicinalium et medicamentorum plurima, item nomina morborum, denique terminos quosdam ad anatomen spec-

tantes enumerant. Auctores non pauci commemorantur, quos Mowat p. 2 composuit; sunt hi: Isidorus, Constantinus (Africanus, ut videtur), Avicenna, Galenus, Rogerus; unde apparet Salernitanorum temporibus hoc quoque glossarium natum, cum eo autem glossario quod ab Alphita incipit certa et arta ratione coniunctum esse; quod discitur velut ex his glossis litterae A: *Acinum quod de uva relinquitur extracto musto* = 48; *Acer herba est. Acer etiam arbor est* = 37; *Adarasta elleborus albus* = 106; *Adiantos capillus veneris idem* = 42; *Affodillus centum capita idem* = 6; *Affronitruum spuma vitri* = 54; *Agaricus fungus abietis idem* = 7; *Alphita ·i· farina ordei* = 1; *Aloes III sunt species, s. epaticum cicotrinum et caballinum, hoc ultimo non utimur ad laxandum* = 65; *Aloe quando simpliciter epaticum intelligitur licet apotecarii pro citrino intelligant* = 65; *Alfus i· morfea* = 89; *Allagallica ·i· gentiana* = 108. Quibus accedunt plurima alia in eadem littera exempla. Vnde apparet Marisfeldum aut aliqua recensione Alphita glossarii aut eodem cum illo fonte esse usum. Porro notabile illud esse moneo, quod anglica interpretamenta haud pauca insunt, quorum indicem Mowat p. 45 sq. exhibet: qualia indicarent patriam scriptoris, etiamsi nomen non aperte positum esset. Praeter voces anglicas etiam arabicas inveniri Loewe Gl. Nom. p. 117. 118. 123 recte monuit. Saepius versiculi grammatici interpositi sunt, ut *Glis animal, glis terra tenax, glis lappa vocatur* (ex Alexandro de Villa Dei v. 446), qui quomodo cum magnis medii aevi compendiis cohaereant idem Loewe p. 122 exposuit (cf. etiam Mowat praef. p. 3).

Ceterum numerus glossariorum medicobotanicorum recentioris temporis maior est quam ex libris editis videtur. Velut in cod. Parisino lat. 13014 saec. XIV in fol. 179^{r}—183^{a} synonyma exstant, quorum primum est *Arthemesia macricaria mater herbarum*; notabilia interpretamenta sunt germanica, ut *barba aaron yarus pes vituli idē ·i· kelreshals . . . anagallum vel sīphic̄ anagallic̄ ·i· consolida maior beynwelle.* Similia etiam in aliis glossariis me legere memini, de quibus tamen nihil in excerptis adnotavi.

Simon Ianuensis[1]) quis fuerit et quid sibi proposuerit ex hac inscriptione et praefationibus apparet: *Incipit Clavis sanationis elaborata per Venerabilem virum Magistrum Simonem Ianuensem dn̄i Pape Subdiaconum et Capellanum: Medicum quondam Felicis recordationis Domini Nicolai Pape Quarti: qui fuit primus de ordine Minorum. Domino Suo Precipuo Dn̄o magistro Cāpano dn̄i pape Capellano canonico Parisiensi: Simon Ianuensis subdiacon' seipsum ex debito commendat. Opusculum iam*

1) Cf. E. Meyer Gesch. d. Bot. IV p. 160 sqq.

dudum a vobis postulatum quasi quid utile continens: cum quanta potui diligentia qualitercumque ad finem usque pductum ingenio vestro dirigere censui iudicandum: et si supplici rogatui detur audacia etiam corrigendum: dummodo tantum philosophie culmen ad huiusmodi vilia non dedignetur descendere. Nec certe mihi deest ab imperio vestro presumptio Nam vosipse hocipsum mihi iussistis. Magnam enim in eo partem vestram sentio. Et si calumniabile quicquam continet non minus vobis quam mihi habetis ignoscere. Cognoscebatis namque cui imperastis. Porro si quid utile continet vobis ascribendum est. possessio enim vestra est et opus et auctor. Subscripta prefatio non vobis ut vobis dirigitur: sed ut cum ceteris si libet et ut libet in publicum dirigatis. In altera praefatione et de difficultate rei suisque studiis agit et fontes enumerat recensetque quibus in libro magno usus est. Primo in loco affert 'Dioscoridem', qui '*ab antiquo in latinum habetur. a primo exemplari differt. nam hic per alphabetum in latinum ordinatus est'. ille vero in V libris distinctus ut per ipsius prohemium demonstratur. Multa etiam capitula in hoc desunt que ille continet. aliqua etiam in hoc libello sunt addita que ipsius auctoris non sunt per Serapionem de simplicibus medicinis et per hoc opus ostenditur*'. Porro enumerantur hi: Alexandri liber de practica, Democriti practica, Demosthenes 'obtalmicus', Oreibasius, Musio, Paulus (Aeginēticus), Almansor, Rasis, Avicenna, Serapio, Albuchasim, quibus accedunt alii libri cum latini tum ex arabico et graeco in latinum conversi. '*Omnia tentavi quantum ingenii mei paupertas sineret ut opus efficeretur excultum*'. Deinde in singulis paragraphis auctores ipsi apponuntur. Eiusdem Simonis Ianuensis nomen saepius redit in glossariis. Velut in cod. Parisino lat. 6823 saec. XIV exstant 'Synonyma Simonis' in fol. 215^{r}—249^{r}: *Incipiunt Sinonima magistri Simonis de Iañ abreviata per magistrum mundinum. Et ego manfredus de monte imperiali sicut inveni in suo origine ita scripsi et cetera adidi ... Aaron ·i· yarus i· dragontea minor ·i· gicarus. Aabscella i· agrimonia*; explicit *Zurunibet pro ea Zedoaria utimur. Deo gratias. amen.* Similia synonyma insunt in cod. Parisino lat. 7057 saec. XIV.

Matthaeus Silvaticus in exemplari Ienensi quo usus sum hanc habet inscriptionem: *Liber pandectarum medicine: omnia medicine simplicia continens: quem ex omnibus antiquorum libris aggregavit eximius artium et medicine doctor Mattheus silvaticus ad serenissimum Sicilie regem Robertum,* hanc autem subscriptionem: *Opus pandectarum medicine emendatum per eximium mium* (!) *artium et medicine doctorem dominum et magistrum Matheum moretum brixanum: Bononie in medicina et astronomia legentem: Venetiis impendio Iohannis Colonic* (!) *agrippinensis Iohannisque māthen gheretzen sociorum summa cum diligentia impressum fe-*

liciter finit anno salutis christiane .M.CCCCLXXX. sexto idus octobris. Laus deo. Cuius libri materia duplex est: continentur enim 720 capitula ab *Aaron* ad *Zucarum* dinumerata et ex variis opusculis excerpta, quo in numero sunt 'Diascorides' et Avicenna; quibus capitulis ad alphabeti ordinem minus severum digestis praemissae sunt et submissae glossae latinae, graecae, arabicae (ut *achiam ·i· castoreum, Aagi i· ebur, Aakade ·i· bakade* e. q. s.). De tempore quo floruerit dudum docti verba attulerunt quae sub Bruculus leguntur: '*et ego vidi eos* (h. e. *bruculos*) *Salerni anno dominice incarnationis 1297.*' Librum suum, cum Roberto Siciliae regi dedicaverit, non ante 1316 nec post 1343 edidit. Ceterum conferri possunt quae E. Meyer (Gesch. d. Botanik) IV p. 168 sqq. composuit et haec verba Trithemii: '*Matthaeus Sylvaticus patria Mantuanus, genere nobilis, arte et professione medicus, in qua facultate suo tempore prae caeteris multis et doctus habebatur et expertus, ingenio subtilis et clarus eloquio. Scripsit in ea scientia non contemnenda volumina, quibus nomen suum ad posteritatis notitiam deduxit. E quibus ego tantum vidi opus insigne ad Rupertum Siciliae regem et medicum de omnibus simplicibus medicinis et earum proprietatibus, quod praenotavit Pandecta lib. I, Aaron graece, arabice. De caeteris nihil vidi. Claruit sub Ludovico Imperatore 4. Anno domini 1320.*'

CAPVT XX. DE MEDII AEVI STVDIORVM QVIBVSDAM ADIVMENTIS RECENTIORIBVS ET RECENTISSIMIS

§ 68. Iohannes de Garlandia, 'Anglia cui mater fuerat, cui Gallia nutrix', inter doctos grammaticos decimi tertii saeculi non infimum locum tenet: cuius tamen libros cum ad studia proprie glossographica non pertineant satis erit paucis tractare. Atque '*dictionarius*' quem edidit '*dicitur libellus . . . a dictionibus magis necessariis quas tenetur quilibet scolaris non tantum in scrinio de lignis facto, sed in cordis armariolo retinere, ut ad faciliorem orationis constructionem et ad enuntiationem possit pervenire. Primo sciat vulgaria nominare. Licet igitur a membris humani corporis inchoare, rerum promptuarium evolvendo*' (cf. Scheler, Jahrbuch für Roman. und Englische Literatur Bd. VI p. 144, qui suae editioni etiam discrepantiam apud A. Géraud et Th. Wright inventam adscripsit). Secuntur hanc praefatiunculam '*membra humani corporis*' a pedibus ad alias partes continuata; haec excipiunt '*instrumenta urbana et villana et rusticana corpori necessaria, sed prius nominabuntur res quas eundo per civitatem Parisiis denotavi*' et sic deinceps alia. Opus sane utilissimum est rebus illius temporis illustrandis, item studiis recentissimae latinitatis et linguis romanicis, sed a glossariis non

leviter differt; comparandum est potius cum vocabulariis rerum, quae Steinmeyer tertio volumini inseruit. Ex ceteris opusculis Iohannis commemoro 'compendium grammatices', 'de synonymis', 'de orthographia' ex parte versibus composita, quae cum libris Eberhardi Bethuniensis, Alexandri de Villa Dei non uno loco conspirant. Eidem Iohanni tribuitur libellus, qui in editione Hagenoensi anni 1489 'Cornutus magistri Ioannis de Garlandria' inscribitur. Cornutus autem duplex est: prior est Cornutus antiquus constans 21 'distigiis' (*a Cespitat in phaleris hippus blactaque supinus* ad *Atque crisis corde sit ei, bolismus in ore*) scholiis ornatis; alter est 'novus Cornutus' (*iste est liber secundus qui apud quosdam Cornutus novus nuncupatur. et alio nomine dicitur oximetrum*, a *Physis orexiam, peon allers horret orexim* ad *Et finit cornutus graphus non res qua solutus*). Quae 'distigia' latinitatem exeuntis medii aevi bene illustrant, ad studia vetustiora vix pertinent. Quod de 'distigiis' valet, idem de glossis dicendum videtur: 'die Etymologien', ut verbis utar Iohannis Liebl ('die Disticha Cornuti' Straubing. 1888 p. 29), 'sind die eines Papias, Hugutio, Ioannes de Ianua, Brito etc., teilweise noch stark verschlechtert'. Vocabula Gallica et theodisca idem Liebl p. 32 composuit. Auctorem 'Cornuti antiqui' non esse Ioannem de Garlandia Liebl p. 35 sqq. contra Hauréau (Notices et Extraits XXVII) mihi videtur evicisse.

Sed mitto Iohannem, mitto etiam Alexandrum Neckam qui simili modo de studiis illius aevi meritus est (de quo conferenda sunt quae R. Ellis 'Americ. Journ. of Phil.' tom. X, 2 docte exposuit), mitto alios eiusdem temporis scriptores notabiles, ut de glossariis quibusdam quae proprie dicuntur copiosius agam, quae quidem cum capite XV artiore vinculo coniuncta sunt. 'Ex Papia' (verbis utor Loewii Prodr. p. 249) 'Hugutione, Britone, aliis fontibus collectum est pergrande glossarium codicis Lipsiensis CI ['Rep. II fol. 22'] saec. XIV exeunte scripti foliorum 328.[1]) Glossarium non latinoteutonicum est, ut Naumannus in catalogo dicit, sed potius lexicon mere latinum, cui multa adiecta sunt[2]) vocabula germanica. Velut sic f. 100[r] b: 'cuna ·e· wiege ·i· loculus in quo iacent pueri, quod etiam crependium dicitur et dicitur a cyne grece.' Non paucis glossis nullum omnino interpretamentum germanicum adscriptum est. Principalium fontium mentio fit velut f. 233[r] b:

1) A litterae folii primi nihil restat nisi marginis interioris parvula pars. Incipit: 'pulvere supposito que alio nomine pynax dicitur', explicit f. 327[r] b: 'zucarum ri idem'. Subscriptum habes versiculum: 'sit tibi laus, christe, quoniam liber explicit iste.'

2) Postea demum talia addita esse demonstrant huiuscemodi glossae, velut f. 47[a] b: 'arrigo . as . are . avi . benetzen. ·i· valde vel iuxta rigare ·i· humectare'.

'pepo onis pedeme: idem est quod melo onis dicit Hugo, Isidorus et Papias. Brito autem dicit: 'credo quod est herba quedam frigidissime nature et difficilis digestioni...' Praeterea excitantur Alanus (f. 135ra), magister Bernhardus medicus (f. 137rb), Hugo de sancto victore (f. 48rb), Richardus de sancto victore (ibidem), alii multi. Interpretamenta vernacula nonnulla exscribam: 'plaster. maledien. missedaet. argwillickeit. smeden. intbieden. *mango*: rostuscher, vnderkauffer *vel* mitteler. vffenberlich. senfftmudeckeit. *mantica*: maele *vel* waetsack'.[1]) Ingentis voluminis glossarium qui factum sit ut in tantam molem crescere non difficile est dictu. Vnaquaeque enim glossa e Pauli epitoma sive e libro glossarum per Vgutionis vel Papiae rivulos illuc ducta novarum glossarum largam procreavit segetem. Sic quae olim e Festo excerpserat Paulus p. 32, 1: 'Bubinare est menstruo mulierum sanguine inquinare. Lucilius: *haec inquit, te imbubinat, at contra te inbulbitat.* Imbulbitare est puerili stercore inquinare, dictum ex fimo, quod Graeci appellant *βόλβιτον*', ea in codice Lipsiensi sic muliplicata exstant:

f. 68ra: *Bubino as are, proquo alii dicunt bulbino as, vide infra.*

f. 68rb: *Bulbino ·as· are· sanguinem puerorum inquinare et sunt activa, dicit Hugo. Et quandoque ponuntur passive, ut 'hic bulbinat' vel 'bulbitat' ·i· tali sanguine inquinatur. Vnde bubinacio. onis ·i· sanguinis menstrui inquinacio.*

Bulbitacio. onis. sanguinis puerilis inquinacio.
Bulbinacium ·ii· sanguis mulieris menstruose.
Bulbinacium ·ii· in eodem sensu dicitur.[2])
Bulbinatus ·a· um. sanguine menstruo maculatus.
Bulbitatus ·a· um. sanguine puerili inquinatus.

En habes scholiorum Lucilianorum post tredecim fere saecula fata.

Ab Hugutione pendent etiam duo folia membr. bibliothecae gymnasii Francofurtensis ad Moenum saec. XV scripta. Columnarum quae vocantur divisio nulla, sed continua per integras paginas scriptura. Lemmata non diverso colore, sed lineola eodem quo reliqua scripta sunt

1) Post grande hoc glossarium adiectum est minusculum latinogermanicum f. 327ua—328ua med. Incipit: 'arra re: truweschaft arrare: truwen mediante aliqua re arrabonis: ·i· arra bona arrestare: bekummeren', explicit: 'vendicare: buten vendicatio: butunge viagium: bedevart'. Subscriptus est versus: 'Finito libro sit laus et gloria Xpo.' Cuius glossarioli lemmata ad rem iudiciariam maximam partem spectant et infimae quae vocatur latinitatis propria sunt. Cf. 'arrendare. allodium. castrenpheodus. concivilitas. deventagium. emologizare. emphiteotarius. exactionare. guarandia. gageria. manburnitas. perlamentum. subtervadiare. treugarius' similia.

2) Hae duae de *bubinario* glossae ad Placidum p. 13, 2 D. redeunt.

atramento picta insigniuntur. Folia a libri integumentis soluta dici nequit quam male habita sint. Alterius folii glossae inde a *dig-* usque ad *dir-*, alterius autem inde a *susp-* usque ad *talm-* pertinent. Derivationum indoles Osberni Panormiae simillima est, nisi quod scriptores rarissime excitantur, quo in numero bis speculi cuiusdam (num Vincentii Bellovacensis historici?) scriptor (f. 1ᵛ: *Dyonisius*: *tyrannus de quo in speculo*; ibidem: *Dyonides, de quo in speculo*; *archipirata quidam fuit*) et semel Hugutio (f. 2ʳ v. taberna: *secundum hugᵒz = secundum Hugutionem*). Locus inde excerptus hic est: *Tabeo bes bui est putrere, pigrere, deficere, confluere* (*con* litterae incertae sunt), *a quo contabeo, extabeo, intabeo*: *omnia neutra et carent supino. inde tabesco scis, unde contabesco, extabesco, intabesco.* Eiusdem bibliothecae duo alia folia item derivationes continent ... Derivationum materia petita est cum ex Isidoro (f. 1ᵛa: *strutio greco nomine ... fetu pulveris animatur. ita dicit ysidorus*) et Papia (f. 2ʳa: *suillus .a. um id est porcinus a sue dicitur. Item secundum papiam suilli sunt* e. q. s.), tum maxime ex Ugutione (f. 1ᵛa: *stipulatio ... ita dicit hug̃ ...*). Praeterea commemorantur Horatius (f. 1ʳa: *spes utputa in epistolis oratii ...*), Alexandri doctrinale (f. 1ʳa: *et tatas ... sed doctrinale negat*), Priscianus (f. 2ᵛb: *sed raro invenitur, dicit hug̃*; *sed secundum priscianum idem significant*).' Haec igitur Loewe. Sed quicumque bibliothecarum thesauros accuratius noverit, eum non fugiet magnam molem talium glossariorum medii aevi exeuntis per Europam dispersam esse, quam diligenter examinare etiamsi vires non deficerent res esset taedii intolerabilis et utilitatis mediocris. Satis igitur sit exemplis paucis totam provinciam illustrasse.

Atque Carolus Hamann, a quo exordior, duobus libellis scholasticis ingens glossarium quoddam Benthemianum saeculi XV magno studio tractavit (cf. 1. Mitteilungen aus dem Breviloquus Benthemianus, einem handschriftlichen lateinischen Glossar des XV. Jahrhundert. Hamburg 1879. 2. Weitere Mitteilungen aus dem Breviloquus Benthemianus. Hamburg 1882): codicem diligenter descripsit (cf. 1 p. I sq.), de fontibus (1 p. III sqq.), denique de auctore (1 p. 7 sq.) disputavit. Haec excipiunt 1) 'Verwandte Glossen mit denen in Loewes Prodromus (p. 1—17); 2) Glossen zur Ergänzung von Wattenbachs Schriftwesen im Mittelalter (p. 18—32). In commentatione posteriore tractantur XLVIII loci vulgatae quae dicitur; annexa sunt excerpta ex Hugucionis libro derivationum (quae supra p. 194 commemoravi). Quod sibi proposuit demonstrandum scriptor, scilicet etiam recentissima glossaria praebere supplementa uberrima classicae quae dicitur latinitatis, id eum effecisse ne Ludwigio quidem concedo (cf. Jenaer Literaturz. 1879 p. 276) sic disputanti: 'eine aufmerksame Durchsicht bestätigt, daß

dieses Glossar trotz seiner Jugend eine lohnende Ausbeute zur Bereicherung unserer Lexika klassischer Latinität gewähren wird. Ist dies der Fall, und nach dem vorliegenden Specimen scheint es nicht mehr zweifelhaft, so würde Loewe's absprechendes Urteil über die Glossarien aus dem späteren Mittelalter eine wesentliche Berichtigung erfahren. Es wäre deshalb wünschenswert, wenn bei gegebener Gelegenheit diese Frage auch in Bezug auf andere spätere Glossare noch einmal durchgeprüft würde.' Ipse enim Hamann fontes potiores huius glossarii p. III sq. composuit: quo in fontium indice sunt Iohannes de Ianua, Hugucio vel Osbernus, Guilelmus Brito, Papias, Isidorus, Ioannes de Garlandia, Eberhardus Bethuniensis, Alexander de Villa Dei, Alexander Neckam, Petrus de Riga, alii. Qui glossarium confecit minime indoctus fuit, multum certe versatus in thesauris qui tum valebant, hisque plurimis inter se vinculis nexis, saepius ut aegre dicas, a quo scriptore hoc vel illud transcriptum sit. Exstant quidem haud pauca quae ad antiquitatem aliquo modo revocari possint, sed ut ex illa lucem exspectent, non ipsa lucem praebeant. In universum dici nequit quot ridiculi errores temporum decursu in hoc litterarum genere admissi sint, quos qui rimabitur verendum est ne carbones pro thesauro inveniat. Quamquam per se negari non potest fieri potuisse, ut granula nonnulla meliora e vetustate propagata in talia glossaria penetrarent, quorum non iam fons apparet: sed quae exstant cum et vetusta esse possint ac sana et novicia ac ficta sive corrupta, quis rationem proponet, qua vera a falsis, h. e. sincerae ac vetustae doctrinae vestigia si quae sunt a noviciis et futtilibus ubique commentis dignoscamus? Quae exstant in his glossariis saepius ut audacter antiquitati tribuamus tantum abest, ut ne mediae quidem quae dicitur latinitati e scriptorum contextu nobis notae confidenter adscribamus. Quod quomodo se habeat ex ipsis illis glossis quas composuit Hamann optime disces: ubi quod est, ut unum ponam exemplum, *aquanellus a um qui fert saccum meretricis* quis diceret quid lateret, si non exstarent vestigia vetustiora: *aquariolus qui fert saccum meretricis* (cf. Diefenbachii glossarium); in *saccum* autem quid requirendum esset nemo divinaret nisi qui conferret glossam vetustiorem *aquariolus idem scilicet servus meretricis eo quod crebro ferat aquam ad eam mundandam* (cf. Fest. Pauli p. 22, 12 M.). Talia monstra ac portenta mediae latinitati adscribemus? Vix hercle opinor. Quamquam saepe non meliora sunt quae Cangius ex fontibus suis protraxit: ad quae illustranda ars critica a vetustis glossis profecta viam invenire poterit; ab his ipsis qui progredi mavult ad antiquitatem, saepe in periculo erit, ne nubem amplexetur. Sano igitur iudicio thesauri linguae latinae conditores a talibus se abstinuerunt.

Sed video me paulatim in ea tempora delapsum esse quibus lexica typis exscribi coepta sunt. Nova autem studiorum ratione coorta putares sane veterem illam interpretationis formam quae multa per saecula regnaverat abolitam esse atque funditus expulsam novis latinitatis thesauris conditis et scriptorum ipsorum lectione munitis: quae tamen te fallet exspectatio. Quamquam enim specimina quaedam sane notabilia prodierunt, ut Perotti cornucopia et Laurentii Vallae Elegantiarum libri, in universum tamen saeculo decimo quinto et parte proximi saeculi studia lexigraphica correctioni pertinaciter resistebant. Cuius rei causam afferre minime difficile erit. Viri enim politiores cum omnia latini sermonis studia ad stilum emendandum converterent, ut eminerent sive prosa oratione ornanda sive versibus condendis, factum est, ut cupide arriperent quicquid ad has virtutes pertinere videretur, ieiunam autem operam vocabulorum ex scriptis colligendorum et in lexici formam revocandorum exploderent atque neglegerent. Itaque qui procuderunt talia opera aut scholiastas Vergilii, Horatii, aliorum excerpebant, excerpta in glossarii formam redigebant, qualia inveniuntur non pauca, velut illud Guarini glossarium, quod Mommsen ex codice Vaticano 2370 protraxit (cf. quae infra § 62 de hac re exponuntur), aut quae in vetustioribus glossarum collectionibus inventa sunt propagabant et ad recentiorum temporum usum aliquo modo accommodabant. Sic nata sunt vocabularia rerum, quae qualia fuerint ex tertio Steinmeyeri volumine cognosces, quorum materia saepe ad Isidori copias redit. Exemplaria nonnulla commemorat Diefenbach p. XIII sqq. Ad ea accedunt exemplaria vocabularii latinogermanici 'ex quo' quod dici solet, a primis scilicet praefationis verbis nuncupati, quae velut in codice Vindobonensi 5167 (a. 1428 ad finem perducti) sic currunt: *Ex quo vocabularii varii et autentici videlicet Hugwicio katholicon previlogus* ... (cf. Loewe Prodr. p. 253). Tertium est genus Gemmarum nomine insigne vel Gemma gemmarum, cuius inspexi exemplar Ienense anni 1504: latino interpretamento vernaculum, sed regioni huic vel illi aptatum subiungitur. Etiam horum exemplarium non pauca Diefenbach attulit. Omnes hos libros auctoritate vicit Vocabularius breviloquus: cui cum praemitti soleat in exemplaribus 'ars diphthongandi Guarini Veronensis', erant qui eidem Guarino adscriberent. Sed Reuchlini esse cum alii iam statuissent, Geiger evicit (Johann Reuchlin, sein Leben und seine Werke p. 68 sqq.). Quo de libro prorsus consentio cum Loewio qui Prodr. p. 252 sq. sic iudicat: 'Etenim quamquam ibi quoque multi scriptores excitantur, fundamentum tamen ut ita dicam totius materiae glossaria sunt: Papias nempe, Brito, Alanus, id quod auctor "vocabularii breviloqui triplici alphabeto diversis ex auto-

ribus necnon corpore utriusque iuris collecti ad latinum sermonem capessendum utilissimi" in praefatione ipse indicat his verbis: "... Licet vero Isidorus, Papias, Brito et Alanus aliique quamplurimi magistri satis de his tractaverunt, a quibus etiam hoc opus receptum est, attamen ob causam prefatam hoc opus presens aggrediar'. Agitur autem primum de nominibus, tum de verbis ceterisque declinabilibus partibus, denique de partibus indeclinabilibus, adverbiis videlicet, praepositionibus, coniunctionibus, interiectionibus. De fontibus audiendus erit auctor (cf. verba 'ex quibus etiam hoc opus receptum est'). Quod testimonium quo iure abiecerit Hamann p. IV, non assequor: nam quod ibidem adnotavit etiam glossarium Benthemianum 'breviloquum' fuisse appellatum ('sub *ruta* exstat: *require supra in principio huius brevilogi*'), et codicem quendam Hamburgensem (de quo cf. Rasch, Fortgesetzte historische Beschreibung der öffentlichen Kirchenbibliothek zu St. Jacobi, Hamburg 1755 p. 21 sq.) hanc habuisse subscriptionem: *Explicit Brevilogus per Thidericum in Zehusen anno domini millesimo quadricentesimo primo Dominica prima post Pascha qua canitur quasi modo geniti* (qui liber ubi nunc sit nescitur): hoc libro, non ut ipse dicat, Isidoro Papia Britone Alano, esse usum pro fundamento Reuchlinum, cuius libĕr anno demum 1575 vel 1576 prodierit: quid sic demonstretur de fontibus non intellego. Ex solo enim nomine eodem vel simili — modo Brachilogus legitur, ut in codice Darmstadiensi 2220 ('Brachilogus et est non vilis vocabularius': quod latine dicitur 'Breviloquus', pro qua forma frequens est forma hybrida 'Brevilogus') — non sequitur etiam lexeon convenientiam ibidem fuisse. Cum verbis supra allatis etiam subscriptio conspirat, quae in exemplari Ienensi (impresso 'Nurmberge. per Antonium Koberger. Anno dñi MCCCCXCVIII die XII mensis Iulii') talis est: *Finit Vocabularius Breviloquus triplici alphabeto diversis ex autoribus nec non corpore utriusque iuris collectus ad latinum sermonem capessendum utilissimus.* Quamquam quae Geiger p. 69 sqq. exposuit nullo modo rei satisfaciunt, ut qui neque de Papia nec de aliis glossariis illo tempore bene iudicare potuerit. Rectius certe disputat F. Heerdegen (in Muelleri enchiridio p. 609): 'Geiger ... hat das selbständige Verdienst Reuchlins um den Vocabularius breviloquus doch wohl zu hoch angeschlagen, und zwar in Folge davon, daß dort zwar eine Vergleichung des Vocabularius mit Papias, nicht aber auch mit dem Catholicon vorgenommen ist.' Adde quae antea Fridericus Haase de eadem re exposuerat (p. 35). Atque 'errores si quis e Breviloquo colligere velit, res infinita est nec licet eo uti non adhibito simul Papia, Hugutione et Io. Ianuensi' (Haase p. 36 adn. 60). Ceterum Reuchlinum esse lexici auctorem ut aliunde constat ita e verbis apparet quae Loewe (Prodr. p. 252)

ex exemplaris Gottingensis ('Colonie Anno dñi MCCCCLXXVI' impressi) folio quod ipsi libri titulo praecedit verso exscripsit hisce: 'Commendatio Philippi Melanchtonis reverendissimi praeceptoris nostri super breviloquium vocabularium. Et his verbis sequentibus sic dicit. Eo tempore et fratres Amorbachii officinam typographicam instituerunt. Qui cum desiderari viderent Latinum *ὀνομαστικόν*, Capnio librum collegit cui titulus est breviloquus, qui tunc, cum nondum meliores libri in hoc genere haberentur, et expetitus est et studiis profuit' (quibus addit Loewe: 'Haec scripsisse videtur 'Meelführer', cuius nomen in libri fol. 1ʳ sub titulo exstat. Ceterum verba 'eo tempore' usque ad 'studiis profuit' legi etiam in vita Capnionis a Melchiore Adamo scripta, ubi tamen habes 'qui hinc cum')'. Quantopere hic liber 'expetitus' fuerit, documento sunt frequentissimae eius editiones, quarum quinta et vicesima anno 1504 prodiit; postea liber una cum reliquis medii aevi litteris ab iis qui pristinum linguae latinae nitorem restitui cupiebant ex usu remotus est. Ceterum haec exeuntis medii aevi lexica Laurentius Diefenbach exscripsit in 'glossario latinogermanico mediae et infimae aetatis' edito Francofurti ad Moenum a. 1857, quod 'supplementum' esse voluit 'lexici mediae et infimae latinitatis conditi a Carolo Dufresne Domino du Cange'. Conferendum esse moneo eiusdem viri 'Novum Glossarium latinogermanicum mediae et infimae aetatis' anno 1867 editum, quo librum priorem et correxit et supplevit. Quibus libris quam bene meritus sit auctor de studiis exeuntis medii aevi et latinis et germanicis sciunt periti; nec glossariorum investigatores hunc thesaurum neglegent: sed 'ad augendam integrae latinitatis scientiam et glossaria bonae notae cognoscenda' non multa inde redundare merito Loewe p. 253 professus est. Ab his quibus Diefenbach usus est medii aevi exeuntis studiorum asseclis mox deflexerunt lexicorum conditores, ut partim ad Nonios et Festos aliosque eiusmodi scriptores, partim ad ipsos auctores latinos bonae latinitatis testes potiores et locupletiores se converterent. Sic quae antea fundamenta lexicorum fuerant, nunc aut omnino e studiis cesserunt, aut si virorum doctorum curas denuo alliciebant, in supplementorum angulos abierunt, ex quibus obscura quaedam scriptorum vocabula lucem invenirent et notabiliora testimonia quorum apud scriptores vestigia non exstabant excerperentur: neque certe quisquam acrius has reliquias a plerisque paene despectas pervestigavit et quasi in vitam revocavit quam ille princeps doctrinae et ingeniorum, cui nulla antiquitatis pars ignota fuit: Iosephus Iustus Scaliger.[1])

1) De Scaligeri studiis glossematicis olim disputavi (cf. Sitzungsberichte der Königl. S. Ges. d. W. a. 1888 p. 219 sqq.): a qua disputatione nunc non una in re dissentio.

CAPVT XXI. DE SCALIGERI STVDIIS GLOSSEMATICIS

§ 59. Anno fere sexagesimo quarto saeculi decimi sexti Petrus Daniel[1]), philologus et iure consultus Aurelianensis, ex umbra bibliothecae monasterii S. Germani codicem Pseudophiloxeni, de cuius fatis et apographis vol. II p. XVI sq. disputatum est, protraxit glossasque descriptas cum Adriano Turnebo tum Scaligero monstravit. Atque Turnebus his glossis usus est in Adversariis et primum quidem nisi fallor in libro XIII[2]): quorum Adversariorum praefatio data est Idib. Quinctilibus 1564. Idem Turnebus glossas cum Cuiacio communicaverat.[3]) Quod Scaliger testatur in Scaligerianis (ed. Hag. Com. a. 1666 p. 144): 'P. Daniel qui n'estoit pas de plus doctes, les avoit trouvez à St. Germain, les monstra à Monsieur Turnebus et à moy.' Inde excerpta sibi fecit, de quibus ibidem haec tradit: 'j'en avois faict un extract, que je voulois monstrer à Muret et Manuce en Italie, quoyque Manuce ne fust pas grand Grec, mais estant à Lion, R. Constantin, qui faisait son Lexicon, me pria de les luy laisser, quod feci'.[4]) Nec neglegenda est epistula quam Scaliger ad Petrum Danielem dedit (cf. Hageni commentationis p. 21), unde haec exscribo: *Nam de tuo optimo lexico, quod mihi commodasti, hoc vere dicere possum, me hactenus nullum librum tractasse, ex quo plus fructus ceperim. Infinita quidem in eo errata sunt, sed illa sunt, ex quibus illum fructum cepi. Adeo feliciter mihi versatus esse videor in illis emendandis. Sed nisi reliquum ad me miseris, vix mihi satisfecero de illis quaternionibus, quos iam accepi, cum ipsi auxerint mihi desiderium eorum, qui inter tuas manus restant. Quare oro te, mittas ad me illos, ut simulac eos exscripsero, tibi emendatos remittam. Ego fui Biturigínibus, ubi conveni J. Cujacium, qui mihi illius lexici partiunculam*

1) Cf. Hermannus Hagen: der Jurist und Philolog Peter Daniel aus Orléans, p. 9. Ceterum 'P. Danielis philologica' codex Bernensis 189 saec. XVI continet, de quibus cf. Hageni catal. p. 241 sqq. In his ad glossaria pertinent nonnullae particulae: velut sub no. 3 glossae aliquot Pseudophiloxeni incipientes ab his: *Tabo uirgil. Talia* . . . ., exeuntes vero in hanc: *Tragula χερχις βολις* (et sup. scr. *genus arboris iaculum*). Adiecta sunt explicationis causa nonnulla, maiore ex parte satis vilia. Cf. praef. II p. XVII. Sub no. 21 in foliis 22 quaedam excerpta sunt ex Pseudophiloxeno, de quibus diximus praef. II p. XVII. — Sub no. 49 post 'vitam Donati' et versiculos quosdam leguntur glossae latinograecae ex Abavus glossario desumptae.

2) Cf. XIII 14; XVIII 26; XXVII 10; XXVII 15.

3) Cf. Observ. X 34: *veteres glossae quae a doctissimo Turnebo ad me pervenerunt beneficio eiusdem Danielis, a quo Turnebus acceperat, ut idem in Adversariis suis retulit.*

4) Quid ex illis excerptis factum sit et quae ratio inter ipsa et cod. Scalig. Leidensem de quo infra agetur intercedat, obscurum est.

dedit eorum, quae continentur sub litera V. Sed nihil est nisi tu totum mihi mittas. *** *Mittas ad me quoque Papiae lexicon, quod trades Pererio; ego vero pretium solvi iubebo.* Epistula scripta est *IX Cal. April. Tuffoni*; annus non indicatur, sed paene certum est de solo anno 1565 cogitari posse.[1])

Hoc igitur anno multae Scaligeri adnotationes natae sunt, quae partim in libris ipsius manu scriptis exstant partim a Vulcanio editae sunt, de quo mox agetur. Eodem glossario usus est Scaliger in editione Festi, cuius praefatio scripta est IX Kal. Novembr. CIↃIↃLXXIV. Post Scaligerum alii quoque docti has glossas saepe ad Festi vel Pauli verba attulerunt, scilicet pendentes a Scaligero omnes; cf. quae in Scaligerianis ed. Hag. Com. a. 1666 p. 144 leguntur: 'Je m'en suis bien servy en mon Festus; je l'ay cité le premier. F. Ursinus mea Simia se les fit avoir, et depuis les a citez'. Ab anno demum 1573 omnibus aditus ad hunc thesaurum patuit: emissa enim sunt hoc anno 'Glossaria duo e situ vetustatis eruta ad utriusque linguae cognitionem et locupletationem perutilia' opera Henrici Stephani; qui liber cum Pseudophiloxeni tum Pseudocyrilli glossaria continet, quibus interposita sunt 'excerpta ex aliis veteribus lexicis graecolatinis seu glossariis (ut tunc temporis vocabant) vocabula in certa capita velut in communes locos digesta', h. e. Pseudodositheana, quae nos tertio volumini inseruimus. Pseudophiloxeni glossas unde Stephanus hauserit diximus in praef. vol. II p. XVI. Inscriptionem praemisit hanc: 'LEXICON LATINOGRAECVM VETVS GLOSSARII NOMINE INSCRIPTVM: Ex quo multae antiqui sermonis Latini voces, hactenus incognitae, quaedam etiam Graecae cognoscuntur'. Pseudocyrilli glossae

1573 Steph.

1) In fine epistulae leguntur haec: *in tertio libro annotationum mearum, qui est sextus liber Varronis, ubi disputat ipse de Delphorum umbilico, velim haec verba reponas in annotatione, quae incipit: 'Vt tesauri specie', in fine, in quae tu repones: 'quamquam . . . . umbilici.' Haec tu statim, ut acceperis literas meas, reponas velim, et me certiorem facias. Vale.* Quae verba emendata cum in prima Coniectaneorum editione anno 1565 'Lutetiae X Cal. Septemb.' ad finem perducta exstent, epistula ad manuscriptum pertinere videtur, in quo emendationem fieri voluit Scaliger ante quam sub prelum mitteretur. Nec discrepat cum hoc, quod Bituriginibus fuit illo tempore Cuiacius; anno enim 1566 is Augustam Taurinorum transmigravit; cf. Spangenberg Jacob Cujas und seine Zeitgenossen. Leipzig 1822 p. 22 sqq. Ceterum in Coniectaneis illis nullum vestigium esse harum glossarum iam Loewe Prodr. p. 40 exposuit: 'Quando autem Scaliger glossariis operam navaverit inde fortasse quispiam coniecerit, quod in Coniectaneis a. 1565 editis nisi oculi me fefellerunt nusquam glossae proferuntur, multae autem in Coniectaneorum appendice et in adnotationibus ad Varronis de re rustica librum a. 1573 editis, ut inter annos 1565—1572 Scaligeri studia glossematica cadere videantur.'

quae e codicibus nunc primum emergunt hanc habent inscriptionem: 'LEXICON GRAECOLATINVM VETVS in calce quorundam Cyrilli scriptorum inventum'. De fonte quo usus esse videatur editor praef. vol. II p. XXXII satis disputatum est. Eodem exemplari etiam Scaligerum usum esse, non excerptis antea confectis, per se intellegitur. Sed de his excerptis antequam pergam paulo diligentius quam praef. vol. II p. XV et XVI fieri potuit hoc loco agendum esse existimo.

Codex Leidensis Scaligeri 61, ut ab hoc incipiam, opuscula glossographica continet haec: 1) in fol. 45^{v} glossas quasdam latinograecas, ut *Alipe σιχαρ, Summa auricula πτερύγιον, Lannae λοβοί, Trumae παρωτίδες*, in quibus alphabeti ordo non comparet; secuntur glossae alphabeticae *Accensio εἰσβολή, Alburra λεύκωμα . . . Galliculae τροχάδες*: quae omnes in Stephani excerptis leguntur; 2) in fol. 48^{r}—64^{r} notissimum glossarium sic inscriptum: *Liber glossarum ex variis glossariis collectus*, ab *Applare cochlear* ad *Zanga pellis. Acro Nigris medium impediit crus pellibus* (= Vulcan. p. 667—698). Has glossas excipit 3) in fol. 65^{r}—69^{r}: *Iuridicarum vocum explanatio*; 4) in fol. 72^{r}—90^{r} glossarium latinograecum Pseudophiloxeni (cf. praef. II p. XVII); 5) in fol. 90^{v}—92^{r} glossariolum graecolatinum *ἀροτρίασις cuma — ψηρτιᾷ burdit γανριᾷ* (e Pseudophiloxeno detortum); 6) in fol. 92^{v}—95^{r} tractatus de manumissionibus (cf. praef. vol. II p. XIII); 7) in fol. 139^{r}—139^{v} glossarum collectio haec: *Condiarium, aerarium fiscus*; *Subpensura*; *vestiplex*; *Anticialis. flamen*; *Ansillum abditum antrum*; *Pandatitiae*; *Pandium*; *Fanister. fanaticus*; *Vareza. Varezonium. παραξώνιον*; *Clipellum, clipellarius*; *Vnctrinum*; *Serpilaustrum*; *Brixillum. Brixia*; *Divona. Cadurcus*; *Pedoculum. bis*; *Cuculum pedo. bis*; *Horcistipolis. post hypocaustum*; *Brax. braca*; *Suppinulare. genus vestimenti*; *Sororeclatum. plin.*; *Sulphur hillanum. gallenum*; *Termen mantile. Varro*; *Tragilipinum. ur' genus calciam.*; *Postilio*; *Statuarium. basis*; *Digitta*; *Catacussis. vas*; *Aeglitrae. vas. velitriae Tiberis*; *Eglidriae*; *Suericulum. edulae. Sueris. varro. petron.*; *Trunculus Porcilia Attala idem*; *Bargila mantica*; Secuntur 8) glossulae illae quas Vulcanius p. 699—700, nos V p. 613 sq. exhibuimus; dein in fol. 166^{r}—170^{v} 9) glossarium latino-arabicum, quod Vulcanius omissis interpretamentis arabicis p. 701—710 excerpsit (cf. p. 188); 10) in fol. 179^{r}—180^{r} glossae latinograecae ex Pseudocyrilli glossis graecolatinis excerptae; in fine exstant haec: *Rotabulum εὐσκάδης* (III 368, 61) *Arcumterebra, ἔραξι. vibraquin* (III 368, 79); 11) in fol. 180^{v} item glossae latinograecae partim ex Pseudocyrilli glossis factae partim in glossis Stephani exstantes. Ceterum quo tempore Scaliger hunc librum scripserit, non traditur nec probabile est omnia eodem tempore esse exarata. Certe non est cur credamus, 'Isidori'

glossas et Pseudophiloxeni post editionem Stephani scriptas esse; nec ceteras, h.e. Pseudocyrilli et Pseudodosithei, glossas crediderim ex Stephano excerptas esse; provenisse potius mihi videntur ex epistulis sive Danielis sive aliorum, qui talia excerpta speciminis causa Scaligero miserant. Nam cur ex impresso exemplari eum haec exscripsisse putemus nulla ratio in aperto est.

Alter codex, Leidensis Scaligeri 25, in fol. 3^{r}—73^{r} Pseudophiloxeni glossas continet, de quibus praef. vol. II p. XV paucis disputatum est; has excipiunt 'vocabula descripta ex diversis veteribus glossariis'; prima glossa est *Adunatas ἠθροισμένος*, ultima *vada βραχέα*; tertio loco exstant in fol. 77^{r}—80^{v} '*Romanae voces a Graecis explicatae.* A. *ἀδεστράτοι εἶδος ἱππέων* (quibus adscriptum est *αὐγουστία λευκόϊον*) *ἀκία κοντουβέρνιον, λόχος καὶ στίχος ταυτόν ἐστι . acies . . . . Ζάβα, ποδήρης lorica. Finis.*' Pseudophiloxeno quae adscriptae sunt adnotationes, earum in editione nostra maiorem partem exhibuimus. Quae illas glossas excipiunt 'vocabula ex diversis veteribus glossariis' descripta, horum quae bilinguia sunt transierunt in glossaria Labbaei. Longe plurima in aliis glossariis bilinguibus leguntur, inprimis inter Stephani excerpta; quae alibi non exstant, ex apographo Gundermanni subicere visum est (pars harum glossarum in cod. Voss. lat. in oct. 22 exstat, scripta manu G.I.V., h.e. Gerhardi Ioannis Vossii, cum hac inscriptione: 'Excerpta ex vetusto quodam Lexico latino-graeco').

Adunatus ἠθροισμένος; Adequas locus in urbe Roma; Anabla ωφιλοιν (in marg. *for. Nebula vel Ani nebula, ὠοῦ φύλλον aut σίλφιον*); *Atricia genus libi; Amen sanguen genus libi in sacris; Almicies εὐπρέπεια; Amuletum φυλακτήριον, ἀποτρόπαιον; Bessalia; Battualia; Buttubata; Cambio ἀμείβομαι; Cautela largitur; ἀσφάλεια παραδεται* (s. scr. *παραδέδοται*); *Catumcum genus libi; Census suus ὑπόστασις ἰδία; Clavus impurpurata vestis ἐμπόρφυρος ἐσθὴς καὶ ἔνηλος; Clavarius ιλικοπος· ὑλοκοπός* (in marg. *ἑλικοποιός*); *Conglobatio πολυπτυχία; Compitalia seu parentarium ubi eos qui peregre moriuntur colunt; Conspolium genus libi; Corellarium ἐπιχείρισμα; Comisatio συγγένεια; Compressio κομός* (in marg. *κωμος*); *Cocio μεταβολη* (in marg. *βολεύς*); *Columen στερέωμα; Cubula genus libi; Cupientia ἐπιθυμία; Dardus cellarius; Delogata τὰ ἀπονεμηθέντα; Defundo καταχέω; Defingo καταπλάσσω; Decotio εὐγνωμοσύνη; Depopulator λειπότακτος; Decaligator καταποτις* (in marg. *Decalicator καταπότης*); *Designator ἔκδικος; Decessor ὁ κατισχόμενος; Dolobella ἀξιντήριον; Ebesco ἀγοράζω* (in marg. *ἀκοράζω*); *Extar θεατρικὸν ἀργύριον; Extans ἀναφαινόμενος; Executio βοήθεια, ἐκβιασμός; Experiundi τοῦ δικάζεσθαι; Expes ἀνέλπιτος* (!); *Famosa mancipia αἰσχρανδράποδα; Fendices imprecationes; Fori ἐδώλια; Frates genius minutalis in sacris; Frililla pullis nomen; Frumen pullis nomen; Gesta avita ὑπομνήματα; Glos ἀνδραδελφή; Gratilla genus libi; Haec melitio ἡ μηχανή* (in marg. *malitia*); *Haec siliqua κεφάλιον; Hariolus Fi πολος* (! in marg. *θυηπόλος*); *Hoc institutum ὁ ὅρος ἡ ἀγωγή; Iaculator ἐπιβάτης; Iaculum βόλον; Indiscussum ἀνεξέταστον ἐνλογόθετον; In calculum εἰς ψῆφον; Intimatur φαίνεται; Interversor φυράτης; Interversio φύραμα; Insinuat*

δηλοῖ, φανεροῖ; *Incapito* ἐπαρῶμαι; *Indupero* ἐπιτάττω; *Inquissatus* τεθραυμένος; *Inmordosus* (in marg. *Inmorsus*) ἄδηκτος; *Impluvium* μεσαύλιον; *Inquinabulum* μόλυμμα; *Iugumentum* ζεύγωμα; *Iusta* τὰ ἔθιμα; *Iuridica intentio* δικαία νόμιμος; *Laticus* ἐπιλήσμων; *Lindex* κόνις (in marg. *Lendex*); *Landices* ἐσκάριν (in marg. *Lendices* ἀσκάρις ἄκαρος); *Lucas* τὸ λυκοφῶς; *Magistratus* ἐξουσία; *Malitas* κακία; *Naeniae* ἀθιτάφια; *Naenia intestinum per quod proluvies editur*; *Nativa* αὐτόχροος; *Neceo* ἀμελῶ *Neglego*; *Nebulo* σκιερός; *Novae arae* νεα αλονια (s. scr. *Novae areae* νέα ἀλωνία); *Nobo* παρεθο; *Oblicare* ὑποκαστεῖν (f. ὑποσκάζειν margo); *Obra* πίθαχια (marg. *Obba* πιθάχνα); *Panclare* διαστρέφειν; *Plasca bovis cauda*; *Polimina proles aut testes*; *Praefiscini* ἀβασκάντως; *Polymita* ἐνταφιαστής (marg. *Polinctor*); *Palaria*; *Remulcus* πάκτων *Higinus*; *Salinae* ἁλικαὶ ἁλεῖαι; *Secius* ἀλλοιοτέρως; *Siser* ἄγριον σέλινον; *Spatarro* ἐπὶ ἐξουθενισμοῦ; *Stipulatio* ἐπερώτησις δι' ἀσφαλίας; *Stellionatus* μιαρμαστωρ (μιαρός μιάστωρ); *Subditus* ἐνεχυρίασις ριασθείς; *Tabus* τὸ λύθρον; *Tores torques*; *Tricae* τριχώματα; *Vita Deum immortalium* ὦ πόποι ἐκφώνησις ἀρχαϊκή ὡς Κάτων. Ad glossam quae est *Nativa* αὐτόχροος commemoratur hoc: In vet. *Notila* διαχροος f. *Notiva*. Glossae *Hariolus* Fιι πολος et *Hornum* τεησεφετος maiusculis litteris exaratae sunt: unde probabile est veterem illum codicem litteris maiusculis scriptum fuisse. Haud paucae harum glossarum ex Charisio fluxerunt, velut *siser* κύπουρον et *siser* ἄγριον σέλινον se excipiunt (= 32, 14), *hi grumi* οἱ τῶν ὄρων λίθοι (= 32, 21), *gerrae* πλεκτά τινα προσφερόμενα τοῖς τείχεσιν (= 33, 14), *quisquiliae* φρυγάνων χαίτη (= 33, 19), *iusta* τὰ ἔθιμα (= 33, 30), *Extar* θεατρικὸν ἀργύριον (contaminata ex 38, 19 sq.), *Vita deum immortalium* e. q. s. (= 240, 1 sq.). Certe constare videtur ad antiquitatem pertinere haec excerpta omnia.

Etiam in codice Scaligeri 65 glossematica quaedam leguntur. Inscriptio haec est: *Glossarium graeco-latinum*. Prior pars collectionem praepositionum, adverbiorum, coniunctionum graece et latine continet, pars posterior lexicon graecolatinum, sed recentis temporis ut videtur neque ad nostra studia utile.

Ad hos libros manuscriptos Stephani exemplar Leidense quod olim Scaligeri fuit, accedit (bibliothecae publicae gr. 3): cuius lectiones ad Pseudophiloxenum quidem spectantes sub signo *g* exhibuimus, ad Pseudocyrillum quae pertinent hoc loco visum est subicere (omissis eis quae in Harleiano libro recte exhibentur):

216, 33 ἀγκυλοκοπῶ; 220, 14 *pudicabilis*; 223, 60 *ruma*; 224, 4 *Rostra. Fori*; 227, 24 *clupea*; 229, 49 *obstrigillo*; 231, 26 *Susu*; 232, 53 *Depudeo*; 235, 32 *Succida*; 238, 57 *Crementorium aut Termentorium*; 239, 9 *eloco*; 239, 41 *deformo*; 242, 28 *obmuto*; 243, 52 *siciliæ*; 244, 43 *mancus scaeus*; 245, 7 ἀρμενοπετές; 245, 25 *sponsor*; 247, 45 *sarculus*; 248, 20 *cetra*; 251, 8 *ancra*; 253, 14 *investis*; 253, 41 *spontanea*; 253, 50 ἀπουρῶ; 253, 51 ἀπουσία; 253, 52 ἀπουσία; 255, 42 παλλομένων; 260, 60 *occator*; 261, 47 *sinum*; 264, 11 τὰ ἐπὶ βρεφῶν; 265, 33 *batualia*; 265, 44 *ciniflo*; 266, 43 *histriculus*; 269, 19 *ravicula turbicola*; 274, 24 *dependo dependero*; 281, 4 *curulis*; 282, 3 *devius*; 294, 31 *barrit*; 295, 8 *bos Luca*; 295, 58 *involucrum*; 296, 52 *antilena*; 297, 46 *pulsatus*; 299, 41 ἐνλιμένιον; 308, 19 ἐπιθύμησις; 310, 4 ἔπειξις; 311, 30 *compesce*; 313, 33 ἔποψ; 322, 43 *transtrum*; 326, 57 θειάφιον; 328, 43 *ramex*; 331, 24 *ima spina*; 337, 56 *tegetes*; 337, 63 *ridica*; 338, 27 *vitus*; 347, 12 *ti-*

nunculus; 348, 10 *fulgurium dium*; 351, 31 *scalprum*; 351, 39 *gigueria*; 353, 27 *sterculium*; 354, 24 κουρεῖον; 357, 18 κύστις; 357, 65 *lagena*; 359, 5 *pollubrum*; 359, 54 λευκὴ τῆς; 362, 41 *obliquoloquus*; 362, 47 λῦθρος; 367, 45 μανίς; 371, 50 μήλη; 373, 41 κιων] κόχλος; 374, 57 *pumilio*; 377, 26 *alucus*; 378, 25 ξυλοβολών; 385, 11 ἠπήτιον; 386, 32 *sternax*; 386, 38 *crepuscus*; 391, 2 *cloaca*; 414, 5 *longe secus*; 426, 5 *creber*; 426, 52 πυτίνη *tina*; 428, 34 *rosalia*; 429, 39 *lipa*; 431, 13 σικχαίνομαι *taedro*; 431, 15 σικχαντία; 431, 16 σικχαντός; 431, 49 *penicula*; 432, 30 *strupus*: 432, 38 *conniveo*; 438, 11 *stipo*; 439, 34 *tonsilla* add.; 445, 52 *adlucinatio*; 457, 21 τύπος; 458, 10 τρυγώνισσα; 476, 4 *ostedo*.

Inter Pseudophiloxenum et Pseudocyrillum quae exstant hermeneumata Pseudodositheana, nunc primum edita sunt; nam quae anno 1516 colloquia emiserat Beatus Rhenanus cum Stephanianis non consentiunt. His quoque emendationes suas Scaliger adiecit, quarum potiores nunc commemorandas esse duxi.

350, 5 *adipe* στέαρ; 350, 38 ὠτάρια; 350, 42 *strumae*; 351, 13 *ligamenta*; 351, 29 *interdigitia*; 351, 37 ὑμήν; 351, 48 δέρμη; 351, 54 *extalis*; 351, 63 φιλοσοφούντων vel φιλοπονιῶν; 352, 41 παροίμιον; 353, 34 χαράκωμα et χάρακα; 353, 56 *tonstrina*; 355, 14 γερδοποιόν; 355, 61 φυκίς; 355, 76 *galgula* ἴκτερος; 356, 11 λοπάδες; 356, 38 κυκλευτής; 357, 58 *cadi* et *dolia*; 357, 82 *stimulum*; 358, 23 *unedone*; 358, 52 κέρατα; 359, 5 *fagum* φλέως; 359, 19 βουνιάδες; 359, 36 κοκκωταί; 359, 58 *rumex* λάπαθος; 360, 6 *sedum*; 361, 31 καὶ ἄρκος; 361, 45 τομίας; 363, 7 φλεβὸς τόνος; 363, 10 νωθρότης; 363, 32 συνάγχη; 363, 60 ἐξανθημάτιον; 365, 14 *subgrunda*; 366, 10 κάμπτρα; 366, 43 *fusus*; 366, 78 *luricarius*; 367, 34 μολγοπώλης; 367, 64 sq. ἰσοψηφιστής et ἰσοψηφισταί; 367, 80 ἠθμός; 368, 11 *striata*; 368, 61 ἐνσκάλης; 369, 14 χύτρα; 369, 27 χνοῦς; 369, 74 τετημελημένα; 369, 77 *interpolata*; 370, 6 ψιλόσημα; 370, 7 *penula*; 370, 35 *flabellum* σκιάδιον; 370, 38 *ductale*; 370, 46 στηθιστήρ; 371, 21 *bractiarius*; 371, 38 *olerator*; 371, 58 τιμία ἀγγένεια; 371, 77 τραγωδηταί; 372, 24 ἐντυριαδες; 372, 44 *mespela* αχραδες; 373, 47 δαρτης; 373, 73 *lenis*; 374, 19 *quietus*; 374, 35 φαῦλος; 375, 67 *extremalis* ἐξωστιχίς; 379, 11 χαλκάριον; 381, 37 ὑποστιγήν (!); 387, 9 *sacrifica pro copia adscriptum est*; 388, 15 sqq. *se praeteritum esse propter controversiam status quam sibi moverant vel se praeteritum esse mota sibi status controversia*; διὰ διαβολὴν δουλείας ἣν αὐτῷ; 441, 28 *carũcula*; 441, 29 *carbonum*; 441, 30 *craticula*; 441, 71 *circlator*; 442, 6 *cis*; 447, 63 ἀνάλωμα; 448, 81 *lupinorum*; 449, 79 βραστός; 450, 12 ἀμβλύς; 451, 60 *infermento*; 452, 49 ἔνθετος; 455, 48 *manuaculus* δράγμα; 456, 29 θέρμητρον; 456, 49 *mico*; 457, 13 *mostellum*; 457, 23 κάλπις; 457, 33 *nablio*; 457, 36 *natio*; 459, 9 *porceo*; 461, 64 βλῶμος; 461, 65 ἱπποζώων; 463, 13 λίμβα; 463, 33 *scutra*; 463, 64 ψύχω; 464, 41 *extalis*; 466, 4 δάρτης; 465, 33 *acia*; 468, 9 ζωγρεῖον; 468, 15 *cilia*; 468, 37 χωλός; 468, 38 γῇ σφραγίς; 471, 30 *nuptilis* γαμηλός; 471, 54 *vas aquarium*; 471, 74 *volnus*; 472, 29 βλῶμος; 472, 75 *sebum* λίπος; 473, 29 *sporta*.

Ceterum maiorem partem harum adnotationum iam Vulcanius in 'castigationibus' suis adsciverat, de cuius mira cum Scaligero coniunctione nunc paucis disputandum est. Anno enim 1600 Lugduni Batavorum prodiit 'THESAVRVS VTRIVSQVE LINGVAE, Hoc est Philoxeni, aliorumque veterum authorum Glossaria Latino-Graeca et Graecolatina, ISIDORI GLOSSAE Latinae. Veteres Grammatici Latini et Graeci

qui de proprietate et differentiis Vocabulorum utriusque linguae scripserunt. Edita omnia atque recognita studio et opera BONAVENTVRAE VVLCANII Brugensis. Cum eiusdem Notis, In quibus innumerae Compilatorum et scribarum mendae corriguntur, Plurimi etiam Veterum authorum loci emendantur atque illustrantur.' Quo in libro primum continentur Pseudophiloxeni Pseudodosithei Pseudocyrilli glossaria ex editione Stephani repetita p. 2—666; accesserunt alia quaedam opuscula quae non leguntur apud Stephanum; denique Vulcanii notae ad glossaria et cetera opuscula submissis indicibus. De notis Vulcanii ad Pseudophiloxenum quid statuendum sit iam Loewe Prodr. p. 183 docuit: nempe eas non tam Vulcanio deberi quam Scaligero, ut adhibitis Scaligeri ad Festum adnotationibus et eis quas marginibus codicum Leidensium 25 et 61 adscripserat demonstrari potest. Idem de multis in Pseudocyrillum et Pseudodositheum adnotationibus valere ex comparatis coniectaneis marginibus editionis Stephanianae (cod. Leid. bibl. publ. gr. 3) adscriptis apparet: de multis adnotationibus idem valere dixi, nam de omnibus valere demonstrari non potest. Sed difficile erit Scaligerana a Vulcanii inventis si quae sunt dignoscere. De his igitur adnotationibus quod addam non habeo. — 'Glossae e glossario arabico-latino veteri ms. collectae' quae leguntur Vulcanii paginis 701—710 haustae sunt ex Scaligeri excerptis (cod. Leid. Scal. 61 fol. 166^{v}—170): cf. quae p. 189 exposita sunt. Ex eodem codice 61 fluxerunt 'vocabula rariora collecta e glossis veteribus', quae Vulcanius p. 700 exhibet (cf. vol. V p. 613 sq.). Descripsit eadem Burmannus I p. 387—389 adnotatiunculis in margine adiectis, quas tamen parvi momenti esse iudico.

§ 60. 'LIBER GLOSSARVM EX VARIIS GLOSSARIIS COLLECTVS' quam originem habuerit et quae fata nunc melius quam antea novimus: qua de quaestione cum perbene meritus esset Gustavus Loewe Prodr. p. 23 sqq., disputationi eius nonnulla nos adiecimus primum in commentatione de Scaligeri studiis glossographicis scripta, quam supra commemoravimus, tum in praef. vol. V p. XXXII sq. De origine Scaliger (in Scaligerianis ed. Gron. a. 1669 II p. 125) haec dixit: *Isidori glossae in Vulcanii editione sic vocatae, quia ex multis glossariis cum sint collectae pleraque pars sit Isidori*: quod testimonium quomodo cohaereat cum inscriptione codicis Leidensis ultro apparet. Ex tali doctrina nata est Vulcanii inscriptio: *liber glossarum ex variis glossariis quae sub Isidori nomine circumferuntur collectus.* Glossaria ex quibus glossae collectae sunt sub Isidori nomine circumferri non testatur Scaliger, sed partem potiorem glossarum ad Isidorum pertinere putavit: quae Scaligeri coniectura est inde nata, quod ex Isidori libris haud pauca

in glossaria transisse viderat. Mirum est quod neque Scaliger ipse, qui collegisse has glossas putatur, certiora ut de fontibus ita de ratione fontes exscribendi protulit neque Vulcanius rem qualis esset satis perspexerat. Apud Scaligerum enim leguntur, velut haec: *in veteribus glossis, glossae veteres latinae, glossae latinae* aut *in meis antiquis glossis, glossae meae veteres, veteres glossae quas penes me habeo* aut *Isidorus, glossae Isidori, in glossis Isidori, in meis glossis Isidori, in Isidoro, Isidorus in glossis, Isidorus in glossis quae sunt adhuc in membranis* (haec exstant aut in Festo Scaligeri aut in eiusdem *in ⟨Vergilii⟩ Appendicem Commentariis et castigationibus* anni 1573 aut in *Appendice ad coniectanea sua in libros M. Terentii Varronis de lingua latina* eiusdem anni: cf. commentationem meam supra allatam p. 224): a quibus si proficiscimur, constat Scaligerum quidem habuisse hanc collectionem, eum collegisse has glossas neque ipse neque alius diserte testatur. Erunt fortasse qui ex adnotationibus quibusdam, quales exstant 590, 23 (*alibi andusilla*), 594, 73 (*in duobus inveni*), 597, 59 (*in aliis excillare*), 605, 25 (*in duobus inveni*), 609, 20 (*in alio Remascellata*), quibus paucae quaedam addi possunt, argumentum petant Scaligerum de codicibus a se adhibitis testimonium dare: at ne hoc quidem certum est, cum Scaliger, siquidem alius nescio quis collegit, ab hoc transcribere potuerit; certe hae adnotationes non in Leidensi solo, verum etiam in Vaticano leguntur. Quod cum ita sit, non audeo eadem confidentia uti qua fretus olim cum Loewio Prodr. p. 37 Scaligero excerptarum glossarum laudem tribui: nam si statueris Petrum Danielem[1]) vel nescio quem haec excerpta fecisse et Scaligero utenda dedisse, optime illis quae exhibui testimoniis satisfeceris. Vnde simul facile explicetur, cur neque Vulcanius neque alius quisquam illius aevi vir doctus tale meritum Scaligero tribuerit; haec enim Vulcanius 'Castigationibus et notis in glossas Isidori' praemisit: '*Praeter libros Originum quos olim scripsit Isidorus Hispalensis Episcopus, circumferuntur etiam Glossae tum ipsius, tum aliorum quibus tamen authoris sui nomen non est adscriptum. Eas omnes quotquot nancisci potui collegi; et non paucas ex exemplari cuius mihi copiam fecit Ill. vir Iosephus Scaliger emendavi, in multis coniectura mea usus. Quibus tu etiam benevole lector utere, fruere, dum exemplar aliquod MS. integrius quam quae hactenus mihi videre contigit offeratur*'. Haec qui scripsit, Scaligerum has glossas collegisse ne fando quidem audivit. Vti potuit Scaligeri codice 61 et altero illo exemplari, quod Scaligeri fuisse praef. vol. V p. XXXIII docui; certe eum ex codice 61 solo pendere inde refutatur, quod glossae 589, 15—44 in hoc libro non leguntur, leguntur in apographis quae pro-

1) Huius opera in comparandis copiis glossematicis Scaligerum usum esse iam Hagen l. s. s. professus est; cf. 'Jahresbericht' anni 1876 p. 342.

priam classem efficere dixi. Constat igitur Scaligerum duo minimum exemplaria habuisse; ex altero nunc ut videtur deperdito hauserunt Vulcanius, Lindenbrogius, scriba codicis Vaticani, alterum est exemplar Leidense. Vnde intellegitur error Vulcanii, quo ductus sperare potuit novum idque melius illarum glossarum exemplar emersurum esse. Sed utut de Scaligeri in his colligendis glossis partibus iudicabimus, de collectionis ratione atque indole post Loewium nulla oriri potest dubitatio. De fontibus ex quibus quisquis collegit hauserit idem Loewe doctissime disputavit nec sine successu. Atque partem glossarum ex codice Leidensi 67 E (cf. p. 149), alias ex glossis Affatim, non paucas ex glossis Abavus plenioris memoriae, multas ex Osberni Panormia fluxisse feliciter coniecit; quin etiam demonstravit maiores glossarum series continuas esse transcriptas; nonnullas idem cum lemmatis notarum Tironianarum composuit (de quibus nunc docta disputatio Guilelmi Heraei[1]) conferenda erit Archii t. XII p. 83). Quamquam non semel impeditur inquisitio eo, quod glossae non ex uno solo fonte, sed eodem iure ex pluribus codicibus derivari possunt. In universum autem non dubito quin, enixam operam si quis velit huic quaestioni tribuere, longe plurimas glossas ad certum vel probabilem fontem revocare possit. Quodsi olim partem glossarum codicibus Italicis in itinere Scaligeri inspectis tribuere posse mihi visus sum, id cur nunc non audeam defendere ultro intellegitur: quis enim negaverit codicum ex quibus glossae 'Isidori' collectae sint partem prorsus intercidere potuisse? Sed vereor ne operam suam perdat quicumque quaestionem quae est de fontibus post Loewium et nostrum glossarium generale retractaturus sit. Nam plurimae glossae 'Isidori' cum testimoniis priscorum librorum nunc coniunctae sunt; quae restant, velut testimonia quaedam Osberni, facile inveniri possunt; quae non possunt, plerumque minoris aucto-

1) Quod Heraeus ibidem putat similitudines quae intercedunt inter lemmata glossarum plurimarum et notas Tironianas ita explicandas esse, ut qui glossaria condebant his notis usos esse dicamus, interpretamenta autem ipsos finxisse, mihi quidem improbabile visum est. Quid enim demonstrare potest lemmatum congruentia per diversissima glossaria dispersorum? Nec convenit haec sententia cum ratione qua plurima certe glossaria nata sunt. A 'glossis Isidori' ne proficiscamur huius collectionis historia impedit. Codicem autem Vossianum (oct. form. 24) saeculo XVII exaratum esse non neglegendum erit. Qui compositionem lemmatum cuius rationem perbene illustravit Heraeus p. 37 sq. perspexerit, fieri potuisse, ut ex glossariis quaedam adsciscerent qui haec collegit, non negabit. Quamquam ne hoc quidem certum est: possunt enim utrique collectioni eorundem scholiorum excerpta subesse. Ceterum hoc loco addo, quod supra commemorare debui, multa vocabula Tironianae collectionis cum glossis Pseudodositheanis congruere; cf. praeter Heraeum Gundermann 'Berl. phil. Wochenschr.' a. 1895 p. 622.

ritatis esse existimo. Atque fateor me olim dubitavisse, num has glossas in corpus glossarum traducerem: sed tamen fatis huius collectionis cedendum esse putavi; nam dici nequit quam saepe et multis locis his glossis occurramus. Ceterum ad has quoque glossas adnotationes edidit Vulcanius p. 91—104; quarum in fine exstant haec verba: *Habes, benevole Lector, varias quae Isidori nomine circumferuntur glossas in unum veluti fascem collectas, cum emendationibus et variantib. lectionibus, quas partim ad codicis illius cuius mihi copiam fecit Vir Illustris Iosephus Scaliger, partim aliorum quos mihi videre contigit oras adnotatas reperi, quas meis in illas coniecturis et notis inserui. Cum vero glossae Isidori passim a doctis viris laudentur, nolui ut eas diutius desiderares. Vtere itaque his et fruere, dum aliud exemplar MS. melioris notae, cuius mihi ab amico quodam spes facta est, nactus fuero* e. q. s. Haec denuo confirmant quae supra exposui. Ceterum animadversionum plurimas iterum Scaligero deberi, ex his apparet codicis Leidensis 61 adnotationibus apographo Burmanniano debitis:

589, 7 *acoluthus*; 589, 10 *apostropha*; 589, 45 *Sulp. Sev. bis*; 590, 1 *incastratura*; 590, 9 *acatus*; 590, 12 *Cesespita runa*; 590, 14 *Ausonium*; 590, 15 *auctiuncula*; 590, 23 *Andusilla*; 590, 26 *Angina*; 590, 28 *Aginatores*; 590, 36 *Prudent.*; 590, 42 *Agaso*; 590, 70 *Adsecula*; 591, 18 *Atanuvium*; 591, 22 *ἀπάρθενον*; 591, 24 *Acclivem*; 591, 51 *Alterplicem*; 591, 52 *Bellicrepa saltatio*; 591, 58 *Lues*; 592, 1 *Bland- aff-*; 592, 4 *silva*; 592, 25 *Baratrum*; 592, 27 *Barbito*; 592, 41 *aenea concha*; 592, 56 *hircosi. Lucillius*; 592, 58 *Bestae maiae Troiae*; 592, 61 *abortanea*; 593, 27 *subaxellare*; 593, 33 *vendit fumos*; 593, 49 igitur] *legitur*; 593, 52 *Celoces*; 594, 15 *Catax Festo*; 594, 20 *Craticula focus*; 594, 29 *Cisternae lautumiae*; 594, 48 add. *συνεκδήμοι*; 594, 63 *κερμάτιον*; 595, 10 *amentavit*; 595, 14 *Catalecta*; 595, 20 *Catomium*; 595, 25 *Callosus*; 595, 34 *Calator*; 595, 36 *Cartibulum*; 595, 37 *Casnar*; 595, 41 *πρηνίζειν*; 595, 45 *Cuma, cucumula*; 595, 51 *Collibariorum*; 596, 3 *Craticula focus*; 596, 24 *amentavit*; 596, 37 *Camerus curbatus*; 596, 58 *Desultores*; 597, 2 *Dispescatis*; 597, 41 *Dolamen dolabra*; 597, 59 *in aliis excillare*; 597, 60 *manus*; 597, 61 *Exhorris*; 597, 67 *impudens*; 598, 6 *Exedra*; 598, 12 *ethnica*; 598, 48; 49. *Ectica* et *Ecticon*; 598, 53 *Extraculos*; 598, 63 *xenia*; 599, 13 *Ageator*; 599, 22 *baiulus*; 599, 32 *corruptae*] *curvatae*; 599, 45 *Fascina*; 599, 47 *laetum*] *lacte*; 599, 51 *Filonicia*; 599, 52 *Foraculam terebra*; 599, 58 *Flamen dialis*; 600, 6 *penult. longa a fascina*; 600, 13 *Ramix*; 600, 14 *Fanceolaribus*; 600, 24 *Fabrum*; 600, 30 *camelaucos*; 600, 44 *Gazae*; 600, 45 *agger*; 600, 63 *Geminarium* et *Seminarium*; 600, 66 *Ianitrices*; 600, 67 *Glandias*; 601, 10 *εὔνικος*; 601, 14 *Heroicas*; 601, 15 *Heniosus Haineus*; 601, 16 *castratio*; 601, 40 *καταστηλιτεύειν*; 601, 41 *Groma*; 601, 42 *Induciae*; 601, 51 *Iussoria*; 601, 55 *docere*; 602, 3 *Interlitus*; 602, 24 *καταστηλιτεύει* et *καταστηλίζει*; 602, 30 *Iners*; 602, 38 *galiae*; 602, 43 *Casnar*; 602, 56 *Linguis micat ore trisulcis*; 602, 60 *conchale*; 602, 63 *Lacerna genus cucullae*; 603, 1 *vagator*; 603, 7 *Lychni*; 603, 13 *Collusores*; 603, 14 *Larigena*; 603, 31 *agmen quod*; 603, 37 *stlatos*; 603, 42 *grassator*; 603, 46 *Lignicisinus*; 603, 48 *Luceres*; 603, 58 *περιζώματα* add.; 603, 61 *medica*; 603, 62 *mandatur*; 603, 64 *Manualia*; 604, 13 *Mussat*; 604, 40 *Malta*; 604, 43 *Metapontum μεταβολὴ maris*; 604, 45 *Mannus burricus*; 604, 49 *Membranis tergoribus*; 604, 51 *Mosculus*; 604, 59 *Mimarius*;

604, 60 *inanium imitatores*; 604, 63 *Molossus*; 604, 65 *Musantum*; 605, 10 *ardeliones*; 605, 20 *Naturam*; 605, 29 *Gnitura*; 606, 2 *ὠρόσκοπος*; 606, 17 *Psyllus*; 606, 19 *Occidit Obit*; 606, 21 *Operculatis clusis*; 606, 44 *Μωρὸς παλαιὸς φρόνιμον οὐ ποιεῖ νέον*; 606, 46 *Praepos*; 606, 50 *Paginae memoriae sine dolis*; 606, 51 *Pluteum*; 606, 52 *Pancreum*; 606, 53 *Pancrea*; 606, 62 *Patagus genus morbi Theophr.*; 607, 2 *Tinunculus*; 607, 3 *Pipulo convitio ploratu*; 607, 9 *Primipeta primum locum vel gratiam exposcens πρωτόφιλος*; 607, 17 *provecta sunt*; 607, 19 *vel plus quam*; 607, 21 *Procit*; 607, 26 *Pollinctoria, pulvinaria*; 607, 36 *vespillones*; 607, 37 *τεμαχιστής ergo Partitius*; 607, 49 *postulatur*; 607, 53 *promptuaria*; 607, 48 *post 'virgines' sequitur qui primam virgam gestat ante regem*; 607, 62 *'Persius: quem ducit palpo'* add.; 607, 67 *seplasiarius*; 608, 1 *perfecit*; 608, 5 *Pertinacius*; 608, 9 *Pellax*; 608, 30 *taediat* et *Petronius*; 608, 33 *Palaria*; 608, 36 *callosi*; 608, 47 *ἀνέφορον* add.; 608, 50 *Provocavimus*; 608, 61 *Petilis*; 608, 65 *πτύγματα*; 609, 1 *μοιρολόχος*; 609, 27 *Revitere, rebitere*; 609, 29 *Carinas*; 609, 47 *Rati sunt*; 609, 49 *pronulo*; 609, 56 *quibus tigna*; 609, 58 *Chal.* add. Scaliger; 609, 60 *Encaenissat*; 609, 69 *venditor*; 610, 3 *Senturnia σύννοια*; 610, 9 *Strigia*; 610, 10 *Hysgina*; 610, 12 *Istrio*; 610, 14 *Suffragatus*; 610, 16 *Succensetur*; 610, 20 *Subses*; 610, 27 *initiarium*; 610, 30 *Exceptoriae*; 610, 36 *in alio strica*; 610, 48 *Suppara*; 610, 49 *βουκκίων* add.; 610, 67 *σκώληκες*; 611, 13 *Scavillum*; 611, 17 *Stlattarius*; 611, 20 *Lycospadum lupatum*; 611, 35 *sentiosus*; 611, 39 *Petronius* et *Suppis* adscriptum; 611, 59 *Submeiulus*; 612, 4 *Intertrimentum detrimentum*; 612, 5 *Tempestivum*; 612, 10 *Troginus calix Lucilio*; 612, 11 *capitium*; 612, 15 *Triarii*; 612, 18 *Tegularia* et *Petronius* adscriptum; 612, 24 *Tama tames*; 612, 27 *inde titiae aves* et *irrepsit per tumultum*; 612, 33 *Terripiscinae. vide Cuiacium ex Suida λαχέους et Aristophanis scholiasten*; 612, 34 *Cinctorium*; 612, 43 *siri*; 612, 57 *βαλλημάτια*; 613, 16 *per otium*] *passim*; 613, 22 *Aginatus examinatus*; 613, 24 *camera*; 613, 30 *lusitat*; 613, 37 *Viripos viripotens.*

Praeter glossas Isidori etiam Onomastici latinograeci glossas Vulcanius castigationibus et notis ornavit (p. 111—118): de quibus glossis olim magni a viris doctis aestimatis Loewe Prodr. p. 194 sqq. ita disputavit, ut illud glossarium nunc aliquo in numero esse desierit. Nam huius onomastici glossae 9652 latinograecae nihil sunt nisi Calepini 'lemmata mere latina a viro docto nescio quo — fortasse Iacobo Spiegel — saeculo sexto decimo in graecum sermonem conversa, qua in re vocabula graeca et hebraica, quae latinis litteris scribi solent, omittebantur omnia, nomina propria pleraque, rarae et obscurae voces nonnullae' (Loewe p. 198; cf. etiam Gloss. Nom. p. 125). Quod onomasticon primum editum est in lexico Calepini Argentoratensi anni 1537, 'non quo liber grandesceret, sed ut graecissantibus satis fieret.' 'Quo autem modo Vulcanius Onomasticon iteraverit, utrum diligenter an parum accurate, emendatius an corruptius, in hoc inquirere nihil iam refert. Multa eum correxisse negari non potest, cum sane editionis principis cum lemmata tum maxime interpretamenta graeca mendis typographicis scateant. Qua in re quas glossas Vulcanius emendaverit, quas male tractaverit e Calepini lexico facile nunc cognosci potest' (Loewe

p. 199). De fatis huius Onomastici infra iterum tractandum erit. In Scaligeri codice 61 harum glossarum nullum vestigium est: sed novisse has glossas Stephani exemplar a Scaligero adnotatum demonstrat, cuius in foliis 2^{r}—3^{v} excerpta ex illis leguntur; prima est *Abbas κοινοβιάρχης*, ultima *Vtricularius ἀσκανύλης*. In idem Stephani exemplar etiam aliud glossarium latino-graecum illatum est quod nullam cum ceteris glossis bilinguibus rationem habet itemque noviciae originis videtur esse, velut col. 209 exstat *tabellio πιναχογράφος*; 210 *taxillus κῦβος*; *temo ἱστοβολεύς*; *testu ὄστρακον*; 213 *timoratus εὐβλαβής*. Ceterum ad glossas pertinet etiam codex Parisinus 7638 (Telleriano-Remensis 91. Regius 5891), scriptus ab ipso Scaligero, ut etiam catalogus testatur ('*is codex ipsius Scaligeri manu exaratus est*') qui in fol. 1^{v}—165^{v} glossarium continet ex meris lemmatis compositum. Incipit ab his: *A Ab Abacti Abactores Abacus Abagio Abalienatio Abalienatus*, explicit sic: *Zostra Zuzonium Zusa Zythum Zygia Zymen Zygon*. Lemmata non modo ex glossariis, sed etiam ex scriptoribus desumpta fundamentum esse novi latini lexici videntur (cf. comment. mea de Scaligeri studiis glossographicis p. 230). Denique non neglegenda erunt verba Scaligeri schedulae inscripta, quam una cum apographo 'glossarum Isidori' manu Fabricii facto Havniae servari dixi l. modo scr. p. 230, ubi haec leguntur: *colligantur in unum volumen glossaria vetera Latina. conferantur cum Varrone, Festo, Nonio cet ~~no~~ voces, q̄ etiam apud eos habentur praetereantur, indicetur saltem locus. Nisi forte quaedam sint addenda. Nam exactiss. iam habemus in veteres Grammaticos commentar. Corrigantur omnia. ~~verba q~~ voces q̄ Gloss. hb̃nt tamquam sibi propria, explicentur, illustrentur.* En habes qualem editionem veterum glossariorum fieri voluerit Scaliger: qua tamen ratione si rem aggressus esset, quo magis bibliothecarum thesauros novisset, eum de conatu desperaturum fuisse certum est. Sed mox alia ratio excogitata est, qua quidquid ex glossariis saltem bilinguibus accessit doctrinae ad virorum doctorum usum faciliorem accommodabatur, de qua ratione proxima paragrapho agere mihi decretum est.

§ 61. Anno igitur millesimo sexcentesimo Vulcanii editio prodierat. Eodem autem tempore, quo Vulcanius ad hunc laborem sese accinxit, 'id se pariter aggressum profitetur alicubi Casaubonus, qui cum accepisset Glossarii editionem parari a Vulcanio, ab incepto destitit' (praef. Labbaei p. 6). 'Et quamquam hac publicata posteriori editione nihil superesse videretur quod in hoc genere studii expetere quis posset, non defuere tamen, qui quod iam pollicitus erat H. Stephanus, summis votis exoptare se testarentur, ut nempe, cum in plerisque locis vel emendandis, vel a mendi suspicione liberandis veluti mutuas operas

haec sibi Glossaria tradant, eorum facta invicem collatione, Latino-Graecum ex Graeco-Latino, vicissimque Graeco-Latinum ex Latino-Graeco, alphabetico accuratius servato ordine Glossarium adornaretur: cum in iis quae a Stephano et Vulcanio edita sunt, vocabula non statim sub manum occurrerent, ut quae sparsim et praepostera saepe, nec servata semper ubique literarum serie descripta sint. Quod igitur pollicitus fuerat H. Stephanus, quodque a viris eruditis, qui studiorum suorum compendiis vacant, tantopere hactenus fuerat expetitum, Iosepho Scaligero praesertim hortante atque impellente, quod testantur eius epistolae, praestitit Carolus Labbaeus Parisiensis' ... (ibidem p. 6 sq.). Ac re vera Scaligerum hortatorem fuisse strenuum epistulae docent, quas ad Carolum eiusque fratrem Petrum Labbaeos misit, quos in tali glossario adornando occupatos esse audiverat. Loci ex illis epistulis qui huc pertinent in praefatione glossarii expressi leguntur; prima data est 6 Kal. Nov. anni 1601, ultima 8 id. Oct. 1604. Affero verba ex epistula data 6 Kal. Aug. 1602 haec: *Quod si ex vulgari editione, in qua praepostero ordine voces saepe positae sunt, quotidie tantos fructus percipimus, quantum emolumenti sperandum ex illa quam adornatis, in quo omnia ordini suo restituta erunt, cum emendationibus et accessione non vulgari.* Addo haec ex epistula Id. Dec. 1603 data: *Incredibili laetitia me affecerunt literae tuae, postquam ex illis intellexi te supremam manum glossario tuo imposuisse. Quid enim mihi iucundius potest esse, quam me illud opus, cuius concinnandi tibi auctor, hortator atque impulsor fui, ad exitum perductum esse, intelligere, ex eoque nobis et omnibus bonarum literarum studiosis maximam utilitatem, tibi vero immortalem gloriam comparatum iri?* Nec solum hortator et impulsor fuit, sed etiam sedulus adiutor; nec desiit eos consilio suo impertire. Velut cum fratres protraxissent lexicon bilingue, de cuius auctoritate dubitabant, Scaliger rescripsit novicium esse atque '*eius usu*', inquit '*omnino vobis interdico*'. Alio tempore cum incerti essent, quid de 'glossis Placidi' facerent, hoc respondit: '*Illae glossae non magni momenti sunt, de quibus mecum agis postremis tuis, Carole. Poterunt tamen sine fraude ad calcem magni lexici subiici: sed selectiores, non omnes. In Glossarii autem Graecolatini et Latinograeci societatem non sunt admittendi scriptores proletarii, sed classici.*' Quae verba cum ad Placidum eiusque glossas perdoctas referenda esse viderentur, viros doctos merito obstupefecerunt; velut Loewe Prodr. p. 151 adn. 1: '*Non*' inquit '*putaverim haec illum propterea scripsisse, quod Vrsinus, Scaligeri simia, primo eis usus esset: quae opinio Scaligero indigna est. Num aliae erant glossae ab Vrsinianis Maianisque diversae?*' Sane erant: cf. Fabricii apographon Affatim glossarii in libro Havniensi (Loewe Prodr. p. X; supra p. 59), ubi post inscriptionem le-

guntur haec: *Sub Placidi nomine hae glossae a doctis laudantur et fortassis an sunt Placidi, interpretis Thebaidos et Achilleidos Papinii Surculi Statii*: quae verba Lindenbrogii esse videntur. Quantopere Scaliger adiuverit Labbaeum vel Labbaeos, ex nullis glossis magis perspicitur quam ex eis quae Servii nomine circumferuntur. Quarum glossarum apographon ex codice Puteani confectum cum Labbaeus misisset Scaligero, hic emendatum glossarium remisit Labbaeo et utendum concessit (cf. comment. de Scaligeri studiis glossogr. p. 230 et vol. III praef. p. XXXV). Quascumque igitur Labbaeus proposuit harum glossarum emendationes, Scaligero reddendae videntur. Labbaei autem glossarium ipsum hanc habet inscriptionem: 'CYRILLI, PHILOXENI, Aliorumque veterum GLOSSARIA Latino-Graeca et Graeco-Latina, a CAROLO LABBAEO COLLECTA, et in duplicem Alphabeticum ordinem redacta. Cum variis emendationibus ex MSS. Codd. petitis, Virorumque Doctorum castigationibus ac coniectaneis. His accedunt Glossae aliquot aliae Latino-Graecae ex iisdem Codd. MSS. quae nunc primum prodeunt. Praeterea VETERES GLOSSAE VERBORVM IVRIS, Quae passim in Basilicis reperiuntur, ex variis perinde Codd. MSS. Bibliothecae Regiae erutae, digestae, et Notis illustratae ab eodem CAROLO LABBAEO'. Quod glossarium prodiit anno 1679; praefatus est Carolus Du Cange[1]), ex cuius praefatione haec repeto: *Ita porro ille in eo condendo versatus est, ut non modo ab Henrico Stephano edita Glossaria simul contulerit, sed et vocabula quae in Onomastico Latino-Graeco, et in Sylloge illa, cuius meminimus, a Vulcanio publicatis, in eadem vocabulorum serie admiscuerit, hac observata indicationis ratione, ut voces quae in Latino-Graeco Glossario, ex Latino-Graeco, ac vicissim quae in Graeco-Latino, ex Graeco-Latino Henrici Stephani desumptae essent, nullo charactere designarentur: e contra vero quae in Latino-Graeco ex Graeco-Latino exscriberentur, litera C denotarentur, qua Cyrilli nomine inscriptum glossarium innuitur: vicissim quae in Graeco-Latino ex Latino-Graeco, litera P qua Philoxeni nomen intelligi datur: quae porro in utroque Glossario describuntur ex Excerptis, litera E, quae ex Onomastico, litera O, quae denique ex laudata Sylloge, litera S denotarentur.* Quodsi Cangius S valere vult idem quod Sylloge, erravisse eum demonstravit Oehler Mus. Rhen. vol. XVIII p. 254: immo glossae S signo notatae ad Servii quae dicuntur glossas pertinent. Nec quae E notam gerunt, omnes ad Excerpta Stephani sunt referendae; cf. quae de hac re Loewe Prodr. p. 221 exposuit; ex quo loco discimus minimum duplicis originis esse glossas E nota signatas: fluxerunt aut ex Stephani excerptis et Scaligeri supplementis, de quibus cf. p. 247, aut sunt glossae bilingues

1) Cangium esse editorem exposuit Loewe Prodr. p. 220.

incertae originis, ut *βαρύσκοινος profundus in iuncis*, *βυρσοπαγή navis fabricata de corio*, *βυρσινόν corium bovis, ex bisso tinctum*, *βούκρανον galea ex capite bovis*, alia. Singula igitur rariora vocabula graeca explicantur non semel pluribus latinis. Nec desunt glossae latinograecae, h. e. latina vocabula graece explicantes. De additamentis non habeo quod addam, nisi quod partem eorum ex codice Regio fluxisse inveni, quo etiam Cangium usum esse constat, h. e. ex codice Parisino 2628 saeculi XV, de quo conferenda quae II praef. p. XXXI leguntur, velut illud *profundus in iuncis*: qualia cum noviciae originis esse videantur, in societatem genuinarum glossarum non magis admittenda censui quam Onomastici copias. Quamquam nonnulla inesse concedo quae per se neque trivialia sint neque suspicionem moveant: sed cum ne de tempore quidem horum additamentorum constet, non ausus sum adhibere. Ceterum si fieri potuisset, iterum codicem Parisinum evolvissem; quod neque tempore quo haec scripta sunt licuit neque proximis annis licebit.

Praeter eas glossas, quas ex editione Vulcanii receperunt Labbaei, excerpta adiecta sunt 'ex glossario Graeco-latino bibliothecae Monasterii S. Germani Parisiensis', h. e. ex codice Laudunensi qui illo tempore in bibliotheca S. Germani Parisiensis fuit: cf. quae diximus praef. II p. XXVI. Eadem excerpta nos ex codice Harleiano antiquissimo vol. II p. 487 sqq. exhibuimus. Denique ex eodem codice exscriptae sunt glossulae illae nunc quidem graecolatinae, revera tamen latinograecae et ex Pseudophiloxeni copiis ablatae. Cf. quae praef. II p. XXXVIII exposuimus. His additamentis subiunguntur 'Castigationes et emendationes in utrumque glossarium, ex codd. Sangermanensi et Regio, quorum mentio facta est in Praefatione, et ex virorum doctorum coniectaneis, Iac. Cuiacii, Ioseph. Scaligeri, Barn. Brissonii, Henr. Stephani, Petr. Fabri, Theod. Marsilii, Ios. Merceri, Melch. Goldasti, Bonav. Vulcani, Fr. Iureti, Desid. Heraldi, Claud. Salmasii, Isaac. Casauboni, Mart. Delrii, Hug. Grotii, Gotofr. Iungermanni, Gasp. Barthii, Carol. Labbaei, Iust. Lipsii, Fred. Lindenbrogii, Ioan. Meursii, Franc. Nansii, Dion. Petavii, Isaac. Pontani, Ioan. Pricaei, Nic. Rigaltii, Ioan. Schefferi, Ger. I. Vossii, Ioan. Wowereni, Eust. Swartii, Phil. Priorii etc.' Ceterum moneo codicem Regium esse Parisinum 2628, quem modo commemoravi: cuius lectiones haud paucas Cangius Castigationibus inseruit. Scaligeri quas attulit adnotationes, ex Festi editione maxime excerptae sunt. De ceteris viris doctis, quorum adnotationibus usus est editor, aut quod addam non habeo aut infra copiosius disputabitur.

His 'Castigationibus' adnexae sunt 'Veteres glossae verborum iuris, quae passim in Basilicis reperiuntur: quas ex variis MSS. Codd.

Bibl. Reg. Carolus Labbaeus eruit, digessit, et Notis illustravit', h. e. a. 1606, quas iterum imprimendas curavit editor a pag. 1—37 submissis C. Labbaei Notis 'in veteres glossas verborum iuris' p. 37—40. Quas glossas cur non adsciverim in societatem glossariorum latinorum vix est cur multis verbis exponam; neque enim hae glossae, quamvis per se minime inutiles sint, ad linguam latinam cognoscendam multa adferunt, sed docent quibus cum difficultatibus Graecis in legibus Romanis tractandis conflictandum fuerit. Vsus est Labbaeus in editione anni 1606 tribus codicibus[1]) Regiis, 'in quorum fine variae fuerunt harum vocum *συναγωγαί*'; alias habuit 'ex Illustrissimi Ios. Scaligeri et clarissimi Fr. Pithoei schedis'. Quae quidem glossae ante Labbaeum 'maximo studiosorum damno in Bibliothecarum pulvere sepultae iacuerunt' .... nunc vero omnes, quas nancisci potuit collectae et in unum corpus ex ordine alphabetico redactae sunt. De quibus glossis purgandis et explicandis quam bene meritus sit Scaliger post Schultingium (in Ottonis Thes. iur. Rom. tertio volumine p. 1702), Hauptium (Mus. Rhen. vol. XXXIV p. 506), Immischium (Leipz. Stud. VIII p. 303) inprimis docuit Ingram Bywater Mus. Rhen. vol. 42 (a. 1887) p. 62 sqq. ex Labbaei glossarum exemplari manu ipsius Scaligeri correcto. Ceterum conferendae sunt glossae quas cod. Scaligeri 25 in fol. 77r—80v supra habere dixi p. 247. Sed satis iam de Scaligeri meritis mihi videor disputavisse; pergo nunc ad aliorum virorum doctorum studia glossographica non omnium, sed quoscumque praeter ceteros bene meritos esse cognoverim.

1) Addere licet ex Anglorum thesauris nonnulla adnotasse Gundermannum. Inspexit autem codices talium glossarum hosce: 1) cod. Oxoniensem Bar. 50 saec. XI, ubi inter multa alia in fol. 109v—110v exstant *Λέξεις ῥωμαῖαι κατὰ στοιχεῖον. Λιοῦτορ βοηθός . . . φορμαρια ἀποφασις θανάτου . . . τελευτᾶν*: quae collectio re, non verbis congruit cum Labbaeanis; 2) cod. Oxoniensem Bar. 158 saec. XV, ubi in fol. 141v—142 sunt *λέξεις λατινικαὶ* velut *ἀδνούμιον κατ' ὄνομα διέρχεσθαι, Βία ὁδός, Βικάριος ὁ τοῦ οἰκέτου οἰκέτης*, quarum maior pars cum Labbaeanis potest conferri; 3) cod. Oxoniensem Bar. 95 saec. XV (*Λεξικὸν ῥωμαίων κατὰ στοιχεῖον. Ακίωρ ὁ ἐνάγων. Ἀντικίνσωρ ἀντιγραφεύς* e. q. s.; pleraque quae excerpta vidi cum Labbaeo congruunt); 4) cod. Oxoniensem graec. misc. 113 (= Auct. F 4. 14) saec. XVI (eadem continentem cum 3); 5) cod. Oxoniensem colleg. Lincoln. gr. 10 saec. XVII ineuntis in fol. 157v—158v (*λέξεις λατινικαί*; multa conspirant cum 2); 6) cod. Cantabrigiensem (Univ. Libr.) Dd II 51 saec. XIV (*λεξικὸν κατὰ στοιχεῖον ἐφερμηνεύων τὰς ῥωμαικὰς λέξεις τὰς ἐν τῷ νόμῳ κειμένας*; quae vidi conspirant cum Labbaeo); 7) cod. Cheltenhamensis Phillippsianum 1497 (Meerm. 172) saec. XV vel XVI (quae vidi prorsus conspirant cum 6). In catalogo codex Harmenopulo adscribitur, cuius certe *ἑξάβιβλος* praecedit. Ex codice Oxoniensi Barocc. 50 apparet iam undecimo saeculo, h. e. multo ante Harmenopulum talium glossarum *συναγωγὰς* factas esse.

CAPVT XXII.

DE STVDIIS GLOSSOGRAPHICIS SAECVLORVM XVII ET XVIII

§ 62. Inter philologorum coniectanea quae Cangius exscripsit in castigationibus ad Labbaei glossaria pertinentibus (cf. p. 258) nemo saepius commemoratur Claudio Salmasio, cuius inprimis Plinianae exercitationes adhibentur, quamquam alii eiusdem viri libri minime neglecti sunt. Ac sane in illis Exercitationibus multus est polyhistor doctissimus in glossis adferendis explicandis emendandis modo bilinguibus, modo latinis, etiam graecis de quibus nunc non quaerimus. Saepe enim Isidori glossis utitur, ut 88[d], 188[b], 340[c], 1004[b], 1101[e]; item glossis arabico-latinis Vulcanii, ut 296[c], 895[b]; porro glossis 'Puteani', ut 229[b] (*tragelaphus bestia quem Elcum vocamus*; cf. Thes. gloss. VII p. 360); glossis latinograecis locis innumerabilibus, item graecolatinis, scilicet ex Vulcanio, glossis pseudodositheanis et editis et non editis, glossis Servii, glossis graecobarbaris, scil. Meursii, de quibus infra agetur; idem aliis usus est glossis nondum editis, iatricis et botanicis seu herbariis vel simpliciter medicis, glossis medicorum recentiorum, ut Avicennae, item mere latinis, ut glossis 'Palatinis' (p. 100[a] *glossae Palatinae quas penes me habeo*; exemplum quod adfert Placidi est V 87,5 vel IV 126,10), glossis Danielis, item aliis, ut p. 1205[e] (= II p. 12), ne plura afferam: certe constat neminem tanta glossariorum copia usum esse quam Salmasium. Sed quascumque attulit glossas, cum aut notae nobis sint aut si minus notae, non magnae auctoritatis, hodie dignae non videntur quae accurate colligantur et proponantur. Glossae denique quibus in aliis libris usus est polyhistor, eiusdem esse prosapiae perspexisse mihi videor. Ex codicibus autem autographis Parisinis duo huc spectant, quorum alterum iam commemoravimus praef. vol. II p. XIV sq. III p. XI sq., ex quo excerpta uberrima mihi a Gundermanno olim facta praesto fuerunt: quae excerpta pertinent ad Pseudophiloxenum, Pseudodositheum, Puteani glossas (ex glossis 'Abavus' excerptas), de quibus cur diligentius nunc agam non esse videtur. Ad hunc autem librum accedit cod. Parisinus lat. 8738 (de la Mare 593, Reg. 6116; fol. 49) varia opuscula glossematica continens, ut in fol. 26 glossas latinas ad *Ce* seriem spectantes, item Observationes in Pomp. Festum, Isidori glossas et Excerpta Pithoeana e veteribus glossis in fol. 36[v]—40[v], quae saepius cum Vulcanii notis ad Isidori glossas congruunt. En habes aliquot exempla: *Econes sacerdotes rustici. putabam aliquando esse εἰκόνες imagines tantum, hoc est stolidi, imago cum dicatur etiam stupidus et stolidus homo. nunc aliter censeo. Econes vel Egones ut etiam infra scribitur sunt αἴγωνες*

quasi dicas caprarii et bubulci. fucones rupices et similia. hoc sine dubio verum est; *Monopticus mimus. Legendum Monoscopticus in glossis Isidori*; *Oppito sospito. valde saluto. gloss. Isid. lege opito sospito ab opē opito opitare ut sospito sospitare, unde opitulor. haec est vera huius verbi ratio.* His addenda quae in singulorum voluminum praefationibus passim de Salmasii studiis glossographicis protulimus.

Iam ante Salmasium alius vir doctus glossariis cum Vulcanii tum Labbaei diligenter usus erat, nempe Ioannes Meursius ut alibi ita in glossario graecobarbaro, cuius posterior editio priore multo auctior et emendatior anno 1614 prodiit. Cuius lexici fundamentum glossae sunt illae in Basilicis repertae, quas anno 1606 Carolus Labbaeus ediderat, post illas glossae graecolatinae et latinograecae, denique glossae Isidori et latinoarabicae Vulcanii. Ad has glossas editas ineditae accedunt 'glossae graecobarbarae singulis paginis fere pluries' (ut est in indice 'Auctorum graecorum hactenus nondum editorum'), h. e. unum ex noviciis lexicis, qualia in bibliothecis plura latent, satis recens, ut vestigia neograeca aperte demonstrant (an e codicibus Leidensibus?). Multas glossas corruptas Meursius temptavit, ex parte feliciter correxit, inprimis glossas in Basilicis repertas; quarum emendationum partem Cangius in Castigationibus Labbaei glossis adiectis attulit.[1]) His adde quae Loewe Prodr. p. 183 exposuit.

His viris notissimis addendus Caspar Barthius, vir haudquaquam indoctus, cuius tamen doctrinam saepe levitas et vanitas quaedam superavit et obscuravit. Glossas vasti illius operis quod inscribitur 'Adversariorum libri LX' locis pluribus attigit; ante oculos modo Vulcanii habuit, modo Labbaei libros; haud ita paucas glossas corruptas temptavit, quarum Cangius in Castigationibus mentionem fecit. Nondum editae sunt 'Casparis Barthii et Conradi Samuelis Schurzfleischi animadversiones ad glossaria, glossas Isidori, colloquia scholastica aliaque glossematica scripta', quae manu scriptae exstant in bibliotheca Vimariensi sub Hs Fol. 65 modo ad Labbaeos modo ad Vulcanium accommodatae et iam a Valpio in editionis Stephaniani thesauri Londinensis praefatione commemoratae. De quibus post ea quae in Adversariis leguntur neque multa neque magna exspectamus.[2]) Sed non modo glossas editas Barthius tractavit, verum etiam nova quaedam ex codicibus spe-

1) 'Index rerum et latinorum vocabulorum omnium in glossariis graecobarbaris I. Meursii et N. Rigaltii comprehensorum, confectus a D. 1623' est in bibliotheca Guelferbytana sub nro 382 teste Eberto p. 78. Rigaltius 'glossarium τακτικὸν μιξοβάρβαρον' a. 1601 ediderat.

2) Cf. 'Notae et emendationes ad Isidori Glossas ex Manuscriptis Barthii, Schurzfleischii et Daumii collectae et editae a Io. Ern. Imm. Walchio' quae in actis Soc. lat. Ien. vol. III a. 1754 p. 252 exstant.

cimina protraxit, de quibus iam Loewe Prodromi p. 164 disputavit. Primum enim 'in Adversariis commentariis XXXVII 5 glossarium Vergilianum ... edidit, quo praeter Vergiliana non pauca multa continentur ex aliis scriptoribus petita. Idem glossarium emendatius et non interpolatum exstat in codice Vaticano 2730 chart. saec. XV inde a fol. 41^{r} (*abiurare abrogatur abhominari* prima lemmata sunt) usque ad fol. 102^{r} (*mola mollis* extrema lemmata) pertinens, quo de Theodorus Mommsen disseruit in Hermae t. VIII (a. 1873) p. 67 sqq. .... Barthianae glossae ad omnes alphabeti litteras spectabant, in Vaticano A—M tantum insunt'. Quibus Loewii verbis addo huius glossarii exstare exemplaria haud pauca partim in bibliotheca Vaticana, partim in aliis bibliothecis cum Italiae (Mediolanensem D 8 sup. commemorat ipse Loewe) tum extra Italiam. Nunc constat Guarinum Veronensem has glossas ex commentariis nobis haudquaquam ignotis collegisse (cf. Sabbadini, La scuola e gli studi di Guarino, Catania 1896 et Riv. di filol. 31 p. 470 sq.), Barthium autem quae in codice suo invenerat foede interpolasse, nisi statuere malemus ad scribam Barthiani codicis illas interpolationes redire. Cf. de hac re Mommseni 'Gesammelte Schriften' vol. VII p. 515 sq. et Servii vol. III 2 p. 527 sqq. Praeter illas glossas nobis quidem inutiles et glossariolum XXXIII 13 editum (cf. Serv. III 2 p. 523 sq.) Barthius Adversariorum commentariorum libri XXVIII cap. XIX (p. 1341—1343) fragmentum 144 fere glossarum ad unam I litteram spectantium edidit, quod olim 'ex manibus librorum conglutinatoris Londini extorserat'. His glossis non raro usus est O. Mueller ad Paulum, ex ipso Festo fluxisse ratus; re vera Panormiae fragmentum est; nam e 144 illis glossis 139 exstant in I litterae repetitionibus p. 291—295, quamvis prorsus alio atque apud Maium ordine. His quae Loewe Prodr. p. 242 exposuit non habeo quod addam. Item brevis esse possum de eis quae de Fausti Romani cuiusdam glossario dicit, quo Barthius frequenter in Adversariis commentariis utitur. Hoc enim "minime breve" et a "minorum gentium rhapsodo magistro Papia" exscriptum esse ille narrat. Praeterea de indole glossarii haec scripsit p. 511: "sunt apud me in conditoriis veterum memoriarum Fausti Romani — scriptoris adeo probi et eruditi, ut nullum adhuc viderim quem illi praeferre velim, eius quidem generis — glossae, non quidem multis verbis, sed plurima tamen vocabula enarrantes." Num re vera Fausti Romani glossarium exstiterit, admodum dubium est, cum Barthius vir sublestae fidei illud penes se exstare dicat. Quae inde protulit cum libro glossarum nihil fere commune habent, neque tamen omnia ficta esse videntur (Loewe Prodr. p. 165). Sed iam satis de Barthio disputavisse me existimo.

Ex doctorum saeculi XVII numero de glossis latinis praeter ceteros bene meritus est Carolus du Fresne dominus du Cange (Cangius) non tam novis thesauris e bibliothecarum umbra erutis aut emendationibus novis scite excogitatis quam glossarum supellectile ad usum hominum studiis deditorum feliciter accommodata et proposita. Huius enim viri merito factum est, ut glossarum infinita copia in lexicon mediae et infimae latinitatis traduceretur, unde saeculorum decursu studia diversissima egregio successu irrigari potuerunt. Fontibus autem glossematicis cum aliis usus est tum hisce: 1) Stephani et Vulcanii libris notissimis; 2) Salomonis vasto corpore; 3) 'Aelfrici' glossario latino-saxonico; 4) Papiae rudimento elementario; 5) Hugucionis derivationibus; 6) Iohannis de Ianua catholico; 7) Matthaei Silvatici pandectis medicinae; 8) Marchesini mammotrecto; 9) Reuchlini vocabulario breviloquo; 10) glossis manuscriptis quascumque in bibliothecis latere invenerat sive ab aliis acceperat. Paucis annis post idem Labbaei librum nondum editum publici iuris fecit, praefationem praemisit, 'Castigationes' adiecit, in quibus prioris libri saepius mentionem fecerat. De codice Parisino quo usus sit in his supra p. 258 disputavimus; v. Loewe Prodr. p. 218 sqq. Idem denique in glossario 'ad Scriptores mediae et infimae Graecitatis' (ed. a. 1688) multas glossas bilingues attulit, modo ex Labbaeo, modo ex Meursii lexico graeco-barbaro, modo ex ipsis codicibus, velut e glossis iatricis, botanicis, aliis.

Praeter eos quos tractavi alii quoque viri docti nec ei pauci glossariis operam et studium impenderunt: quo e numero commemoro Casaubonum[1]), Heraldum[2]), Goldastum[3]), Gerardum Ioannem Vossium.[4]) Ad hos accedit Fridericus Lindenbrog (Tiliobroga) qui non modo locis plurimis glossas adscivit nec semel correxit, verum etiam

1) De Casaubono haec testatur praefatio Labbaei: 'Sed et id [scil. emendatam editionem Stephani glossariorum] se pariter aggressum profitetur alicubi Casaubonus, qui cum accepisset Glossarii editionem parari a Vulcanio, ab incoepto destitit'.

2) Cf. Adversariorum libros huius viri, et quidem libri I cap. I p. 1—4 (editionis Parisinae a. 1599); IV p. 10—13; VI p. 19; VII p. 28—36; VIII p. 36—43; XI p. 62—67.

3) Cf. Steinmeyer IV p. 483 et huius corp. III praef. p. XVI, ut alia mittam.

4) Cf. huius viri libros 'Etymologicum linguae latinae' et 'de vitiis sermonis et glossematis latino-barbaris'. Quomodo Vossius cohaereat cum 'Notis in glossarium vetus' codicis Parisini Suppl. gr. 83 praef. II p. XX paucis exposuimus. Hueti apographon descripsit Gundermann: sed non visum est has adnotationes, quarum maior pars edita est, iterum proponere. Idem Vossius alia haud pauca apographa reliquit, quorum partem iam commemoravimus.

testes studiorum suorum glossematicorum collectanea reliquit in Hamburgensi bibliotheca adservata, de quibus vol. V praef. p. XXXIII egi. De glossariis latinotheodiscis quae idem habuit, conferendus est Steinmeyer pluribus locis quarti voluminis velut p. 472 et p. 682. Inter doctos Batavos Scaligeri vestigia ingressos glossaria magnam auctoritatem retinuerunt et pauci clarorum philologorum fuerunt qui ea prorsus neglegerent. Quamquam duodevicesimo saeculo haec studia paulatim obtorpuisse fatendum est atque conticuisse. Quod certe mirum est: nam ad manum erant thensauri Gronoviorum, Vossiorum, Heinsiorum, Perizoniorum, aliorum, h. e. codices illorum in bibliothecam Leidensem illati. Atque bibliotheca Leidensis quanta glossariorum copia instructa sit more paene tralaticio comprobari solet notissimis illis Ruhnkenii in praefatione Apulei Oudendorpiani verbis: 'qua de re [h. e. de singularibus quibusdam Apulei vocabulis] liquidius iudicari poterit tum, cum quis iuniorum literatorum, qui nunc subitariis coniecturis edendis famam venantur, sese ad eam laboris, etsi non nimis grati tamen literis et laudi suae magis profuturi, ad eam igitur laboris patientiam sese durarit, ut glossaria latina in Leidensi bibliotheca latentia, quibus nihil usquam vel vetustate vel praestantia simile reperias, e tenebris in lucem vocet linguamque latinam, de cuius inopia vetus querela est, aliquot mille vocabulis ac formis nondum cognitis locupletet' (Loewe Prodr. p. 168). Quae scripserat Ruhnken anno 1786, repetita sunt in Opusculorum t. II (Lugd. Bat. a. 1823) p. 653 sq., cum iam antea Burmann longe plurima glossariorum Leidensium in chartas suas et apographorum thensauros transtulisset. — De quibus apographis Burmanni haec transcribenda esse putavi ex Loewii Prodr. p. 169 sq.: 'Codices XXI Burm. Q 5 duo spissa volumina sunt 4° nitide scripta, quae Petrus Burmannus Secundus haud dubie edenda destinaverat, opus, ut iure suo ait Geelius, maximae diligentiae, quo carere non poterit, si quando inveniatur, qui Corpus Glossariorum condere velit. Insunt

Vol. I 1 p. 1—159 = cod. Vossianus Fol. 26. A et B litteris adscriptae sunt glossae e cod. Leidensi 191 petitae itemque coniecturae N. Heinsii et Petri Burmanni patrui [sunt gl. Affatim].

Vol. I 2 p. 161—323 'glossarium in SS. Biblia ex duobus Leidensibus ... collectum' [cf. quae de biblicis glossis § 56 disputavi; adde Loewii Prodr. p. 141].

Vol. I 3 p. 329—379: has glossas Lindenbrogius Placido falso tribuit [Affatim glossae sunt]; p. 380—385: glossae a Turnebo in Adv. XXVIII 5 et 6 editae; p. 385—391: minora nonnulla, non nimis gravis momenti, de quibus alibi fortasse plura.

Omnia quae inde a p. 329 usque ad p. 391 pertinent Hamburgi ex schedis Ioh. Alb. Fabricii descripta Ruhnkenius cum Burmanno communicaverat; p. 392—394 et 395: voces variae animantium.

Vol. I 4 p. 396—412 et 413—429: duo glossaria e Vossiano Oct. 24 petita.

Vol. I 5 p. 425—483; liber glossarum ex variis glossariis collectus: apographon particulae codicis Scaligerani 61.

Vol. I 6 p. 495—552: Dosithei glossae latinograecae;
p. 553—555: Eucherii glossarum spiritalium fragmentum;
p. 557—569: eiusdem glossae spiritales ex codice Leidensi descriptae.

Vol. I 7 p. 571 sqq.: glossae graecolatinae Dosithei; p. 635—711: epitome Philoxeni glossarum a Scaligero e codice Parisino 7651 excerptarum; p. 712—716: vocabula graeca rariora e glossis Philoxeni a Scaligero collecta.

Vol. II 8 p. 1—380: glossarium codicis Vossiani Fol. 82.

Vol. II 9 p. 1—19: particula codicis Vossiani Fol. 26.

Vol. II 10 p. 1—252: glossarium codicis Vossiani Fol. 24. Additae sunt 'schedae ad apographa Burmanni pertinentes', inter quas habes glossas Servii grammatici, glossarium manu Boxhornii scriptum, duo fragmenta membranea Papiae, alia.' Haec Loewe; qui tamen rectissime negavit ad glossaria edenda Burmanni apographa sufficere, id quod et ipse et Gundermann apographis quibusdam denuo examinatis confirmare possumus. Ipsa autem glossaria bibliothecae Leidensis mox misere obdormiverunt, ut surdis auribus Ruhnken cecinerit.

Agmen virorum illis temporibus de glossariis latinis hac vel illa ratione bene meritorum claudat Faustinus Arevalus, doctus Isidori Hispalensis editor. Qui cum 'glossas' Isidori quae dicuntur praeter eiusdem 'differentias' editioni operum episcopi Hispalensis inserere et commentario illustrare sibi proposuisset, in 'Isidorianis', h. e. in Prolegomenis, cum harum glossarum ipsarum et differentiarum historiam criticam pertexuit uberrimam tum alias glossas, biblicas inprimis, in lucem protraxit, velut glossas Veteris et Novi Testamenti, quas eum voluminis VII p. 407 sqq. edidisse supra p. 218 diximus. Vsus est in ea re copiis bibliothecae Vaticanae, cuius exemplaria plurima ut glossarum ita differentiarum inspexit et paucis descripsit, quamquam altius in quaestiones glossographicas non descendit.

CAPVT XXIII.

DE STVDIIS GLOSSOGRAPHICIS A MAIO VSQVE AD GVSTAVVM LOEWE

§ 63. Angelus Maius, primum Ambrosianae tum Vaticanae bibliothecis praefectus, quo nemo maiore successu reliquias veterum scriptorum tenebris bibliothecarum tectas protraxit potius quam illustravit, de glossariis latinis quadruplici modo meritus est. Primum enim Placidi glossas post Fulvium Ursinum qui illis ad Festum enarrandum usus erat ex quattuor codicibus Vaticanis tertii voluminis Class. Auct. p. 427—503 a. 1831 edidit, quae editio in Germania repetita est a Reinholdo Klotz in Iahnii et Seebodii Nov. annal. tom. suppl. II (a. 1833) p. 439—471 et 485—492; idem primus librum glossarum ad has reliquias male habitas adscivit et multa emendavit in Class. Auct. vol. VI p. 554—574 usus codice Palatino 1773 saeculi X. Secundo loco glossas commemoro quas ex codicibus quibusdam Vaticanis excerptas sexto et septimo voluminibus Classicorum Auctorum adiecit. Accedit tertio loco thesaurus novus Latinitatis in octavo volumine, h. e. Osberni Panormia, anno 1836. Quarto denique loco in 'Scriptorum veterum novae collectionis' volumine VI (a. 1832 edito) 'Attonis Iunioris Vercellensis episcopi Polipticum quod appellatur perpendiculum cum antiquis glossis et scholiis' evulgavit. Atque de Placidi glossis post ea quae in praef. V voluminis exposui nunc non habeo quae addam. Vaticana autem lexica edere se in animo habere voluminis quinti Classicorum Auctorum praef. p. VII diserte profitetur: 'quod vix propositum . . . ob immutatam occupationum . . . rationem' exsequi non licuit (cf. vol. VI p. VII). Pergit autem sic (vol. VII p. 7): 'ne tamen omnino promissi immemor videar, latinum breve glossarium huic volumini adtexo, quod ex Vaticanis codicibus olim mihi paraveram; nempe ex codice uno mirabili litteris grandibus saeculi ferme VI, ex altero saec. IX, ex tertio denique saeculi XI, quos omnes ab initio ad calcem expilavi. Alios vero codices, nempe unum saeculi X, tres saeculi XI, unum saeculi XII, nonnisi in litteris A et B excerpsi; progredi enim ob aliorum negotiorum instantiam non potui.' Vnde apparet non unum esse glossarium quod p. 501 sqq. edidit ('glossarium vetus ex membranis bibliothecae Vaticanae' inscriptio est) sed ex pluribus confusum et ad severiorem elementorum ordinem redactum: cuius glossarii fundamentum fuit cod. Vaticanus 3321 vetustissimus a me quarto volumine editus; in ceteris fontibus Vaticanus 1471 fuisse videtur, e quo multae glossae Terentianae haustae sunt, velut *Abremissioris neglegentioris*,

Absente nobis nescientibus nobis, Absquivis absquovis, Asinum tantum tam grandem iuvenem, aliae. Cur diligentius singulas glossas discernamus nulla ratio esse videtur. Ceterum quaecumque peculiaria exhibet Maius, in Thesauro glossarum emendatorum conficiendo adscivi. Etiam septimo volumini idem Maius glossarium addidit, de quo sic disputat p. 549: 'Augendi opes latinitatis cupidus, non ita brevem sexto in volumine vocabulorum numerum constipavi, ex antiquis glossariis sumptum, multoque uberiorem mox in octavo congesturus sum. Nunc eodem codice utens, de quo T. VI p. 553 verba feci [h. e. codice Palatino 1773 libri glossarum] copiosam aliam glossarum seriem scribo, sane mendis compluribus interspersam quae vix ab homine otioso, nedum a me festinante, auferri possunt' e. q. s. Adnexum est p. 586 'specimen glossographi veteris in codice Mediolanensi (e schedis meis)', quo in specimine non glossae sunt quae proprie dicuntur, sed differentiae, etyma, orthographica, alia id genus. Ex libri glossarum codice Palatino etiam alia quaedam excerpta fluxerunt praeter Placidi glossas, de quibus cur disputem non invenio. De Osberni Panormia conferenda sunt quae supra p. 196 sqq. attuli. De glossis ad 'Polipticum' spectantibus et de hoc ipso opusculo quae dicenda esse videantur huic loco reservanda esse censui.

Atto igitur episcopus Vercellensis (a. 924—961) Polipticum creditur edidisse quod quale sit scholio undecimi saeculi sic explicatur: *polipticum est multorum descriptio. pol⟨is⟩ grece multorum dicitur: non enim specialiter tantum de uno loquitur, sed plurimorum corripit ⟨viti⟩a* (quae uncis inclusa sunt, in codice non iam legi possunt). Merito igitur polipticum saturam esse dicemus contra viros in rebus publicis potentissimos scriptam, de qua pluribus egit I. Schultz (Atto von Vercelli p. 30 sqq.). Exstat in codice Vaticano lat. 4322 saec. XI duplex huius opusculi recensio, quarum prior est in fol. 35^{r}—48^{a}, edita a Maio l. s. s. p. 43 sqq. Altera recensio est in fol. 49^{r}—69^{r}, cuius maiorem partem protulerat Io. Dominicus Mansi in appendice t. II miscellaneorum Baluzii (Lucae a. 1761). Quae recensiones ita differunt, ut posteriori glossulae adscriptae sint modo inter versus modo in margine, priori non item; ipsa verba collocatione potissimum differunt. Quae diversitas qualis sit ut appareat, caput XVII subiciam ex editione Maii adscitis et apographo Tschiedelii et tabulis phototypis, quae apud me sunt.

Digna quidem species a torpido vix pululat vel nequando genere. Nec quae etiam ab expectabili extat, indifferenter provenit, sed subinde praecipuo defluit a germine, nequam ut praetexata tonant ad screptra, et est inde ruere crimen. Sed quemquam perficiet, nec sola dicatio magnum aequa, minoribus dignitatem imbutis quoque protendat honestus, quoad in aeter-

vale natum conscendere regnum. Redimiis debentur hae omnibus et filacteriae Christi. In mensura vitae cuique propria servare modestum. Accidiam ambire ponat extra, sit et abrogans sit neque congerro. Sat cui sint beneficia iuste ei quae liquerant antigenae, impendit et erilis liberalitas quae inlibato famulatu cogente, iure et exacta de proprio quae rusticatio fundit, ars et iniuncta quae rite depromit. Officia delegant, et sedulo si forte maiores, suppleat non pompam hic sed gestiendo perhennem. Emolumentum quae si referant, laudes aeterno rependat, et pariter obsequia. Deliquium et quamvis patiatur, eundem non expes flagitare deserat nec in egestate blasphemet, ignarus qua sit sententia tactus. Inopinatae nequeunt num succedere vices? Pre se cenodoxus inhiet egratus, nam si auctionari erinis hic elisus poterit, ereboque retrudi.

A quibus altera recensio sic differt (in adnotatione posui scholia et quidem cursiva scriptura glossas interlineares, ceteras antiqua scriptura):

Digna[1]) *quidem speties*[2]) *vel vix vel nequando pululat a torpido genere.*[3]) *Nec quę extat*[4]) *etiam ab expectabili*[5]) *indifferenter*[6]) *provenit.*[7]) *Sed subinde*[8]) *defluit*[9]) *nequam*[10]). *a praecipuo*[11]) *germine*[12]) *Et inde*[13]) *est crimen*[14]) *ruere*[15]) *ad screptra*[16]) *ut tonant*[17]) *praetaxata.*[18]) *Sed nec sola*[19]) *aequa*[20]) *dicatio*[21]) *perficiet*[22]) *quemquam*[23]) *magnum*[24]). *ni*[25]) *honestus*[26]) *protendat*[27]) *quoque dignitatem*[28]) *imbutis moribus*[29]) *quoad*[30]) *valeat*[31]) *conscendere*[32]) *in aeternum*[33]) *regnum. Et hę filacterię*[34]) *debentur*[35]) *omnibus*[36]) *redimiis*[37]) *χ̄ī. Cuique*[38]) *servare modestum*[39]) *vitę*

1) *Congrua.* 2) speties est res quae per aliquam differentiam descendit a genere. hanc aristoteles secundam substantiam dicit. dicitur autem speties ab aspectu quo solet discerni. plerumque tamen figuram significat. 3) genere. genus est quod de pluribus et differentibus specie vero quod quid sit praedicatur. 4) *constat.* 5) *nobili.* 6) *indubitanter.* 7) *ad perfectum venit.* 8) *sepe.* 9) *emanat.* 10) *inutilis.* 11) *eximio.* 12) *origine.* 13) *scholion oculis discerni nequit.* 14) *grave peccatum.* 15) Ruere cum impetu prosilere. nam ruere a ruina dicitur. solent denique qui incom⟨m⟩ode querunt ascendere infeliciter etiam ad ima devertere. 16) *ad imperium.* 17) *sonant.* 18) *idest praedicta.* 19) *singularis.* 20) *iusta.* 21) *ordinatio.* 22) *explebit.* 23) *aliquem.* 24) *praefectum.* 25) *nisi.* 26) Honestus optimus, quod nihil habeat turpi⟨tudi⟩nis. nam honestus dicitur quasi honoris status m . . . . eum regalem tam decenter regere dignitatem ut non tant⟨um⟩ custodiri sed etiam exaltari per ipsum videatur nec solum in honoris principio sed etiam usque ad mortem hoc implere festinet. 27) *exaltet.* 28) *honorem.* 29) *instructis consuetudinibus.* 30) *quousque.* 31) *possit.* 32) *ascendere.* 33) aeternum regnum perhennem gloriam quia in hoc saeculo nullus poterit esse securus. 34) *observationes.* 35) *debita sint.* 36) *cunctis.* 37) Redimiis redimiae denique sunt quae ab hostibus pervasa a propriis dominis redimuntur. redimiae ergo χ̄ī omnes sunt christiani. quos a diabolica pervasione suo sanguine redimere et sibi reconciliare dignatus est. 38) *scil. debetur.* 39) *aequum.*

in propria[40]) *mensura.*[41]) *Ambire*[42]) *extra*[43]) *ponat*[44]) *accidiam*[45]) *et sit abrogans*[46]) *neque sit congerro.*[47]) *Cui sat sint*[48]) *beneficia*[49]). /////////// *que iuste liquerant*[50]) *ei antigenę*[51]) *et quę impendit*[52]) *erilis*[53]) *liberalitas*[54]). *cogente*[55]) *inlibato*[56]) *famulatu*[57]). *etquę fundit*[58]) *exacta*[59]) *rusticatio*[60]) *de proprio iure*[61]) *et quę rite*[62]) *depromit*[63]) *iniuncta*[64]). *ars.*[65]) *Et si forte maiores sedule*[66]) *delegant*[67]) *officia*[68]) *suppleat*[69]) *non gestiendo*[70]) *hic*[71]) *pompam.*[72]) *sed*[73]) *perhennem.*[74]) *Quę si referant*[75]) *emolumentum*[76]). *rependat*[77]) *pariter laudes*[78]) *et obsequia*[79]). *aeterno*[80]). *et quamvis paciatur*[81]) *deliquium*[82]). *non expes deserat flagitare eundem nec blasphemet*[83]) *in egestate*[84]). *ignarus*[85]) *qua sententia*[86]) *sit tactus*[87]). *Num*[88]) *nequeunt*[89]) *succedere*[90]) *inopinatę*[91]) *vices*[92])? *Nam si cenodoxus*[93]) *inhiet*[94]) *egratus*[95]) *auccionari*[96]) *pre se poterit*[97]) *hic elisus*[98]) *erinis*[99]) *et retrudi*[100]) *erebo.*[101])

Iam ex hoc quod dedi specimine apparet orationis glossematicae luculentissimum exemplum dedisse auctorem, quali medio aevo qui docti videri voluerunt non semel usi sunt, verba trita despicientes et ex glossariis obscuras loquelas arripientes, ex Fulgentio, Placido, libro glossarum haustas: quod genus dicendi novimus iam ex notissima illa anthologiae Salmasianae praefatione, quam alibi (cf. 'Berichte der

---

40) *secundum.* 41) *suum modum.* 42) *appetere.* 43) *ultra modum.* 44) *extimet.* 45) *tedium.* 46) Abrogans idest humilis arrogans vero est superbus. 47) Congerro. Congerrones dicuntur qui aliena bona sibi congerunt idest congregant 48) *sufficiant.* 49) *proficua.* 50) *derelinquerant.* 51) Antigenae. maiores antegeniti. 52) *adtribuit.* 53) *dominica.* 54) *largitas.* 55) *compellente.* 56) *fideli incontaminato.* 57) *servitio.* 58) *effundit.* 59) *peracta.* 60) Rusticatio. laboratio. rusticatio quippe dicitur quasi ruris actio. 61) *privata possessione.* 62) *legitime.* 63) *profert.* 64) *commissa.* 65) Ars. ingenium. non enim solum regibus sed cuique modeste convenit vivere. et quae illi debetur tantum perquirere nedum indebita concupiscit iure privetur etiam adeptis. 66) *sine dolo.* 67) *eligant.* 68) *ministeria.* 69) *humiliter impleat.* 70) *optando.* 71) *in hoc saeculo.* 72) *gloriam.* 73) *scil. gestiendo.* 74) Perhennem aeternam. plus namque de adeptis ministeriis lucrum animae quam corporis perquirere debemus. 75) *reddant.* 76) *lucrum.* 77) *retribuat.* 78) *laudationes.* 79) *servitia.* 80) *deo.* 81) *sustineat.* 82) *defectum.* 83) *maledicat.* 84) *paupertate.* 85) *inscius.* 86) *iuditio.* 87) *pulsatus.* 88) *an.* 89) *non possunt.* 90) *subvenire.* 91) *insperate.* 92) Vices. alternationes. solent vero in officiis constructi interdum ab ipsis lucra adquirere. interdum etiam damna sustinere unde nunc ammonentur ut tam in prosperis quam in adversis aequanimiter se .... studeant custodire. 93) *vanae gloriae cupidus.* 94) *intendit.* 95) (scholion discerni non potest). 96) *augmentari.* 97) *ultra modum valebit.* 98) *oppressus.* 99) Erinis miseriis. quidam etiam nomen furiae esse dicunt. 100) *includi.* 101) Erebo. inferno. sciendum tamen quia si ultra modum sequis tolli voluerit et hic plerumque deicitur et infernalibus ... ris in futuro proinde mancipabitur.

Königl. S. Ges. d. W.' 1896 p. 65 sqq.; adde quae p. 100 exposita sunt) tractavimus. His addendum esse poetam qui Gesta Apollonii (Duemmler Poet. lat. aev. Carol. II 484 sqq.) versibus illustravit ex eis quae post Schepssium (Neues Archiv IX p. 178 sqq.) Ludovicus Traube (Neues Archiv X p. 382) monuit apparet. Alia exempla praebet Aethicus Ister qui dicitur (cf. exempla quae l. s. s. p. 71 exhibuimus), item Abbo in carmine de bellis Parisiacae urbis. Vituperavit talia ut exempla iactantiae illicitae Hincmarus Remensis in epistula ad Hincmarum Laudunensem scripta (cf. ed. Cordesii Paris. a. 1615 p. 211): *Verba quoque abstrusa et undecumque per glossulas collecta et sine ratione posita, quae in hoc scripto tuo posuisti, sicut et in aliis Domno Regi et mihi olim directis congessisti, redarguunt te typho iactantiae, cum dicat Apostolus: vocum novitates devita* et paulo post: *nos etiam moderni glossarios graecos, quos suatim lexicos vocari audivimus, sed et sapientum scripta de nominibus abstrusis habemus, et adeo sensatuli sumus, ut nostras dictatiunculas eo usque circumducere et producere possimus, quatenus verba Graeca vel abstrusa de glossariis adsumpta in admirationem vel stuporem nescientibus seu scalpentibus aures habentibus proferre possimus*: quos locos primus attulit in praefatione glossarii sui Cangius. Similis generis Osberni et Hugucionis sunt praefationes, quas supra p. 192 et 197 expressimus. Eiusdem viri utramque recensionem esse falso testatur scriptor anonymus verbis post priorem recensionem et preces huic submissas (*OREMVS. Deus auctor omnium ... per omnia saecula saeculorum. amen*) adiectis hisce (quae precedunt mutilato initio eodem spectant): *Sed postquam quę inibi addere proposuerat plane digessit liberum iam legere volentibus ad id permisit accessum. Audiens tamen quod ab aliquibus et etiam scolasticis artius in quibusdam protestaretur obstrusum apertius tunc cunctis ilico statuit inquirentibus quę libet huiuscemodi dilucidare.* Quae verba ad posteriorem recensionem pertinent, qua obscura vocabula ex glossariis magnam partem hausta glossariorum auxilio illustravit, modo glossulis interlinearibus adiectis, modo marginibus dextris sinistrisque impletis, quorum scholiorum et interpretamentorum haud parvum numerum in libro glossarum inveni. Sed de hoc opusculo Maii industria in lucem revocato alio loco spero fore opportunitatem accuratius et rectius quam adhuc factum est disserendi. Ex scholiis quorum partem tantum exhibuit Maius, aliquot saltem in Thesauro glossarum emendatarum posui.

Maii qui excepit operam festinationis plenam Franciscus Oehler, Arnobii editor (a. 1846) Halensis, non modo anno 1847 specimina quaedam studiorum suorum glossographicorum in Iahnii Annal. XIII p. 230 sqq. 325 sqq. protulit, sed ad maiora sese accingens editionem glos-

sariorium nescio qualem praeparare coepit. Atque specimina illa quae dixi pertinent 1) ad glossas Isidori, quarum discrepantiam ex codice quodam Vossiano desumptam ('haec ex codice Isidori manu Nansii descripto sunt, qui in Vossiana exstat bibliotheca') et margini editionis Vulcanii Lipsiensis (bibliothecae senatoriae: cf. Naumanni catal. Rep. I 33) adscriptam edidit suisque coniecturis inutilibus plurimis utilibus pauculis auxit, ex quibus hanc vel illam in Thesauro glossarum emendatarum attuli (cf. Loewe Prodr. p. 35 sq.); 2) ad Osberni Panormiam, cuius codicem Amplonianum cum scriptura Maii asterisco in marginibus notata speciminis causa contulit (cf. quae diximus Loewe Prodr. p. 241 sq. et nos p. 264); 3) ad glossas Amplonianas notissimas, easdem quas nos in altero et quinto voluminibus exhibuimus, quarum glossarum partem aliquam integram edidit partem excerpsit: quo in negotio eum cum neglegentissime tum sine ratione certa versatum esse Loewe Prodr. p. 111 diserte monuit. Maiore successu idem de glossis 'Servii Grammatici' t. XVIII Musei Rh. (a. 1863) p. 255 sq. disputavit (cf. quae dixi p. 15); glossas ipsas quominus ederet morte impeditus est. De collectionibus autem quas reliquit in catalogo bibliothecae regiae Berolinensis ubi nunc Oehleriana adservantur haec exstant: '*Oehler*, Franz, in Halle. Sammlungen über lateinische Glossarien in 10 Kästen (in Kasten 10 der Haupt-Hoffmannsche Nachlaß an Glossarien) = Lat. quart. 331 mit einem Verzeichnis dazu von Zacher = Lat. quart. 330 (acc. ms. 9929), 1874 erworben. Der Rest des Oehlerschen Nachlasses, namentlich eine Abschrift des Glossarium Latino-arabicum sec. IX ex bibliotheca acad. Leid., Scal. 231, in 7 Heften in quart. = Lat. quart. 332 (acc. ms. 10038), 1874 erworben.' De apographo codicis Leidensis cf. nunc quae Chr. Fr. Seybold (Gloss. Lat. Arab.) p. XII exposuit. Ex eis quae Loewe in 'Collectaneis' suis de excerptis Oehleri adnotavit intellexisse mihi videor non fuisse cur has copias ipse denuo adirem. — Tertius post Maium est Gustavus Fridericus Hildebrand, gymnasii olim Tremoniensis rector († 1869): qui iam in Apulei editione anni 1842 glossas adhibendas esse, inprimis Placidi copias a Maio protractas cum perspexisset (cf. praef. vol. I p. IV. V), a. 1845 Arnobii adversus nationes libros septem adiecit eodem modo pertractatos: unde se mirifico glossas indagandi et detegendi studio accensum esse aperte fatetur. Mox cum per sex fere menses Parisiis versaretur, etiam ad eos bibliothecae Regiae codices, quibus glossaria latina continentur animum appulit et in tantam eorum molem incidit, ut vix quartam partem describere posset.[1]) In quo nu-

1) Cf. idem Muetzells Zschr. 1853 p. 113 sqq. (über die lat. Glossare zu Paris und Leyden).

mero etiam codex fuit Parisinus lat. 7690, qui 'Abavus' glossarii breviorem memoriam continet (de quo cf. praef. IV p. XXI). Quo codice ita usus est, ut litterarum A—C glossas quasdam quas ceteris praestare putaret excerperet, excerptas publicaret, reliquas integras adiceret, omnes commentario illustraret modo emendationibus propositis modo glossis ex aliis glossariis allatis, velut ex libro glossarum, glossis Maii, Papiae, glossis Isidori quae dicuntur, Amplonianis Oehleri, glossis quibusdam illius libri Parisini 7690. Liber quem anno 1854 Gottingae emisit hanc habet inscriptionem: 'GLOSSARIVM LATINVM bibliothecae Parisinae antiquissimum saec. IX. Descripsit primum edidit adnotationibus illustravit Prof. Dr. G. F. Hildebrand schol. Tremon. prorector'. Cuius libri specimen programmate a. 1848 Tremoniensi iam antea evulgaverat. Edidisse autem se hoc glossarium praef. p. X narrat eo consilio, ut monstraret, qua ratione latina glossaria colligenda, redigenda, emendanda, edenda ipse censeret. Qua in re rectam eum viam inisse negabit qui adnotationum plerumque inutilium et coniecturarum minime probabilium molem paulo diligentius perlustraverit (Loewe Prodr. p. 87 sq.). Eundem virum iam a. 1845 libri glossarum particulam codicis ut videtur Halberstadiensis ab *aq* usque ad *ar* pertinentium edidisse Loewe Prodr. p. 234 monuit.

Isdem autem temporibus quibus Oehler et Hildebrand glossis operam navaverunt, etiam alii docti hunc campum attigerunt. Fragmenta Portensia libri glossarum saeculo X scripta et ad litteras *a—e* et *r—v* pertinentia descripsit et inde excerpta protulit C. R. Fickert programmate Portensi a. 1843 (post quem G. Becker in Nov. Annal. a. 1863 p. 643 pauca ex eodem fonte hausta prompsit). Cf. Loewe Prodr. p. 233 sq. Duo folia codicis cuiusdam Cizensis a *citr-* usque ad *clod-* pertinentia Peter programmate Cizensis a. 1850 ('Glossarii fragmentum, nebst Einleitung) tractavit (cf. Hildebrand Muetzells Zschr. 1853 p. 127 sqq.). — Anno 1387 C. S. Theodorus Bernd in commentatione Musei Rhen. tomo quinto inserta de fragmento Coloniensi (cf. II p. 561 sqq.) disputavit; aliquot annis antea (1832) 'Dosithei Magistri Interpretamentorum' librum tertium Boecking publicaverat; anno 1843 fragmentorum Helmstadiensium memoriam renovavit (Mus. Rhen. vol. II p. 639 sq.) Mauricius Haupt. Anno autem 1854 Ferdinandus Deycks in indice lectionum Monasteriensi fragmentum gravissimum glossarii Amploniani tertii proposuit (cf. II praef. p. XLIII). Nec indigna esse quae hoc loco commemorentur Quicherati 'Addenda lexicis latinis' moneo, quem multa ex duobus glossariis, altero bibliothecae nationalis Parisinae 7640 (cf. IV praef. p. XXXIV), S. Genovevae (C. C. l. 2 fol. saec. XII; cf. p. 184 huius voluminis)

altero deprompsisse ipse praef. p. IX exposuit. Ex quibus omnibus — possum, si tanti erit, alia opuscula nonnulla addere — satis apparere existimo, quantopere veteres glossae paullatim denuo oculos in se convertere coeperint. Sed omnibus viris doctis illius temporis de tota hac provincia illustranda melius Fridericus Ritschl eiusque discipuli quidam meriti sunt.

Iam ante quam docta commentatio de Placido ('Zur lateinischen Glossographie' Mus. Rhen. vol. XXV p. 456 sqq. = Opusc. III p. 55 sqq.) edita est, Fridericum Ritschl, tum Bonnensis universitatis decus, discipulorum optimorum operam et industriam ad haec studia impulisse testes sunt Hermannus Vsener, Augustus Wilmanns, Franciscus Buecheler, Iosephus Klein, Hermannus Kettner, Otto Ribbeck, H. A. Koch, Henricus Keil, Hermannus Hagen, alii. Anno enim 1869 prodiit Vseneri commentatio egregia de libro glossarum scripta (Mus. Rhen. t. XXIV p. 382 sqq. = Kl. Schr. II p. 242 sqq.), quacum coniungenda sunt quae Wilmanns ibidem p. 363 sqq. protulerat. Atque Wilmanns cum inprimis Romanis codicibus usus esset, Vsener multa ex codicibus Bernensibus hausit, quos facile inspicere potuit. Haud pauca quae excerpserat Loewio dedit, is mihi postea reliquit una cum excerptis Francisci Buecheleri ex eisdem fontibus desumptis. Pseudophiloxeni glossas idem Vsener iam antea locis quibusdam Plautinis feliciter adhibuerat; de eisdem glossis Iosephus Klein paucis egit Mus. Rhen. t. XXIV p. 289 sqq. Horum numero accessit Hermannus Kettner programmate quod inscribitur 'Kritische Bemerkungen zu Varro und lateinischen Glossaren' (edito Halis a. 1868). Novo autem modo haec studia effloruerunt post egregiam Ritschelii commentationem de Placido scriptam, etiamsi quas aggressus erat quaestiones non omni ex parte ad finem adduxit. Iterum mox ad haec studia se accinxit Kettner primum commentatione 'Zu den Glossae Placidi' Hermae vol. VI edita p. 165 sqq. tum libello 'Zur Kritik der glossae Placidi' inscripto (Berolini a. 1872). Cui sese adiunxit cum H. A. Koch Mus. Rhen. XXVI (a. 1871) p. 549 sqq. tum Buecheler velut Fleckeiseni Annal. 105 (1872) p. 567. Neque silentio praetereunda sunt quae Ribbeck a. 1873 in Corollario Comicorum alteri editioni praemisso de glossis ad fontes suos revocandis acri studio, sed hic illic confidentiore iudicio exposuit. Ceterum hoc loco monendum erit etiam iureconsultos haec studia, quae iam Boecking feliciter tractaverat, ne nunc quidem sprevisse: anno enim 1865 commentatio prodiit Rudorffii de glossariis bilinguibus Philoxeni qui dicitur et Cyrilli, de qua vol. II praef. p. VII et huius vol. p. 32 paucis egi, quem consentaneum est inprimis iureconsultorum desideriis obsecutum esse. Etiam qui curam

suam grammaticis latinis impenderunt, non semel glossaria attigerunt, velut Keil in programmatis aliquot Halensibus, idem in primo, quarto, septimo Grammaticorum latinorum voluminibus, praeter ceteros autem Hermannus Hagen, qui in Anecdotorum Helveticorum volumine de libro glossarum, de differentiis, aliis partibus horum studiorum bene meritus est. Idem porro disputationibus nonnullis de Placido et glossariis bilinguibus institutis, deinde 'Gradu ad criticen', denique in appendice editionis Servii quaestiones glossematicas tractavit atque promovit; nec obliviscendum erit, quantopere catalogo suo codicum Bernensium nostram rem adiuverit. Praeter hos quos dixi viros etiam Hauptii merita commemoranda sunt, qui haud paucas glossas bilingues tractavit et colloquia scholastica quaedam scite emendavit (cf. quae in Opusculis de hac re leguntur). Huic addendi sunt A. Boucherie, cui III praef p. XVII et XXVI aliisque locis debitum honorem habui et tribui, Beck qui de differentiarum scriptoribus docte disputavit, G. M. Thomas (de quo cf. p. 184), C. Hofmann (cf. p. 184), Antonius Miller (Zeitschr. f. bay. Gymn. VI 1870 p. 295 sqq.), multi alii quorum nomina et merita in praefationibus vel in Thesauro glossarum emendatarum attuli. Nec debito honore defraudandus est Vincentius de Vit, seminarii Patavini alumnus, qui vestigia Forcellinii et Furlanetti premens in glossario quod totius Latinitatis lexici sexto volumini (p. 463—780) adiecit magnam copiam glossarum ex fontibus quos praef. vol. I p. CCXLIV sqq. breviter enumeravit haustarum succincta adnotatione ex Maii, Oehleri, Hildebrandi, Loewii, aliorum libris petita suisque additamentis aliquot aucta ornatam laudabili cura proposuit. Quam farraginem, cuius rationem eiusdem praefationis p. CXVI sqq. uberius persecutus est auctor, nos rarius diserte attulimus quam reapse inspeximus: de plurimis nunc rectius iudicari posse non est quod fusius hoc loco moneamus. Agmen scriptorum illius temporis de glossis latinis bene meritorum claudat A. Deuerling, Placidearum glossarum editor, de cuius viri opusculis huc pertinentibus quinti voluminis praef. p. XIII et XX disputavimus. Censuram editionis bonae frugis plenissimam scripsit Gustavus Loewe GL. Nom. p. 77 sqq., qui illis ipsis annis ad Corpus glossariorum dudum exspectatum praeparandum feliciter adgressus est.

CAPVT XXIV.

DE STVDIIS GLOSSOGRAPHICIS RECENTISSIMIS

§ 64. Anno 1875 inter dissertationes Lipsienses prodiit 'Quaestionum de glossariorum latinorum fontibus et usu particula' composita

a Gustavo Loewe Grimensi, qui iam ante hunc annum minutulis aliquot disputationibus doctorum oculos in se converterat. Atque 'Quaestiones' illae priorem partem continent libri notissimi qui est 'Prodromus corporis glossariorum latinorum', scripti Lipsiae annis 1873—1875, aucti Mediolani, qua in urbe contextum prelo submittendum iterata cura auctor retractavit (cf. quae Bursiani annal. a. 1884 de vita amici carissimi diximus); quo quidem libro via Corporis glossariorum latinorum condendi non modo feliciter monstrata, sed etiam munita est egregio successu: quam nos quoque, qui sex corporis voluminibus primum nunc praeponimus et ultimum, studiose sumus ingressi. 'Prodromi' autem materiem triplicem esse voluit scriptor: agitur enim capite primo de glossariis latinis generatim, tum de Isidori glossis; praeterea de glossis Leidensibus, Romanis, Bernensibus, Amplonianis, al., de Placidi glossis, de libro glossarum, de glossis latinograecis, de glossis graecolatinis cet.; capite secundo de glossis Plautinis Lucilianisque; capite tertio de novis vocibus et formis e glossariis eruendis per saturam. Censuras huius libri optimi scripserunt cum alii tum Aemilius Baehrens, qui multa quae itineribus suis collegerat cum Loewio communicaverat (cf Jenaer Literaturz. 1877 p. 154—156), Hermannus Roensch de Vulgata quae dicitur optime meritus (L. Centralbl. 1877 p. 694—697), Hermannus Hagen quem supra commemoravimus (Bursians Jahresbericht a. 1876 p. 338—351), J. N. Ott (Fleckeiseni Annal. 1878 p. 417—427), E. Ludwig (Zeitschr. f. rom. Phil. III p. 109—112), B. Kruczkiewicz (Zeitschr. f. östr. Gymn. 1879 p. 629—634), debitas laudes et acumini et doctrinae scriptoris tribuentes. 'Nicht nur der erstaunliche Fleiß' — verba sunt Hageni p. 339 — 'mit welchem Loewe das vorhandene Glossenmaterial durchforscht hat, sowie seine streng wissenschaftliche Methode erfüllen den Leser mit lebhafter Anerkennung: nein, vor allem ist es die reiche Fülle von Belehrung über bisher fast gar nicht oder doch höchstens ganz mangelhaft gekannte Materien, welche uns freudige Bewunderung und rückhaltlose Dankbarkeit abnötigen . . . Dank aber vor allem den Manen unseres unvergeßlichen Altmeisters Friedrich Ritschl, durch dessen Anregung diese schon seit vielen Jahrhunderten lebhaft gewünschten, aber noch nie bisher ernstlich in Angriff genommenen Studien frisch und freudig aufgeblüht sind! Es war so selbstverständlich, daß Loewe gerade ihm dieses Buch weihte, gerade noch früh genug, um seine letzten Stunden zu erhellen.' Quod quam vere dixerit, ex Ribbeckii verbis (de vita Friderici Ritschelii p. 453) discimus. Eodem ardore quo impulsus ad haec studia accesserat Loewe, annis quae 'Prodromi' editionem secuntur proximis bibliothecas Italiae pervestigavit, inprimis

Ambrosianam, Vaticanam, Cassinensem, Neapolitanam, Laurentianam, sed ut alias minime neglegeret, mox etiam thesauros Hispaniae adiit, in quam terram iussu academiae imperialis Vindobonensis se contulerat, ut catalogum codicum manuscriptorum ad patres latinos pertinentem componeret; ibique modo apographa modo excerpta confecit, prout res exigere videbatur: ex quo itinere demum anno 1879 in patriam rediit. Interim opuscula quaedam minora prodierant, quae collecta nunc in appendice leguntur 'Glossarum Nominum', quas ille felici conatu emendare aggressus ne ipse proponeret cum morte flebili impeditus esset ego post illum pertractavi atque edidi. Etenim optimi amici voluntate provisum erat, ut quae infinito labore confecerat excerpta apographa collectanea in meas manus pervenirent. Non sine cunctatione opus tanto successu incohatum, quod ille moriens mihi reliquerat, suscepi; deterrebat enim oneris ipsa magnitudo, retinebant officia antea mihi iniuncta eaque gravissima: sed cum multi monerent, ne paterer spes a Loewio excitatas denuo concidere, augeretque animum iuvenilis studiorum ardor, vestigia magnorum virorum non semel infeliciter temptata ingredi ausus partem meae vitae non levissimam Corpori glossariorum latinorum condendo dedicavi. Quo in negotio cum mox perspexissem Loewii collectanea eo potissimum consilio facta esse, ut quae inprimis notabilia esse in hoc genere litterarum viderentur oculosque et animos maxime allicerent quasi expiscando comprehenderet, ipsi autem editioni satisfacere non posse, de incepto desperassem, nisi Gottholdus Gundermann suam operam cum mea coniunxisset et per aliquot annos in Italia, Britannia, Parisiis peregrinatus talia excerpta et apographa a me factis adiecisset, quibus confidenter pro fundamento uti possem: quo in labore societatis litterarum Regiae Saxonicae Lipsiensis quae iam Loewii studia nascentia et progressa benigne foverat, liberalitas et auctoritas me numquam adiuvare destitit. Atque Hermeneumata Pseudodositheana quae dicuntur spes me tenuerat fore ut opera Caroli Krumbacher, qui 'de codicibus quibus interpretamenta Pseudodositheana nobis tradita sunt' optime egerat (Monachii a. 1883), tractarentur: sed mox cum aliis districtus laboribus hunc se subire posse praefracte negasset, illam spem invitus abieci et necessitati serviendum esse censui. Neque vero unica molestia in eo posita fuit, ut materies in bibliothecis Europae dispersa vestigaretur atque colligeretur: vix minorem difficultatem ipsa ratio quam instituerem editionis mihi exhibuit. Neque enim potui viam sequi quam olim Scaliger commendaverat, ut quasi corpus glossarum notabiliorum condere satis haberem ad ordinem litterarum illud revocatum: nam multum ponderis sedes glossarum habere visa est saepissime ac vicinitas, quam si dele-

vissem non semel optimum emendationis fundamentum abiecissem: qua de re conferenda sunt quae olim (Berichte über die Verhandl. d. K. S. Ges. d. W. 1888 p. 229 sqq.) exposui. Emendationem ipsam glossario generali sexti et septimi voluminum reservavi: de rationibus cur noluerim simul cum ipsa editione emendationem coniungere ibidem p. 233 sic disputavi: '1. Da das Fundament der Emendation in zahlreichen Fällen durch Parallelglossen geboten wird, diese aber nirgends publiziert sind, so hätte bei einer Behandlung der Glossen nach Maßgabe der Autorentexte die adnotatio wenigstens in den ersten Bänden in einem Grade belastet werden müssen, daß das ganze Werk noch einmal so umfangreich geworden wäre. 2. Da die richtige Form in zahlreichen Fällen durch Konjektur gefunden werden muß, die Probabilität der Konjektur aber eine relative ist, so wäre voraussichtlich der Text im Laufe der Zeit bald antiquiert worden, ohne daß an einen Wiederabdruck gedacht werden könnte. 3. Eine sofortige Gestaltung des Textes hätte zur Voraussetzung, daß man in jedem einzelnen Falle das ganze Material vollständig übersehen könnte. Das ist nun bei einem gedruckten Texte nicht sonderlich schwer; wie es bei dem in Hunderten von Heften vorliegenden Materiale möglich werden sollte, war ein Problem, demgegenüber die Zuversicht keine große war. Und doch galt es wenn irgendwo, so bei dieser Aufgabe, das Mögliche beherzt sogleich beim Schopfe zu fassen, um den Erfolg einigermaßen zu sichern. 4. Wenn man aber auch von allen diesen Schwierigkeiten und Mißständen absehen wollte, so wäre am Schlusse der Edition doch noch ein sorgfältiger Generalindex nötig geworden, falls man nicht den Benutzern unsägliche Mühe hätte auflegen wollen.' — Novam autem difficultatem procreavit glossariorum mere latinorum infinita copia: quam si editione complecti voluissem, ingentem tomorum numerum implere debui. Quod facere neque potui nec res postulare visa est. Triplex enim horum glossariorum genus ad nos propagatum est. Quorum primum ea glossaria continet, quae orta sunt saeculis septimo octavo nono maiore affinitate non cohaerentia et a diversis auctoribus in eam quam nunc ostendunt formam redacta. Talia non excerpenda, sed integra proponenda fuerunt, ut quasi pro fundamento essent. Hoc in genere pono glossas codicum Vaticani 3321 et Sangallensis 912, glossas 'Abavus' brevioris memoriae et 'Ab absens', glossas Vergilianas et 'Affatim', alia quaedam opuscula. Ab his porro vel horum similibus glossariis nunc deperditis pendent alio glossaria non materie, sed forma et ordine discrepantia, quo in numera sunt glossae 'Abactor', de quibus praef. IV p. XXXIX sqq. disputavi. Qualia glossaria si edidissem, verendum fuit ne inutilium rerum molem cumularem futtilem: nam si quid in his inerit quod ex illis primariis

fontibus explicari non possit, id aut pusillam auctoritatem habet aut ex aliis fontibus notum fit. Talia igitur excludenda fuerunt. Iam vero etiam tertium glossariorum genus exstare sciendum est, quorum materia cum aliis quidem glossariis notis coniuncta est, sed aucta ex fontibus nunc certe deperditis novo ordine glossarum constituto et pristina dispositione abiecta, ut sunt glossae 'Aa' quinti voluminis. De his edendis diu incertus haesi. Cum tamen a me impetrare non potuerim, ut denuo proponerem ingentem numerum glossarum ex parte iam plus quam semel editarum, praesertim quarum pristinus ordo funditus deletus esset, notabiliores glossas quae per se aliquam utilitatem habere posse viderentur, excerpsi, excerptas omni cura edidi. Quarto igitur et quinto voluminibus medullam glossariorum mere latinorum me proposuisse confido. Nec fuit cur me rationis institutae paeniteret. Quotiescumque enim ad singula glossaria redeundi occasio fuit, me rectam viam ingressum esse denuo perspexisse mihi visus sum. Quo in labore etsi illud inprimis spectavi, ut quae ad vetustiorem aetatem pertinere viderentur, primo in loco ponerem, tamen ne mediae quidem quae dicitur latinitatis studiis me negavi et multa protuli quae horum utilitati inservirent. Qua in re si quid desiderabitur, aptari onus viribus debuisse nec plus occupari quam cui sufficere possem habeo cur moneam. Nec possum reticere peritos aliquot harum quaestionum iudices meas rationes non modo publice, sed etiam per epistulas in universum probasse: quo in numero Franciscum Buecheler commemoro, qui quantopere me in emendandis glossis iuverit Thesaurus glossarum emendatarum satis ostendit, et post illum Franciscum Skutsch praematura morte nostris litteris ereptum: nec tacendus erit Ludovicus Traube, quo qui altius in studia medii aevi penetraverit non invenio, ad quem postea accessit Fridericus Kluge, saxonicarum glossarum doctus interpres et germanicarum vocum quae latinum habitum induerunt perscrutator subtilissimus, qui mihi glossariis nonnullis ex quibus excerpta exhibere satis esse duxi denuo perlustratis rescripsit se in meis excerptis nihil aut paene nihil quod bonae frugis esset desiderare. Quamquam minime nego me hoc vel illud fugere potuisse: quis enim putabit se in excerpendis vastis corporibus quid quaeque glossa docere possit quid non, quid utile quid inutile sit statim perspicere posse? Sed adiuvit me experientia diutina exercitatione in dies aucta, firmavit spes fore ut siquid me fugisset in uno glossario idem ex alio excerptis meis esse accessurum, sustinuit quaedam confidentia similibus conatibus qui prospere cesserant nutrita, sine qua hunc laborem taedii plenissimum ad finem perducere omnino non potui. Verum enimvero etiam reprehensores mihi ortos esse moneo, in his virum cuius auctoritatem per se magnam esse in hoc lit-

terarum genere lubens concedo, Eliam Steinmeyer Erlangensem, palaeotheodiscarum glossarum sospitatorem doctissimum; cui quod satisfacere non potui vehementer et commotus et miratus sum. Quamquam quae in praefatione tertii sui voluminis de subsidiorum meorum criticorum fundamentis protulit aut falsa sunt aut ita comparata, ut planum sit virum in aliis rebus circumspectissimum meum et meorum sociorum laborem modulis suae editionis mensum alienarum rationum necessariam diversitatem aut non perspexisse aut certe neglexisse. Quae idem de consiliis meis ausus est pronuntiare immemor eorum quae ipse sex annis antea non uno loco exposueram vix vereor ne ab arbitris harum rerum candidis probentur: censori enim mei operis tam iniusto contingere non potuit, ut rationes diutinae cogitationi oblatas et ex materiae natura enatas levi ut aiunt brachio subverteret. — In Thesauro glossarum emendatarum condendo, qui infinitam mihi operam imposuit et saepe me coegit eodem die ingentem numerum glossarum examinare suoque loco inserere, quod mihi non semper omnes emendationis rationes verae, non omnia fundamenta, ut quae paullatim demum emerserint, saepe post meam operam nec sine mea opera inventa, non omnes fontes praesto fuerunt, excusabunt qui totius rei difficultatem perspexerunt: quo acceptiora mihi fuerunt atque gratiora quaecumque viri docti ad meum laborem corrigendum vel supplendum attulerunt. Quod Gundermanni nomen in secundi tantum voluminis inscriptione meo nomini adieci, in ceteris non item, inde non sequitur illius operam in his voluminibus mihi defuisse: quod longe aliter se habere praefationibus quotquot sunt professus sum. Atque repetenda duxi verba quae in fine quarti voluminis posui: 'sane eodem iure etiam in his glossis edendis opera et nomina coniungere potuimus: nisi melius visum esset atque utilius, unius auctoritate et arbitrio gubernari omnia'. In septimi voluminis parte altera Guilelmus Heraeus indicem graeco-latinum, item anglo-saxonicum adiecit, sine quo usui recte inservire glossae bilingues vix possunt. Eundem virum mecum coniunctissimum ut de singulis quibusdam rebus, velut glossis Petronianis, de Probi quae dicitur appendice, de notis Tironianis ita de emendatione glossarum Thesauro glossarum comprehensarum optime meritum esse alio loco professus sum. His viris doctissimis accessit Paulus Wessner meus, cui haud pauca apographa omni cura confecta debeo: sed etiam commentationibus suis diligenter compositis, ut de Fulgentii glossis, de Iuvenalis scholiorum in glossis vestigiis, de Isidoro optimo successu disputavit, denique in Bursiani annalibus ut de grammaticis rebus in universum ita de his studiis diligenter et perquam utiliter rettulit. De fontibus glossarum investigandis me multa debere Ottoni B. Schlutter et in sexti

voluminis praef. p. VII, item huius voluminis p. 151, ut alios locos mittam, commemoravi: qui vir doctissimus quamvis glossaria inprimis vocibus saxonicis ornata sibi tractanda proposuisset, tamen ne aliis quidem neglectis de toto hoc litterarum genere optime meritus est. His adiutoribus benevolentissimis addendi sunt amici, quibus in singulis singulorum voluminum praefationibus meritas rettuli gratias.

Praeter hos qui me in condendo Corpore glossarum iuverunt viros doctissimos non possum tacere nomina eorum qui ab eodem Corpore profecti quaestionibus singularibus laudabilem operam dederunt. Atque inprimis afferendi sunt scriptores qui in Archio Woelfflinian o disputationes modo uberiores modo minores publicaverunt, quo in numero sunt Landgraf, Sonny, Stadler, alii non pauci; his addendi Thesauri magni conditores et administri, qui a suis copiis plenissimis profecti multa quae mihi obscura visa erant optime illustrarunt; tertio in loco ponendi sunt quicumque sive commentationibus libellisque his ipsis quaestionibus destinatis sive occasione oblata problemata glossematica attigerunt. E Germanorum doctorum numero laudandus est praeter eos quos iam attuli I. M. Stowasser, qui quantopere in hoc litterarum genere versatus fuerit, etiam ex epistularum commercio mihi acceptissimo quo cum illo coniunctus fui didici: quem ut saepius ingenii ubertate abusum et impetu animi abreptum a vera ratione vagatum esse non possum negare, ita lubenti animo concedo multa scite emendasse, obscura egregio acumine illustrasse, fontes feliciter indagasse. In Helvetia Maximilianus Niedermann haud pauca docte et subtiliter tractavit cum alibi tum in libello hoc: Contributions à la critique et à l'explication des gloses latines (Neuchatel a. 1905).[1]) Inter Francogallos praeter ceteros Henricum Omont commemoro, cuius erga haec mea studia propensam voluntatem in subsidiis criticis conquirendis expertum me esse grato animo in praefationibus professus sum: idem etiam commentationibus aliquot egregia cura compositis quas suo loco attuli laudem sibi peperit. Inter Italos non tacendus erit Carolus Pascal: cf. Letteratura Latina medievale ed. Cataniae a. 1909 p. 191 sqq., ut alia mittam. Huic accedit Ambrosius Amelli O. S. B., qui de codicibus Montis Cassini optime disputavit et Pauli Diaconi studia egregie illustravit: idem me et Gundermannum olim Cassini versantes benevola opera adiuvit. Ex Britannorum numero glossaria tractaverunt

1) His nunc addendus est praeter alia libellus 'Essais d'Etymologie et de Critique verbale latines' (Recueil de Travaux publiés par la Faculté des Lettres sous les auspices de la Société académique. Paris et Neuchâtel 1918), quo codicis Vaticani 1260 portenta aliquot edomuit et glossas quasdam ad Vegetium feliciter rettulit.

I. L. G. Mowat (cf. p. 252, 253), Nettleship, litteris latinis praematura morte ereptus (cf. inprimis 'Notes on the Vatican Glossary 3321' in 'Journal of Phil.' vol. XX et eiusdem 'Contributions to Latin lexicography'), Ellis (cf. p. 166 et eiusdem scholia Sidoniana in Anecd. Ox. vol. I p. V a. 1885 p. 28 sqq., de quibus pauca protuli in Meletem. Fest. p. VIII; etiam in commentario Catulli saepe glossas adscivit), Lindsay, qui quicquid itineribus suis novi in hoc genere invenerat, benigne mihi indicavit.[1]) His addendi Rutheni A. Maleyn (cf. p. 155) et praeter ceteros Michael Pokrowsky, horum studiorum amicus scitissimus et humanissimus, quocum multa olim quotannis temporibus aestivis solito more Ienae commorante de his quaestionibus et aliis quibusdam agere consueveram, Americani Minton Warren, auditor olim Lipsiensis, glossarum Sangallensium editor doctissimus, de quo libello p. 126 paucis egi, Iohn M. Burnam, qui 'Glossemata de Prudentio' anno 1905 publici iuris fecit. His accedit Carolus Theander e gente Suecorum, cuius librum p. 145 attuli.

Praeter hos viros doctissimos, quorum opera inprimis in latinis et graecis litteris et verbis tractandis versata est, studia virorum qui de germanicis, anglicis, romanicis, hibernicis litteris quaerentes glossaria recentiora diversi generis aut ex illis aut eorum imitatione procreata perscrutati sunt, collegerunt, illustraverunt, non praetermittenda fuerant. Glossae palaeotheodiscae, quas post Graffii curas gravissimas quattuor voluminibus una cum Eduardo Sievers singulari successu complexus est Elias Steinmeyer, professor Erlangensis, quot modis coniunctae sint cum glossis vetustioribus latinis graecolatinis latinograecis plurimis locis dixi: ex quo opere non solum de singulis glossis modo emendandis modo explicandis, sed etiam de quaestionibus ad fontes et compositionem glossariorum quorundam pertinentibus me multa didicisse lubens fateor; quartum inprimis volumen, quo de codicibus adhibitis egregia fide et diligentia disputatum est, etiam qui latinorum glossariorum fontes et fata persequentur iterum iterumque habebunt cur evolvant. Ceterum ex hoc thesauro inprimis ea glossaria mihi adeunda fuisse quae primo volumine continentur res ipsa docet. Lexicon vocabulorum palaeotheodiscorum quod Steinmeyer promisit nondum editum est. De origine glossariorum quorundam principalium, de ratione qua inter se cohaereant, de sedibus studiorum quibus hoc litte-

1) Haec dudum scripseram. Anno demum 1919 adlatae sunt ad me ipsius et discipulorum eius commentationes plurimae et optimae de multis quaestionibus a me quoque tractatis, quarum in contextu meo dudum typothetae tradito cum rationem habere non potuerim, in 'Addendis', ne quid desideretur, curabitur.

rarum genus excultum est, non sine fructu librum doctissimum Rudolphi Koegel de litteris Germanorum adii.[1]) De singulis glossis plurimis Fridericus Kluge vestigia Cangii secutus famosissima dum vocabula theodisca tractat saepe felicissimo successu ac ne latina quidem forma neglecta disputavit.

Glossae palaeoanglicae quam arto vinculo cum latinis glossariis e quibus pendent cohaereant non est cur pluribus verbis persequar, praesertim cum iam p. 150 sqq. hanc quaestionem tetigerim. Saepe igitur collectionem quam Wright et Wuelcker proposuerunt nec plenam nec satis emendatam propter indicem potissimum posterioris voluminis adii. Nec Sweetii editiones neglexi, quamvis cum totus in grammatica esset editoris officio minus satisfecerit. Cui qui grammatica quidem doctrina inferior, artis palaeographicae usu et diligentia superior fuit, Otto B. Schlutter, non modo libros manuscriptos meliore successu exhausit multosque locos feliciter emendavit, sed etiam lemmata glossarum ad fontes suos revocare incredibili labore studuit. Qua re nec adversariorum vituperatio nec ingenii impetus cui saepius succubuit me prohibere potuerunt quominus in Thesauro inprimis glossarum emendatarum eius inventis plurimis locis grato animo uterer. Editioni glossarum Epinalensium p. 151 omnem laudem tribui. His viris doctissimis qui nunc accessit Maximilianus Foerster de singularibus quibusdam quaestionibus solvendis optime meritus est. Libros Napierii, Hesselsii, Gloggeri, Gruberi me diligenter consuluisse ex eis quae suo loco dixi apparebit.

Ex Romanicarum linguarum perscrutatoribus qui non obiter sed peculiari cura haec arva coluerunt quattuor viros prae ceteris eminere moneo: quorum agmen qui ducit Hugo Schuchardt vestigia Diezii faustissima ingressus cum iam in libro de latinitate vulgari scripto quantum luminis ex glossariis quaestionibus grammaticis offunderetur egregie docuisset, etiam post corpus glossariorum editum studia resuscitata disputationibus doctrinae et acuminis plenis non uno loco ornavit. Quem qui sequitur Wendelinus Foerster non modo singulares quaestiones quasdam arte et doctrina tractavit, ut saepius attuli, verum etiam in libro exercitationibus Romanicis destinato (Altfranz. Übungsbuch von W. Foerster und E. Koschwitz. Fünfte Auflage, besorgt von W. Foerster 1915) excerpta ex aliquot glossariis (ut Augiensi, Cassellano, Turonensi, Parisino, Londinensi, aliis) praemisso virorum doctorum disquisitionum indice et additis adnotationibus ut brevi-

1) Nunc conferenda esse moneo quae G. Ehrismann (Geschichte der d. Lit. bis zum Ausgang des M. A. a. 1918) Vol. I p. 242—254 exposuit: cuius libro in condenda hac praefatione nondum uti potui.

bus ita utilibus complexus est. Tertio loco laudandus est Antonius Thomas, professor Parisinus, qui dum etymologicis rationibus investigandis, item vetustioris linguae formis et fontibus intentam curam dedicat etiam latinarum glossarum copiis multis tenebris discussis egregie profuit.[1]) His tribus viris quartum adiungo Guilelmum Meyer-Luebke, nunc Bonnensem, olim Ienensem, qui quaestiones grammaticas potissimum saepe scitissime ex glossis illustravit nec paucas earum felici conatu explicavit, confirmavit, dubitatione liberavit. Quibus viris etiam alios addi posse minime ignoro.

Nec silentio praetereundi sunt Whitley Stokes et Iohn Strachan, Thesauri palaeohibernici conditores doctissimi[2]), quibus accedunt H. Zimmer[3]) et R. Thurneysen[4]): quamquam fatendum erit illas glossas ad studia Hibernica multum, ad studia glossematica latina parum valere, cum ad psalmos potissimum Paulinasque epistulas et Prisciani libros paganis scriptoribus latinis in universum neglectis pertineant. Quae cum his studiis cohaerent Hisperica famina post Maii[5]), Geyeri[6]), Thurneyseni[7]), Stowasseri[8]), Zimmeri[9]) curas, de quibus paucis disputavimus 'Ber. der Königl. Sächs. Gesellschaft d. W.' a. 1896 p. 85 sqq., Francis Iohn Henry Ienkinson Cantabrigiae a. 1908[10]) editione nova complexus est.

CAPVT XXV. EPILOGVS

§ 65. Longum per viginti saecula iter permensi rem initio satis vilem per se et leviculam, acceptam illam a Graecis grammaticis, mox a Romanis et semiromanis doctoribus auctam multisque multi generis

1) Cf. huius viri doctissimi commentationem: 'Remarques sur trois glosses du Corpus glossariorum latinorum' (Comptes rendus des séances de l'Académie des Inscr. et Belles-Lettres 1909 p. 443): ubi simul studia sua etymologica ad quaestiones glossographicas pertinentia paucis comprehendit.

2) Cambridge 1901. 1903. 2 Vol.

3) Gloss. Hib. 1881 et Glossarum Hibern. supplementum 1886.

4) Handbuch des Altirischen. T. II: Texte mit Wörterbuch. 1909.

5) Class. Auct. V 479—500.

6) Archiv f. lat. Lexicogr. II 255 sqq.

7) Ibidem III 546; IV 341 sq. Z. f. d. Phil. 1895 p. 110 sqq.

8) Archiv f. lat. Lexicogr. III 168 sqq., Wiener Stud. IX (a. 1887) p. 309 sqq., Incerti auctoris Hisperica famina edidit et explanavit Vindob. a. 1887, Stolones lat. (1889), Zeitschr. f. östr. Gymn. 1894 p. 724.

9) Nennius vindicatus p. 291 sqq., Neue Fragmente von Hisperica famina aus Handschriften in Luxemburg u. Paris (Nachrichten d. K. Ges. d. W. in Göttingen a. 1895) p. 117 sqq.

10) Cf. M. Manitius Wochenschr. f. klass. Philol. 1909 p. 407.

rivis irrigatam, ex antiquitate denique una cum doctrina litterarum ad populos medio quod dicitur aevo florentes non Italos modo, sed etiam Gallos, Hispanos, Anglosaxones, Hibernos, Germanos propagatam et diversissimis diversorum hominum studiis accommodatam fusius tractavimus: quo in itinere cum ad litterarum latinarum sedes nobilissimas tum ad angulos etiam remotiores penetrandi fuit opportunitas. — Atque simplicis glossarum formae et priscae exempla non pauca per Varronis et Verrii libros dispersa invenimus: ad quae doctiorum hominum conamina accesserunt Aeliorum, Aurelii, Atei Philologi, aliorum, quorum scripta intercidisse dolemus. Sed etiam post illos haec studia apud magistellos et grammaticos viguerunt, quorum tenuior memoria nobis relicta est. Ab Italis haec res ad alias gentes migravit, ad Afros inprimis, qua terra nulla frequentiora glossariorum vestigia exhibet: testes sunt velut Apuleius, Tertullianus, Arnobius, qui orationem verbis priscis et ex glossariis desumptis exornabant. Vnde non mirum est, quod inter Afros exstiterunt cum Nonii et Placidi, qui novo honore haec studia auxerunt, tum Fulgentius, vir incredibili vaniloquentia notabilis. Glossematicae orationis exemplum luculentum praefatio anthologiae Salmasianae prodit, cuius saepius mentionem fecimus: ad quod exemplum etiam postea aliquot opuscula sunt condita. — Ex glossariis simplicioribus, ut Horatii et Vergilii, item ex doctis promptuariis Verrii vel Festi, ad quae accesserunt collectanea similia iureconsultorum et grammaticorum, eorum maxime, qui de societate graeci et latini sermonis scripserunt, lexicorum illorum bilinguium conditores Graecos, ut nobis videtur, hausisse exposuimus. Qui ut grammaticis studiis multa debent, ita eisdem rursus materiem ad nova opuscula componenda praebuerunt. Postea vero talia in glossaria mere latina redierunt graecis modo lemmatis modo interpretamentis latine versis, cuius rei luculentissima exempla exhibent glossae nominum, de quibus § 16 disputavimus, et glossae Abavus. Omnino haec lexica bilinguia ut ex optimis hausta fontibus inter χειμήλια huius litterarum generis referenda esse merito contendere videbimur. — Alteram partem glossarum bilinguium, Hermeneumata illa quae Dosithei nomine falso circumferuntur, ex commercio Graecorum et Romanorum prognata Graecorum grammaticorum studiis originem debere quomodocumque de auctoribus horum opusculorum iudicabimus certum est. Quae hermeneumata a glossariis quae proprie dicuntur et argumento et compositione diversa, nisi quod capitulis et praefationibus parva lexica subiciuntur ex materie hermeneutica detorta, medio demum aevo cum ipsis glossariis confusa et contaminata sunt. Sui generis quae sunt hermeneumata medicobotanica, partim e scriptoribus medicis derivata,

ut e Cassio Felice, partim ex Pseudapulei herbario similibusque libris excerpta et vario modo aucta magis artis medicae usum quam rationem grammaticam spectant. — His quos paucis attigimus fontibus si synonymorum et differentiarum collectiones addideris, quales cum a vetustis temporibus in usum potissimum artis rhetoricae componi coeptae essent, ultimis antiquitatis temporibus per omnes studiorum sedes diffundebantur, si denique tractatus grammaticos adieceris et scholia glossasque inter versus adscriptas ad eos qui legerent adiuvandos, quales codices Terentii, Vergilii, Horatii aliorum continent, medullam materiae glossematicae ex antiquis fontibus derivatae comprehendisse videberis. Ex his autem glossaria vetustiora saeculis potissimum a sexto ad octavum contexta et per bibliothecas Europae dispersa sunt, quorum partem potiorem nos quarto huius operis et quinto voluminibus complexi sumus. — Sexto enim saeculo cum coepisset Cassiodorus monachorum animos ad litterarum studia revocare, quanto successu homines religiosi Sancti Benedicti regulae obsecuti praeter officia ordinis propria etiam studiis latinis operam dederint notum est. Qualia studia a Monte Cassino in Britanniam et Hiberniam transmigrarunt: unde in Galliam, Hispaniam, Germaniam sunt translata. Atque mox novae litterarum studiorumque sedes effloruerunt nobilissimae, ut Bobiensis, Sancti Galli, Fuldensis, Augiensis, Floriacensis, aliae; nec mirabimur, quod studiorum ratio reapse affinitate quadam et similitudine coniuncta ad gentium et locorum diversitatem necessariam consulto accommodata est. Velut Anglosaxones vocabula Saxonica immiscuerunt et saxonicos scriptores tractaverunt, monachi Sangallenses Germanorum rationem habuerunt. Sed noli sperare fieri posse, ut indiciis verborum et rerum adhibitis quae in ipsis glossariis exstant et in rationibus palaeographicis vestigia Ludovici Traube diligenter ingressi singula monumenta ad suam quodque quasi patriam revocemus: nam haec spes te fallet. Doctiores nimirum monachi saepe sedes mutabant, libri autem foras commodabantur, unde apographa ab aliis conficerentur suum in usum: ut facilius de patria huius vel illius apographi iudicare quam de ipso glossario quicquam adfirmare liceat. Quamquam, ut uno utar exemplo, Cassinensia glossaria suum colorem habent, quo ab aliis opera non ita magna distingui posse videantur. Quomodo autem glossaria nasci certe potuerint, §§ 27—29 edocui. Quem usum habuerint qui quaerent, his respondebimus, et lectioni librorum latinorum cum sacrorum tum profanorum consuluisse qui glossemata collegerunt et stilo excolendo et exornando materiem idoneam praebuisse. Cf. ea quae p. 270 exposui. — Ab octavo saeculo docti magna rerum et verborum corpora con-

dere coeperunt: qualia corpora etiam eis quae insecuta sunt saeculis quinque vel sex invicem se exceperunt. Ex quibus corporibus quod tempore primum fuit auctoritate vincit omnia: nempe liber glossarum, qui per multos rivos ad plurima volumina novicia diductus est: cuius libri fata capitibus X et XIV persecuti sumus. Ansileubum episcopum Gothorum fuisse auctorem cur non audeam contendere supra exposui. At qui secuntur viri docti nomen suum ignotum esse non passi sunt: Salomo, episcopus Constantiensis, Papias Lombardus, post hos derivationum auctores Osbernus Glocestriensis, Hugucio Pisanus, denique Iohannes Ianuensis, quorum opera vasta etiamnunc exstant. Praeter horum virorum volumina etiam alia conamina notabilia sunt, ut illud, cuius rationem una cum glossarii magni fragmentis Monacensibus quarti voluminis p. XIII tractavimus: 'cuius haec fuit indoles, ut compluria glossaria litterarum ordine servato contaminata exhiberentur, fontes autem semper in margine litteris maiusculis adscriptis (velut A, E, I, L, M, S, T, V) indicarentur.' Multis horum corporum cum Priscianum tum derivationes inde a duodecimo saeculo vulgatissimas materiem non minimam contribuisse ostendimus. — Homines autem religiosos qui operam suam his studiis dedicabant Sacrae scripturae illustrandae et explicandae non levissimam curam tribuisse consentaneum esse fatebimur. Quae cura triplici ratione ostenditur: aut patrum ecclesiasticorum libros excerpserunt, velut Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Isidori, excerpta glossariis inseruerunt, aut ad similitudinem glossariorum Vergilianorum et Terentianorum glossas sacrorum librorum in alphabeti ordinem redegerunt, h. e. glossas illas veteris et novi testamenti collegerunt, multis codicibus propagatas, de quibus capite XVIII disputavimus, aut denique glossaria profana ad sacram scripturam diversis artificiis accommodabant: cuius rei luculentissimum exemplum glossae Augienses praebent, de quibus conferantur quae p. 221 sqq. exposuimus. Ex his autem inscriptionem (*glossae veteris et novi testamenti*) etiam ad glossas 'Abavus' translatam esse intercedente fortasse illo glossario 'Abrogans' quod Keronis vel Rhabani Mauri nomine circumfertur ibidem diximus. Cum illis glossariis vetustioribus recentiorum theologorum vasta compendia aut nullo aut tenuissimo vinculo coniuncta sunt. Glossaria denique medico-botanica recentiora quae XIX capite tractavimus a Dioscuride (vel Dyascoride) latino, aucto illo additamentis ex Gargilio Martiale, Pseudapuleio, Pseudoribasio, Isidoro aliis haustis, provenerunt. Cum Dioscuride cohaerent Vincentius Bellovacensis, Simon Ianuensis, Matthaeus Silvaticus. — De exeuntis medii aevi studiis capite XX disseruimus. Etiam hac aetate magna corpora ex libris di-

versis congeruntur vetustioribus, nova admiscentur, quae tamen minus ad antiquitatem illustrandam quam ad usum dicendi illius temporis pertinent. Ab his noviciis vocabulis si discesseris, non multa lucrabimur: nam quae restant aut trivialia sunt aut dudum nota aut denique ita comparata, ut antiquitati plus lucis debeant quam reddant. Ecce habes pergrande illud glossarium Lipsiense (p. 237), habes breviloquuum Benthemianum Hamanni, habes vocabularia 'ex quo', gemmas, vocabularium breviloquuum Reuchlini, alia opera eiusdem generis, donec haec studia a veteribus illis litterarum monumentis glossographicis quantumvis mutata tandem e vita remota sunt: qualia corpora qui postea adierunt, obscura vocabula et notabilia quaedam alibi non tradita rimati sunt; res ipsa vivere desierat. Vt autem qui talia digna habeant quae pervestigent uno in conspectu posita inveniant subsidia nostra infinito labore comparata et congesta Loewii, Gundermanni, Krumbacheri, meo ipsius, aliorum multorum quorum nomina attuli, indicem librorum manuscriptorum qui his septem voluminibus adhibiti vel certe commemorati sunt exhibebo: cui si additamenta quaedam adiecero ad supplenda ea quae non plene exhausisse mihi visus sum, simul autem recensum librorum manuscriptorum quorundam quos cum noverim tamen non inveni cur commemorarem, viri qui bibliothecarum thesauros pervestigant impedientur, ne oleum et operam perdant in his libris denuo tractandis neve *χειμήλια* sibi invenisse videantur, quae nos quidem fugerint. Quamquam nostram operam novis subsidiis in lucem protractis ab aliis suppletum iri ipsi speramus.

Codices igitur his septem voluminibus allati sunt hi (quos stellula ornavi, accuratius descripti sunt): Admontinus (Stiftsbibliothek) 3 = I p. 19; p. 168. — Alcobacenses (Haenelii p. 1027) = I p. 173. — Altenburgensis (in Austria inferiore, Stiftsbibliothek) = I p. 196. — Andegavensis 266 = IV p. XXII*; I p. 100; 477 = I p. 20. — Atrebatenses 234 et 496 = I p. 191; 345 = I p. 173. — Audomarensis (St. Omer) 193 = I p. 173. — Augustonemetensis (h. e. Claromontanus) 189 = V p. XXIII. — Autissiodorenses (Auxerre) 70 = I p. 173; 78 = I p. 191.

Bambergenses (fragm.) I p. 20; P II 33 = V p. XXIII*. — Barthii fragmentum Osberni = I p. 196; Barthii codex I p. 73. — Basileensis F III 35 = I p. 192. — Beati Rhenani cod. (Pseudodos.) = III p. XXI. — Benthemianus = I p. 239. — Bernenses 1 = I p. 174; 2 = I p. 174; 16 = V p. XIII; p. XXII*; A 91 = I p. 1 adn.; p. 185; Loewe Prodr. p. 258 sqq.; A 92 = I p. 160; IV p. XIII; 178 = I p. 77; p. 89; IV p. XL*; 189 = I p. 244; II p. XVII*; 224 = I p. 140; IV p. XXX*; 236 = I p. 160; III p. XXXI; IV p. XXIX adn.; 243 = I

p. 103; 258 = I p. 78; p. 218; IV p. XXI*; p. XXVI; p. XXVIII; p. XXIX; p. XXXI (Petri Danielis?); p. XXXVII; 263 = I p. 147; 276 = I p. 174; p. 191; 295 = I p. 229 sqq.; 337 = I p. 53; III p. XXXIII*; 357 = I p. 184; p. 185; 358 = I p. 53; 86; 416 = I p. 102; 450 (Loiselii) I p. 44; III p. XXVIII sq.*; 519 = I p. 204; 588 = I p. 189; 688 = I p. 20; III p. XXIX. — Bobiensis Pseudodosithei III p. XXI adn. — Bonnensis 218 = I p. 74. — Bononienses (Boulogne sur mer) 182 = I p. 173; 183 = I p. 173. — Bruxellenses 1828—1830 = I p. 20; p. 184; p. 185; III p. XXVII*; p. XXXIII; 8421 = I p. 167; 10859 = I p. 138; IV p. XXXVI*.

Caesenas plut. XXI 4 = I p. 191. — Cambracensis 633 I p. 104; V p. XXII*. — Cantabrigienses Caius coll. 459 = I p. 191; colleg. Corp. Chr. 144 = I p. 151; III p. XXXIII; V p. XXVII*; Gale ms. O. 5. 34 = I p. 166; p. 186; III p. XXX*; colleg. S. Petri 2. 4. 6 = II p. XLIV*; p. 188; S. Petri O 9. 9 = I p. 191; bibl. univ. Dd II 51 = I p. 259; Ff V 34 = p. 191; Kk IV 1 = I p. 174; 979 Kk V 12 = II p. XXXI*; p. XXXIII; Ll I 2 = V p. XXXIII; Ll I 14 = I p. 93. — Carnotenses 90 = I p. 102; 299 = IV p. XXII*; p. XXVI; p. XXVIII; p. XXIX; 415 = I p. 191. — Caroliruhenses Aug. IC = I p. 139; p. 220; 225; CCXLVIII = I p. 221; fragm. VH = I p. 189. — Cassellani ms. Philol. fol. 11. 12 = I p. 191. — Cassinenses 69 = I p. 53; III p. XXXII*; 90 = I p. 75; p. 103; p. 146; IV p. XVIII*; V p. XX; 217 = I p. 146; IV p. XVIII*; 218 = I p. 128; IV p. XVII*; p. XVIII; V p. XXXI; 401 = IV p. XI; V p. XXVIII*; 402 = I p. 146; IV p. XIX*; V p. XXXI; 439 = IV p. VIII sq.* — Cavensis 14 = I p. 173; 189. — Cheltenhamenses Phillippsiani 1497 = I p. 259; 1716 = IV p. XXVIII*; p. XXXI; 2112 = I p. 174; 2274 = I p. 167; 4049 = I p. 186; 4626 = I p. 75; p. 166; 167; 4681 = I p. 197; 7087 = I p. 197. — Cizense fragmentum = V p. XXV. — Coloniense fragmentum I p. 46; 272; II p. XLI sqq.; archii municip. IV p. XLII. — Corsianus cod. Placidi = I p. 59; V p. VIII. — S. Crucis (Heiligenkreuz) 17 = I p. 168; III p. XIX; 804 = I p. 197.

Darmstadiensis 717 = I p. 191; 909 = I p. 173; p. 178; 2220 = I p. 242. — Diefenbachii praef. p. XIV = I p. 192. — Duacenses (Douai) 751 = I p. 173; 752 = I p. 173; 753 = I p. 174.

Einsidlenses 19 = I p. 19; III p. XX*; 32 = I p. 89; p. 99; 293 = I p. 169; 365 = I p. 169; 683 = III p. XX*; fragm. libri gloss. = V p. XXV. — Engelbergense fragmentum = V p. XXV. — Epinalensis 7 = I p. 151; V p. XXVI*. — Erfurtenses Ampl. maximae formae 10 = I p. 107; III p. XI*; p. XII; 28 = I p. 174; 42 = I p. 41; 141; 150; II p. XLII*; V p. XXVI*; in fol. 43 = I p. 196. — Escurialenses Σ I 12 = II p. XXX; p. XXXIII; LI 15 = I p. 187.

Florentini aedil. Flor. eccles. CCXIX = II p. XXX*; Ashburnham. 63 = I p. 173; Ashburnham. 1439 = III p. XX sq.*; S. Crucis XXVII 1 = I p. 191; XXVII 5 = I p. 191; XXVII 6 = I p. 191; Laurent. XVI 5 = p. 206; XXVII 3 = I p. 174; LVII 16 = II p. XXX*; S. Marci 38 = I p. 102; IV p. XXVII*; p. XXXIII; 'acquisti 92' = II p. XXX*. — Glossarium Beati Benedicti Floriacense = III p. XV. — Folia Francofurtensia = I p. 238.

Gandavensis = I p. 173. — Gedanensis 255 = I p. 191. — Fragmentum Gottingense = I p. 45. — Fragmentum Graecianum = I p. 186. — Guelferbytanus 382 = I p. 261; 444 = I p. 192; 481 = I p. 102; 1593 = I p. 192; 2246 = p. 175.

Fragmentum Halberstadiense = V p. XXV. — Hamburgensis Placidi = I p. 59; V p. VII*; IX = V p. XXXIII. — Hannoveranus bibl. reg. IV 498 = I p. 191. — Havnienses bibl. univ. 26 = IV p. XXI*; 424 = I p. 175. — Heiligenkreuz v. S. Crucis sub C. — Fragmenta Helmstadiensia = Gottingensia = I p. 45; p. 272; II p. XXXVIII sqq.* — Fragmentum Hofmann. Osberni = I p. 196.

Fragmentum Ienense = V p. XXV.

Fragmenta Labacensia (Laibach) = I p. 138; p. 169. Cf. libri mei de libro gloss. scripti p. 253. — Codices Laudunenses 427 = I p. 173; 444 = I p. 98; II p. XXVI*; p. XXXII adn.; p. XXXVII; p. XXXVIII; 463 = I p. 78. — Leidenses bibl. publ. 3 = II p. XIX; 17 = I p. 174; 67 D = I p. 188; 67 E = I p. 73; p. 125; p. 149; IV p. X*; V p. XXXV; 67 F = I p. 72; p. 129; p. 133 sqq.; p. 139; IV p. XIX*; p. XXIX; V p. XXXV; 120 = I p. 174; 191 = I p. 128; p. 167; IV p. XVII*; XXI Burm. Q 5 = I p. 264; II p. XXXV; IV p. XXXI; Perizon. quart. 49 = III p. VII adn.; quart. 72 = II p. XXXIV*; Scalig. 25 = I p. 247*; II p. XV*; 61 = I p. 188; p. 246*; II p. XVI*; III p. XIII; V p. XXXIII; 63 = II p. XXXV*; 65 = I p. 248; orient. 231 = I p. 188; p. 271; Stephani exemplar gr. III = I p. 248; II p. XIX; 764 B 8 = II p. XIX; Vulcanii exemplar 758 B 17 = II p. XX; 758 B 18 = II p. XX; 758 B 21 = II p. XX; codices Vossiani lat. fol. 12 = I p. 191; fol. 24 = I p. 22; p. 77; p. 78; p. 160; III p. XXXI; IV p. XXXVI*; V p. XXXI; oct. 22 = I p. 247; 24 = I p. 188; fol. 26 = I p. 20; III p. XXVII; IV p. XXIX*; oct. 37 = I p. 99; p. 179; quart. 69 = 218; oct. 74 = I p. 102; IV p. XXX*; fol. 82 = I p. 131; IV p XXIV*; p. XXVI; p. XXVIII; p. XXXIII; V p. XXXIV; oct. 88 = I p. 94; V p. XXXV*; miscell. lat. 1 pars 5 = II g. XIV; pars 12 = II p. XX; graec. quart. 7 = I p. 18; III p. VII sqq.* — Codex Lindenbrugii = I p. 59. — Bibliothecae Lincianae (Linz) XI 581 (S. Floriani) = I p. 196. — Lipsienses CI (Rep. II fol. 22) = I p. 237; 'Ratsbibliothek' II 8. 154 = I p. 204. — Londinenses Mus. Brit. bibl.

Reg. 15 B XIX = I p. 92; Harlei. 2355 = I p. 174; 2610 = I p. 174; p. 174 sq.; 2688 = II p. XXXIV*; 2719 = I p. 73; 2735 = V p. XXV; 2773 = II p. XXXIV*; 3826 = I p. 102; 5642 = I p. 19; III p. IX sq.*; 5792 = I p. 15; p. 34; p. 46; p. 76; p. 78; p. 81 sqq. II p. XX sqq.*; p. XXXII; Addit. 8244 = I p. 174; 8404 = I p. 174; 8874 = I p. 191; 14806 = I p. 174; 14807 = I p. 174; 15219 = I p. 167; 16585 = I p. 191; 18379 = I p. 169; IV p. XXXV; 18380 = I p. 191; 27328 = I p. 191; Arundel. 127 = I p. 191; 281 = I p. 205; 515 = I p. 191; Egerton 270 = I p. 59; V p. VIII; Lambeth. 80 = I p. 191; 120 = I p. 191; 389 = I p. 186; 481 = I p. 190; 'Old. Kings mss.' 12 B III = p. 229; 15 A XVI = I p. 167; 13 C IV = I p. 92; Sloane 284 = I p. 233; fragmentum latinograec. Londinense (Greek Pap. in the Brit. Mus. 481) = I p. 23. — Lubensis bibl. eccles. = I p. 191. — Lucensis Papiae = p. 173. — Luneburgensis bibl. urb. = I p. 191. — Luxenburgensis 1294 = I p. 196.

Codices Maihingenses Schepssii = I p. 205; II lat. I fol. 8 = I p. 192; II lat. I fol. 31 = I p. 192. — Matritenses Aemil. 25 = I p. 187; 30 = I p. 186; 44 = IV p. XXXV*; arch. hist. nat. LVI = I p. 191; bibl. nat. Reserv. —4—7 = I p. 125[1]; IV p. IX*; A 16 = I p. 93; Aa 36 = I p. 191; Bb 125 = I p. 174; Bb 126 = I p. 174; V 191 = I p. 173; V 214 = I p. 191; bibl. reg. priv. 2 D 5 = I p. 174. — Mediolanenses Ambros. A 50 inf. = I p. 191; B 31 sup. = I p. 128; IV p. XVI*; p. XXXII; B 36 inf. = V p. XXIII*; C 82 inf. = I p. 192; C 103 inf. = I p. 75; C 243 inf. = V p. XV*, D 8 sup. = I p. 262; D 498 inf. = V p. VIII; F 60 sup. = p. 125; H 68 sup. saec. XI: cf. Loewe Prodr. p. 179; I 1 sup. = I p. 90; M 79 sup. = V p. XXVIII*. — Melc. K 51 = I p. 197. — Metensis 500 = I p. 148; V p. XXXIV*; S. Michaelis 18 = I p. 191. — Miconis gloss. (Bruxell. 10859) = I p. 167. — Modicienses (Monza) 164 = I p. 175; 229 = I p. 174. — Monacenses lat. 601 = III p. X*; 3451 = I p. 192; 4719[m] = IV p. XIII*; p. XXIII; V p. XXXV; 6210 = I p. 184; 6728 = I p. 192; 7999 = I p. 169; 9680 = I p. 192; 12269 = I p. 191; 12297 = I p. 192; 13002 = I p. 19; p. 168; III p. XVII sq.*; V p. XIII; 14056 = I p. 191; p. 192; p. 195; 14168 = I p. 192; 14252 = I p. 137; IV p. XXIV*; p. XXVI; p. XXVIII; p. XXXIII; V p. XXXIV; 14388 = I p. 142 sqq. IV p. XXXVI*; 14429 = I p. 74; p. 169; V p. XIII; p. XXIII*; 14584 = I p. 196; 14804 = IV p. XXXVI*; 16190 = I p. 191; 17151 = p. 206; 17152 = I p. 168; 17153 = I p. 206; 17154 = I p. 196; 17194 = I p. 206; 17403 = I p. 168; 19411 = I p. 205; 19439 = IV p. XL sq.*; 19660 = I p. 192; 22201 = I p. 168; III p. XVIII*; V p. XIII; 23496 = I p. 169; 27317 = III p. XVIII sq.*; graec. 323 = III p. XX*; graec. 187 (fragmenta) = I p. 156 sq.; cod. lat. 18034, 18158, 18187, 18396,

18512[b] = IV p. XIII; p. XIV; p. XXVIII; p. XXXI; V p. XXXV; fragmenta gloss. Sal. = I p. 168. — Fragmenta Monasteriensia (271) = I p. 41. Fragmentum Sonnenburgii I p. 150 adn. 2. — Montepessulani 38 = I p. 173; 107 = I p. 173; 108. 109 = I p. 173; H 143 = III p. XXVI*; H 152 = IV p. XXXIV*; p. XXXIX; H 160 = I p. 184; p. 185; H 302 = I p. 191; H 306 = I p. 19; p. 20; p. 87; p. 89; p. 184; p. 185; III p. XXIV*; 327 = I p. 191; H 416 = I p. 76; IV p. XXXIX*. — Morbii = V p. XXX*. — Musciacensis = I p. 107.

Neapolitani IV A 8 = I p. 14; p. 77; II p. XXXVII; V p. XXXVI; V C 31 = I p. 175; gr. II D 31 = I p. 34; II D 32 = I p. 34; II D 33 = I p. 34; II D 34 = II p. XXXI; gr. II D 35 = III p. XIX; p. XX. — Neoburgensis = I p. 137. — Norimbergensis (fragm. in mus. urbico) = I p. 189; p. 191.

Oenipontanus 711 = I p. 169. — Ortelii = V p. XXXIV. — Oxonienses Ashmol. 1396 = I p. 228; 1470 = I p. 229; Balliol. 155 = I p. 186; III p. XXX*; 298 = I p. 191; Barocc. 50 = I p. 259; 95 = I p. 259; 158 = I p. 259; Canon. misc. 201 = I p. 192; 305 = I p. 191; Digb. 151 = I p. 91; II p. XLIV adn.; Exon. 42 = I p. 191; Iun. 25 = I p. 225; 83 = I p. 75; Laud. 69 = I p. 191; miscell. 567 = III p. XXXIII; 626 = I p. 191; Lincoln. gr. 10 = I p. 259; B 37 = I p. 191; 'e Museo' 96 = I p. 191; Omn. anim. 74 = I p. 228; Regin. 321 = I p. 191; Selden. B 35 = I p. 232; Auctar. (Bodl.) T II 24 = IV p. XXXV*; gr. miscell. 113 = I p. 259.

Paderbornensis bibl. Theodor. = I p. 192. — Glossariolum bilingue Parisinum = p. 23; II p. XLI sq. (v. Add.). — Parisini bibl. nat. lat. 242 = I p. 77; 78; 346 = IV p. XXIII*; p. XXVII; p. XXVIII; p. XXXI; 521 = I p. 297; 523 = I p. 226; 1750 = I p. 91; p. 103; 2183 = I p. 76; IV p. XL*; 2320 A = II p. XXX; p. XXXIII; 2326 IV p. XXXI*; 2338 = I p. 191; 2341 = IV p. XII*; 2628 = I p. 258; 2674 = I p. 219; 2685 = I p. 74; p. 225; 3049 = III p. XX*; 4409 = I p. 148; 4481 = I p. 181; 4883 = I p. 148; 5014 = I p. 102; 6503 = III p. XII*; 6810 = I p. 92; 6823 = I p. 235; 6893 = I p. 228; 6901—6903 = I p. 228; 6905—6907 = I p. 228; 6907 A = I p. 228; 6957 = I p. 228; 6964 = I p. 228; 7056 = I p. 229; 7057 = I p. 235; 7492 = I p. 196; 7499 = I p. 16; 7501 = I p. 99 adn.; 7530 = I p. 95; p. 102; II p. XXXVII*; 7588 = I p. 92; 7598 = I p. 174; 7603 = IV p. XXXIV*; 7609 = I p. 173; 7610 = I p. 173; 7611 = I p. 173; 7612 = I p. 173; 7613 = I p. 174; 7614 = I p. 174; 7615 = I p. 174; 7616 = I p. 174; 7617 = I p. 174; 7618 = I p. 174; 7619 = I p. 174; 7620 = I p. 174; 7621 = I p. 196; 7622 = I p. 191; p. 192; 7622 A = I p. 173; 7623—7625 = I p. 191; 7625 A = I p. 191; 7625 B = I p. 191; 7625 C = I p. 191;

7625 D = I p. 191; 7626 = I p. 191; 7638 = I p. 255; 7640 = I p. 137; p. 138; p. 171; p. 272; IV p. XXXIV*; 7641 = I p. 77; 78; IV p. XXXIV*; 7642 = I p. 173; p. 186; 7643 = V p. XXV*; 7644 = V p. XXV*; 7645 = I p. 173; 7646 = V p. XXV*; 7647 A = V p. XXV*; 7651 = I p. 14; II p. VII*; 7652 = II p. XIV*; 7653 = II p. XV*; 7680 = IV p. XXXIII*; 7683 = II p. XIV*; III p. XI*; 7690 = I p. 97; p. 272; IV p. XXI*; p. XXVIII; 7691 = IV p. XIII*; 7730 = I p. 94; p. 99; V p. XXXV; 8048 = I p. 74; p. 188; 8160 = I p. 232; 8175 = I p. 191; 8484 = I p. 219; 8738 = I p. 59; p. 70; V p. V*; 8844 = I p. 173; 8865 = I p. 103; 9341 = I p. 173; 10296 = I p. 173; 10372. 10373 = II p. XXXV adn.; 10443 = I p. 138; 10588 = I p. 77; IV p. XXVII*; 11218 = (suppl. lat. 212) = I p. 53; III p. XXXIV; 11219 (suppl. lat. 1319) = I p. 57; III p. XXXII; 11529. 11530 = I p. 108; IV p. XIV; V p. XIV; p. XXI*; 11531 = I p. 173; 12400 = I p. 173; 13014 = I p. 234; 13023 = I p. 99; 13030 = I p. 173; 14432 = I p. 148; p. 219; 14744 = I p. 173; 15462 = I p. 191; 16186 = I p. 228; 16217 = I p. 191; 16218 = I p. 191; 16219 = I p. 191; 16592 = I p. 103; 16678 = I p. 191; 16702 = I p. 2 adn.; 17162 = I p. 173; 17878 = I p. 173; 17879 = I p. 173; 17880 = I p. 191; 18521 = I p. 191; cod. Paris. Papiae (Thurot Not. et Extr. XXXII p. 45) = I p. 175; nov. acquis. lat. 763 = I p. 137; p. 185; 1296. 1297 = IV p. XXXVIII; 1298 = I p. 115; IV praef. p. XIV*; V p. XI*; 2332 = III p. XXIII adn.; gr. 2627 = II p. XXX*; p. XXXIII; gr. 2628 = II p. XXXI; p. XXXIII; gr. 2885 = III p. XXIII adn.; suppl. gr. 83 = II p. XX*; 836 = II p. XXXIII adn.; III p. VII adn.; Arsén. 712 = I p. 191; 976 = I p. 191; 1225 = I p. 173; S. Genov. B 1 19 = V p. XXV; CC I 2 = I p. 184; p. 185; p. 272; 1548 X 2 = I p. 191; Mazar. 580 = I p. 191; 3790 = I p. 173; cod. Puteaneus deperditus = II p. XXXV; Stephani ed. Paris. bibl. nat. X 942 = II p. XIX. — Patavini bibl. S. Anton. 1 et 2 = I p. 191. — S. Pauli Carinthiaci = II p. XXXVII.* — Pommersfeldensis 2821 = II p. XXXVI. — Portensis = I p. 272; V p. XXV. — Pragensis = I p. 168.

Remensis Papiae = I p. 175. — Rodomenses v. Rothomenses. — Romani Angelic. R 4. 7 = V p. VII*; Casanat. 464 = I p. 173; Chis. L VII 244 = I p. 174; L VIII 288 = I p. 174; L VIII 289 = I p. 191; Vatic. 1260 = I p. 47; p. 53; III p. XXXII*; 1461. 1462. 1463 = V p. XXV; 1465 = I p. 174; 1466 = I p. 174; 1468 = I p. 74; p. 146; IV p. XII*; V p. XXIX; 1469 = I p. 75; p. 80; p. 99; p. 103; p. 128; p. 147; p. 165; IV p. XVII*; V p. XVIII*; V p. XXX; 1471 = I p. 94; p. 96; p. 138; p. 147; V p. XXX*; 1552 = V p. VI*; 1889 = V p. VII*; 1558 = I p. 72; 2370 = I p. 241; p. 262; 2741 = V p. VIII; 3320 IV p. XI; V p. XXVIII*; 3321 = I p. 76; p. 78; p. 118 sqq.; p. 132; IV p. VII*; 3441 = V p. VII*;

4322 = I p. 267; 4417 = I p. 47; p. 53; p. 58; III p. XXXIII*; 5141 = I p. 175 adn.; 5216 (sic!) = V p. VII*; 5228 = I p. 174; 6018 = IV p. X*; p. XIII; 6925 = I p. 20; III p. XXVIII; Ottobon. 1757 = I p. 174; 2231 = I p. 173; 2331 = I p. 174; Palat. 1467 = 175 adn.; 1773 = I p. 20; p. 267; III p. XXX*; V p. XIII; p. XXI; 1774 = III p. XXX; 1777 = I p. 191; Regin. Christ. 215 = I p. 148; V p. XXXII*; 227 = V p. XXXIII*; 310 = I p. 90; IV p. XXXIV*; 566 = I p. 138; 1048 = V praef. p. XXXI; 1260 = I p. 47; 1392 = I p. 174 adn.; p. 196; 1482 = I p. 174; 1590 = I p. 196; 1650 = I p. 99; Urbin. 304 = I p. 174; Vallicell. B 31 = II p. XXX; p. XXXI; B 45 = I p. 175; bibl. Vict. Eman. sub no 17 = IV p. VIII adn. — Rothomenses (Rouen) 1020. 1021 = I p. 173; 1022 = I p. 173; 1023. 1024 = I p. 191; 1025 = I p. 191.

Codex 'abavus' Salomonis = IV p. XXXVII. — S. Crucis cf. sub C. — Sangallenses 226 = I p. 100; 397 = I p. 233; 902 = I p. 17; III p. VIII*; 905 = V p. XXIII*; 908 = IV p. XXVI*; p. XXVIII; 912 = I p. 125 sq.; IV p. XV*. — Sarisberiensis 144 = I p. 192. — Seidenstettensis = I p. 103. — Senensis F V 8 = I p. 53; III p. XXXII*. — Stephani codices 'Hermeneumatum' = III p. XIV sq. Stephani editio anni 1573 = II p. XV*. — Stuttgardienses phil. 2 = I p. 192; 3 = I p. 191; Q 56 = I p. 205; poet. et phil. fol. 21 = I p. 192.

Taurinensis bibl. nat. E. V. 44 = IV p. XXXVII. — Trecenses 160 = I p. 173; 531 = I p. 191; 539 = I p. 173; 1075 = I p. 191. — Folia Tremoniensia I p. 192. — Trevirenses 40 = I p. 20; p. 188; 1126 = I p. 191. — Turonenses 850 = V p. XXIV*; 851 = V p. XXV; 853 = I p. 191; 854 = I p. 196.

Valentinianenses 396. 397 = I p. 173; 379. 380 = I p. 174. — Venetus Bess. 497 = I p. 102. — Vercellenses 62 I = V p. XXIV*; 177 = I p. 191. — Vimariensis sub Hs Fol. 65 = I p. 261. — Vindobonenses 89 = IV p. XXXVII*; 894 = I p. 206; 1312 = I p. 196; 1454 = I p. 191; 2276 = I p. 168; 2339 = I p. 191; 2404 = IV p. XI*; V p. XXIX*; 5167 = I p. 241; 5373 = I p. 192. — Vindocinenses 113 et 113bis = V p. XXIV*. — Vratislavienses Hugucionis = I p. 191; p. 194; Pseudapulei = I p. 53. 55.

Fragm. Wirceburgense = IV p. XXXI.

Zwettlensis 1 = I p. 19; cf. I p. 168.

CAPVT XXVI. SVPPLEMENTVM

§ 66. Codex archivi 'de la corona Aragon' Barcelonensis (Ripoll 74) 156 foliorum saeculi decimi varias glossematum collectiones continet, velut in fol. 19ra: *Incipit sancta glossa. Abdicare alienare. Abo-*

lere in oblivione mittere. Abiectio desperatio vel repulsio. Aborrens discrepans et sic porro post 1500 fere glossas: *Auctor ab augendo dictus ... Venator quasi venapulator quod bestias premat* (h. e. Isidori liber decimus, ut videtur). Secuntur haec: *Scotica G.* (h. e. *Scolica Graecorum*) *glosarum glosa terc̃ Apocriphus grece latine dicitur secretalis .... Glosa quarta. Aerarium dicebatur antiquitus ubi condebatur pecunia publica* (ex Isidoro XVI 18,5). Sequitur maius glossarium. Hoc excipiunt glossae in sacram scripturam (in fol. 49va); dein *verba secundum proprietatem trium linguarum* (in fol. 55ra); *graeca verba in latinum exposita: Agathos bonus* e. q. s. *Incipit glosa V*^{a} (ab *Advenit adest adveit* ad *Vafra callida artificiosa*). In fol. 66ra *Incipit sexta glosa ex multorum genera verborum et nominum qualiter sumserunt exordium. Abitus ab alendo* e. q. s. In fol. 73rb sqq. glossemata exstant *de coniugiis, de homine et partibus eius* e. q. s. ad omnes condiciones vitae humanae pertinentes usque ad fol. 140ra). Dein post varia opuscula in fol. 156ra *incipit agnicio multorum nominum vel verborum ignorancium* ab *Infernus dicitur eo quod ibi animas peccatorum inferantur et inferte infra teneantur* e. q. s.

Codicem Basileensem A III 17 saec. XV in fol. 380 sqq. Pseudocyrilli glossas continere ex eis quae Henricus Omont 'Centralblatt f. B.' III p. 406 attulit sero didici. Initium tale est: *Ἄαπτος Intactus, Αβαξ Abbagus, Ἀβαρὴς Non gravis .... Ὠχρότης Palliditas, Ὠχυρωμένος Vallatus.*

Codex Bernensis 83 in folio 17^{r}, in quo exstare breve glossarium Hagen p. 101 dicit, non tam glossas continet quam differentias satis viles. Glossas bilingues quas Hagen p. 102 catalogi commemorat idem Anecd. Helv. p. C sq. edidit.

Codex Bernensis A 91 inter multa alia loco duodevicesimo glossarium sic inscriptum continet: *IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CRISTI INCIPIT GLOSSARIVM ROBORATVM SVMMA AVCTORITATE.* Primo in loco sunt bilinguia quaedam satis vilia, ut *Πρηποτητα pulcritudo ιδηα forma ηπιστιμιν disciplinam habet autem nomen a discendo* e. q. s. Secuntur in fol. 1^{v} glossulae velut *Praecurrere ante currere. Marsupium saculum numorum ... Sonipes caballus dicitur a cavo pede. Equi dicuntur ab equalitate quia prisco tempore praevidebantur equi equales qui ad currum iungebantur ... Diva divina*; dein in fol. 2^{r} *Agirastas grecarum acciones. Amartigenia de peccatorum origine... Aluncina vana somniaria ... Anappa dr̃. quasi sursum lata. Anopa ·i· quem nos anaphum dicimus ... Abigere est schicare inde abiectores schitorum ... Vmbo umbonis quod rustice dicimus ... Nam sicut palato discernimus dulcem rem et amaram ita per sapienciam bonum et malum.* Submittitur in fol. 3^{r}—7^{v} glossariolum sic incipiens: *A litera in omnibus*

gentibus ideo prior est quia nascentibus iter prebet loquendi; multae glossae postea eadem manu adiectae, ordo litterarum saepe neglectus, sacra scriptura aliquotiens adfertur, Fulgentiana inseruntur, denique ab 8ᵉ glossarum '*Absida lucida*' littera *a* ponitur, quae glossae etiam in Bernensi 357 exstant (cf. p. 185). Omnino potuerunt hae glossae neglegi.

De codice Bernensi A. 92 particula 1 (15 folia; saec. IX) cf. I p. 160. Particula 2 (5 folia) exhibet in fol. 1ʳ A: *Saceltum templum modicum ... Xanxis fluvius troiae*; in fol. 2ʳ B: *Avitum antiquum ... Bruchus grillio* (!) ... *Cloacae fosse dirivaturie ... Mestitia tristitia FINIT LIBER* (nova paucissima insunt eaque vix utilia). Particula 4 (7 folia saec. X) haec habet: fol. 1ʳ *Basilei autem obanc causam vocantur quod tamquam bases populum sustineant* ... (litterae *A* et *B* ex libro glossarum proveniunt, id quod iam ordo glossarum testatur; cetera aliunde sunt deprompta, in quibus plurima notissima, alia trivialia, pauca notabiliora, veluti haec: *Forceps dr̄ quod inde forvum vel formum capiatur id est calidum inde et formosus dr̄ eo quod ex calore corporis color procreatur pulcher*; *Glis bestia similis mure quam vulgo vullum vocant*; *Glaucoma oculorum quam vulgo cacidam appellant*; *Gramen genus herbe quam vulgo t'nuā dicimus*; explicit in littera L. Multa ex Prisciano fluxerunt multaque ad Prisciani verba spectare videntur. Cum hoc glossario vinculo artissimo coniunctum videtur illud, quod codex Bernensis 243 saec. X in fol. 1—9 continet (p. 283 catalogi): redeunt enim quae insunt partim ad Priscianum, partim ad Servium, partim ad Isidori Origines (glossae *Glis*, *Glaucoma*, *Gramen* in utroque codice exstant). Etiam theodiscae glossae aliquot insunt (*Merges collecti in unum manipuli quod garbam dicimus*; *Placenta genus edulii qui vulgo dicitur flad*; *Castra ideo dicuntur quia ibi luxuria castrabatur siquidem nullo pacto feminam ingredi licebat in castra quod germanice heriberhg dicitur*), *Fiber bestia aquatilis id est canis ponticus qui vulgo bever dicitur*).

Cod. Bernensis 129 (Hagen p. 181) saec. XIV glossarium latinum exhibet quod '*scripsit frater iohannes de ronchaux monachus balm. in vigilia penthecostes finivit anno domini MoCCCo duodecimo*'. Vocabula quae explicantur vel e sacra scriptura vel ex aliis libris christianis desumpta sunt. Cf. *Acommentarius sive acommentariensis dicitur quem nos ros* (!) *rustico sermone cancellarium vocamus qui praest regio sigillo ... Austeritas ventris dr̄ quod alio nomine constipatio vocatur. unde constipatus homo dicitur quem vulgo constivatum vocant .... Burgus vocatur plurime domus in longum ordinatum disposite. Burgarii vero qui in burgo commorantur qui vulgari nomine burgenses dn̄r . . Bubulcus vocatur boum custos qui vulgariter boarius dicitur ... Connivere autem proprie significat nictare quod rustici dicunt cinnare ·i· oculos claudere ... Significat autem*

conquinisco ut ipse prius dicit caput inclino unde dõn' ammonius in commento deuteronomii e. q. s. . . .

Codex Bernensis 224 quem IV praef. p. XXX descripsimus praeter Affatim glossas duo glossariola continet, alterum ab *Amoenum iocundum* incipiens in fol. 193^{b}—196^{a}, in fol. 196^{a}—198^{b} alterum (*Adfatim abundanter — Vescitur pascitur*). Hoc quod posteriore loco commemoravi tantum non ubique convenit cum glossis quarti voluminis; de priore conferenda sunt quae Vsener Mus. Rhen. vol. 23 p. 224 (= Ges. Abh. II p. 242) dixit. Plurimae glossae brevissimae sunt, maioris ambitus hae: *Democritus. abduritis civis fuit. quod est in alpis castella. hic democritus semper ridebat casus amaros nus* (exp. m. 2). *nam eraclitus pius civis semper flebat cuiusquam causam hic loquitur dialecticus ille pithagoricus* (*c* s. scr. m. 2) *hic ambulat pimpaticus hi stat stoicus.*

Codex Bernensis 258 praeter ea glossaria quae edidimus (h. e. Affatim, Abavus, Avectos, Ab absens) etiam alia continet quae neglegi posse putavimus. In quibus quod maioris ambitus est in fol. 131^{b}—153^{a} ab his incipit: *Ab oris a finibus, Arcebat prohibebat vetabat, Amendare a patria excolare,* sic autem explicit: *Zelum invidia, Zona cingulum.* Apographon confecimus: sed tamen cum multa cum glossis Affatim et Amploniano secundo communia habeat, non ausi sumus his glossis notissimis tot paginas implere. Ceterum simile glossarium exstat in cod. Leidensi Voss. lat. oct. 74, sed cui multa aliunde illata sunt; item in cod. Parisino nov. acquis. 763 saec. IX, de quo cf. Omont 'Not. et Extr.' XXXVIII p. 348 sqq. Quae secuntur in cod. Bernensi in fol. 153^{a}—159^{v}, in modum Synonymorum Ciceronis scripta esse merito dixit Hagen; cf. Anecd. Helv. praef. p. CXVIII adnot. His quod succedit in fol. 159^{v} ad 175^{v} glossarium ab *Arma pugnas* incipiens (ab *Arma bellum* incipit etiam glossarium Carnotense IV p. XXII) et usque ad *Vocabula nomina* pertinens abiecimus; pars enim litterarum A et B glossas 'Abavus' plenioris memoriae exhibet; his quae praemissae et submissae sunt glossae quamquam sui generis tamen indignae visae sunt quae ederentur. Etiam minora glossariola quae sub numeris 9, 12, 13 feruntur apud Hagenum consulto cum Loewio negleximus. De glossis 'Amoenum' cf. cod. Sangallensis 908.

Codicis Bernensis 286 saec. XI (cf. p. 308 catalogi) glossarium latinum breve, ut in quo nova non insint, negleximus.

Codex Bernensis 611 saeculi VIII duo glossariorum fragmenta continet, alterum male habitum et in prioribus quattuor foliis mutilatum a littera D usque ad Z pertinens, litteras A usque ad H comprehendens alterum. Priori glossario multae glossae cum codice Sangallensi 912 communes sunt; omnino notissimae sunt longe plurimae et

paucae exstant, ex quibus aliquid lucremur. Notabiliores sunt hae: *Linuit superunxit, Lupanar meretricum stupe ū habit, Mermis furmica, Monachus solatarius, Nurus bruta, Nutricii geruli, Opetulancia sufragia, Olucris volucris, Psiatium matta, Sertis ardua loca vel roccae in mare, Susurrio sineciosus vel bilinguis, Storiographus storia conscribens, Strio mimarius, Timpanistriarum cantabant vel conlaudabant, Toga flaus.* Alterum glossariolum 67 glossarum praeter vetustatem nihil habet quod oculos in se convertat. Apographon horum glossariolorum est in bibliothecae nationalis Parisinae codice lat. 11280; descripsit Kroeber, maximam partem Daremberg a. 1858.

Codicem Cantabrigiensem collegii S. Petri 2. 4. 6 priore loco (a fol. 1^{r}—144^{v}) glossarium continere ex pluribus glossariis collectum II praef. p. XLIV dixi. Exstant apud me excerpta uberrima a Gundermanno facta et litterae B plenum apographon: ex quo apparatu multas e multis locis conflatas esse glossas perspexi, saepe immanibus corruptelis depravatas, sed ita ut singuli fontes certe distingui non possint. Notabiliores sunt glossae nominum, de quibus l. s. s. disputavi; reliquae ex parte libro glossarum debentur, ex parte Paulo, Servio, Fulgentio, Hieronymo, Isidoro, denique glossariis cum eis quae in quarto et quinto volumine posuimus magis minusve cognatis. Iterum excerpta perlustranti mihi constitit longe plurima aut nota aut misero modo corrupta, certe inutilia esse.

Codex Carnotensis 90 saeculi IX/X praeter alia a folio 56—65 varia opuscula glossematica exhibet: 1) a fol. 56^{r} synonyma ad litterarum ordinem digesta ab *Explorare investigare specularę diligenter inquirere* ad *Vexat quassat dissipat corrumpit frangit dissoluit divellit detorquit delaniat.* Sequitur 2) glossariolum notissimum a *Poeta vates* incipiens, quibus alia subiunguntur ex parte sine certo ordine; 3) aliud glossarium ab *Aetria etheria id̄ celestia* incipiens usque ad *Zepheri venti*, cui inconditae quaedam glossae et synonyma adiuncta sunt. Singula glossaria nullo interstitio distincta, glossae ipsae plerumque viles sunt; multae redeunt in libro glossarum. Certe indignae sunt quae edantur.

Codex Caroliruhensis notissimus CCXLVIII, de quo supra p. 221 sqq. verba fecimus, in fol. 40—62 glossarium continet tali modo inscriptum: *In chr̄i nomen Incipiunt glose quod est congregatio sermonum De novo et vetus testamento D̄o gracias Amen.* Quae secuntur glossae, tantum non omnes in glossariis quarti voluminis redeunt, sed ut cum nullo ad verbum conspirent. Glossas litterarum A et G transcripsit in meum usum Stalzer: ex quo apographo perspexi nihil ad eas glossas quas edidi ex his glossis accedere, quod scientiam nostram augere possit. Itaque illas glossas nolui ex schedis meis promere.

Codex Cassinensis 205 saeculi X/XI continet haec: 1) glossas notissimas novi et veteris testamenti in fol. 1—80; 2) in fol. 81—120 glossas *Abra ancilla sive liberta* usque ad *Valide multum per sincopam*: in qua farragine multa sunt ad grammaticam et etymologiam pertinentia, multa ex Isidori Originibus hausta.

In codice Cassinensi 439 ut dicerem IV p. 104, 23 adnotatione de 'Lilibeo ex sacra scriptura' illatum esse locum, ridiculo errore factum est. Ibi enim haec leguntur: *Lilibeus caput montis de insula sicilia quod autem paulus dicit ad carulum sub pedibus uris et lilibeus eat non solum montem posuit set totam siciliam vel maria tota quasi dicat qui terrea calces et maria calces.*

Codex Cheltenhamensis Phillippsianus 279 saec. XIII glossarium continet hac inscriptione: *Incipit liber interpretationum hebraicorum nominum. An nubes. Aaron ... Aazia.* In fol. I^{v} legitur: ... *Abba pater. Huc usque beatus ieronimus. quę vero sequuntur a glosariis sumpta sunt*; hebraica multa exstant, quibus latina admiscentur: *Alabastrum ut ait beda in lucam est genus* e. q. s. *Almities pulchritudo. Alemanni suevi a lemanno fluvio. Ascia ab astulis dicta quas de ligno eximit. Ascia dolatorium lapidum ut ait ieronimus in fine epłę ad getas. Ferentarius leviter armatus id est sagittis et fundis. Garbę mergetes i. manipuli* e. q. s. Vnde apparet etiam Placideas glossas in hac farragine exstare.

Codex Cheltenhamensis Phillippsianus 9485 saec. XIV glossarium habet incipiens ab *Abactus ab actu remotus unde latrones dnr abactores.* Ex excerptis Gundermanni cognovi ex Papia has glossas fluxisse immissis nonnullis ex aliis locis.

Codex Escurialensis Z II 2 (cf. Loewe-Hartel p. 152 sq.) in fol. 265^{r}—280^{r} a glossarium continet cum hac inscriptione: *incipit glosulam abtam ex libro iudico. A littera in omnibus gentibus ideo prior est litterarum pro eo quod ipsa prior nascentibus vocem vainando aperiat*; explicit: *zelus indignatio vel ire.* Excerpta quae ex hoc libro reliquit Loewe ostendunt partem glossarum non minimam ex libro glossarum esse haustam, cuius reliquias ab excerptis Isidoreis non semper discerni possunt. Ad has accedunt vocabula recentiora velut *Dolo frude vel bauzia. Gardingus astvaldus regius vel comitis. Gillonariorum prepositus pincernarum idest butellarium. Marchas regni extremitates req ad limitibus.* Praeterea adfero haec: *Artificis in hoc libro iudicis intelligere debes. Adsertorem mandatarium. Conludium ingenium. Clivum curvum pronum flexuosum quem vulgi vallera dicunt. Concinationem argumentationem quem vulgi dicitur bauzia. Conludium ingenium deceptio fraus. Curiales sensuales. Difficillimum inpossibillimum. Finitatem proximitatem. Functionem oblias. Legis lator legis portitor sed in oc libro iudex intelli-*

gere debes. Mediocrus quod modicum illi suffitiat. Mediocrus moderatus a modo scilicet et temperamento dictus (cf. Isid. X 172 sq.). *Nolle nevelle. Nubercam matrastam. Numum aureum solidum aureum que est vulgi mancosum* (= *marca*). *Orbita strada. Polipticis cartolariis. Saxas petras altas vel rochas. Seliqua media pars denarii idest medalia. Specula guardia.* Ex his apparet ex codice Escurialensi multa peti posse quae ad infimam latinitatem illustrandam utilia sint. Glossarium nescio an cohaereat cum eo quod praecedit in codice libro iuris (cf. illius inscriptionem libri: *Philippo Catholico Regi optimo maximo Iohannes Baptista Cardona hunc vetustissimum ac emendatissimum Gotthorum iudiciorum codicem dat ad regiae bibliothecae S. Laurentii usum tunc M. D. XXCV*). Scriptura ipsius codicis undecimi saeculi est. Cf. Ewald 'Neues Arch.' VI p. 282 sq.

Codex Escurialensis O III 31 saec. IX (cf. Loewe-Hartel p. 100) in fol. 122^{v} glossemata haec habet: *Pegma est quoddam in scenis machinamentum ferreum instar rastri dentati unde pulpitum terebrabatur videlicet ut superfusus sanguis hostiae in eodem scenae pulpito facilius per foramina acta pegmate defluens sacerdotem suppositum umectaret* (cf. Thes. gl. em.). *Cambio quasi flecto sicut in ippodromo de equis solet fieri. Optimates dicebant quando florebat res p. qui etia consules tuebantur et defendebant quasi optimi illorum. Vomex genus infirmitatis simile apostõ cum excreatione pleno gutture ut imitetur vomentem. Teges quod tegat aliquid proprie agrestium tegmina quod sibi vel de sparto vel de iunco vel de cannabo faciant sibi vestes. Cardiacus a corde dum ea aliquo timore aut dolore adficitur cor est igitur cordis passio cum formidabili metu* (cf. Isid. Orig. IV 6, 4). *Mechanicus peritus fabricae artis in metallis lignis lapidibus. Fiscus saccus publicus unde fiscellae et fiscinae hunc habent exactores et in eo mittunt debitum publicum quod regibus debetur* (Isid. Orig. XX 9, 7). *Tentigo tensio inmoderata cuius libet rei.*

Codex Florentinus Ashburnham. 27 saec. XI/XII post diversas quaestiunculas grammaticas in fol. 93^{v}—99^{r} glossarium exhibet, cuius apographon ipse confeci. Incipit sic: *Aethera paries* (*ies* in ras.) *celi superioris. Aetherium sensum celestem spiritum*; explicit in fol. 99^{r}: subinde sine ullo indicio novum glossarium sequitur in fol. 99^{r}—122^{v} ab *Amita soror patris* ad *Sudes pali acini. Sudes* (in fine paginae; reliqua desiderantur). Prius glossarium ex 'Affatim' excerptum esse videtur, posterius ex libro glossarum.

Codex Florentinus Laur. XVI 5 saec. XII in fol. 87^{r}—142^{r} glossarium trium linguarum hebraicae graecae latinae exhibet. Inter glossas latinas rariores exstant, e quibus inter alia has excerpsit Loewe: *Aqualiculus ea pars ventris in quam aqua descendit. Araciuncula sulcus parvus. Ando perficio. Auricomus sol quasi aureas comas habens. Agrippa*

qui cum dolore nascitur. Aquilos species demonum qui in forma aquile apparent. Arvales fratres pueri qui pro arvis sacrificabant (cf. p. 206). *Ambigna ovis gemellos pariens. Amiculum pallium lineum meretricum. Advecticium vinum longe adductum. Crustula panis tortus oleo consparsus. Columen sustentaculum. Consentes iovi consentanei. Consuales ludi ubi consulendo annuatim ludebatur. Calabra curia in quam populus vocabatur. Evitabiliter honorabiliter pulchre. Elucubratiuncula brevis sententia que una candela scribitur. Fenestella bonus scriptor. Hinnibile quicquid hinnit ·i· equus. Horridulus tremens. Vinctiturum vincturum. Vnguibus aureis fulgentibus. Vitulignes vitulamina d̄n̄ę d̄nr inutilia virgulta quę radicę veteris arboris procedunt.*

Cod. Hannoveranus IV 499: H. Meibomii jun. Liber glossematum, h. e. explicationes quorundam vocabulorum minus usitatorum c. indice. saec. XVII 229 folia. Ms. Meibom. No. 256. Hunc librum non vidi.

Codex bibliothecae Leidensis 67 F, de quo conferantur praeter ea quae Loewe Prodr. p. 170 sq. exposuit tomi IV praef. p. XIX sq., quinto loco exhibet glossarium cum hac inscriptione: INCIPIVNT GLOSAE PROPRIETATVM. Quod glossarium quale sit ut appareat maiorem seriem litterae A subicio: *Arma bellum id ē pugna. Albani patris albani senatoris. Aperit ostendit. Aternum vulnus antiqua indignatio. Argivum grecorum. Aequore mare vel planities. Ast ego advero ego. Aeoliam aeolia regis patria. Antrum caverna vel spelunca. Arce sede. Abdidit abscondit. Atris obscuris. Aether caelum. Adsidera adstillas. Aeacyde acillis. Aestus hic inundatio. Agger comulus. Avertice aseptetricone. Astillam ad vero illam. Audetes ausi estis. Adnixus elaborans. Acveluti quomodo si. Arrectis erectis. Aperto sereno. Aenede troiani. Adoras adfines. Atrum obscurum. Artus membra.* Iam ex his apparet Vergilianarum glossarum largam copiam inesse; cetera quae adiecta sunt aut aliunde nota esse videntur aut trivialia. Itaque iure omitti potuerunt.

Ex codicis Leidensis 191 (cf. IV praef. XVII) primo glossario excerpta quaedam propono, quae mihi apographon iterum perlustranti aliquam vim habere visa sunt: *Abiciatorium alphabetum. Apofereta vasa pomis apta. Cardo carneil. Exploditus exclusus. Filex felchirre. Fibula fical. Indicibilis inenarrabilis. Litescere latere. Nepos natus post. Nonna mulier deo sacrata. Prestrigium eo quod praestringat aciem oculorum. Privignus filiaster. Semisicium quasi medium gladium ad modum medie spate. Septicipitem septem capita habentem. Sambucus serruz* (vel *serrux*). *Scabro wituel. Trapedias mensas. Vlna alne. Vlnus elembota. Vipera qenus serpentum nadre.* Multa recentissimae latinitatis vestigia notabilia sunt.

Codex Londinensis Harleianus 3376 saec. X glossarium conti-

net glossis saxonicis ornatum, de quo disputavit Krumbacher Arch. l. l. I p. 150: ex eodem Wright et Wuelcker nonnullas glossas excerpserunt; cf. p. 192 sqq. Multa e libro glossarum repetita esse videntur, sed aliunde haud pauca accesserunt. Quid conferant hae glossae ad studia saxonica, alii exponent; ad nostras quaestiones parum quod bonae frugis simul et novum sit exhibere certum puto.

Codex Londinensis Harleianus 3826 saec. X in fol. 150r—167v glossarium tenet ex multis fontibus haustum: primo in loco exstant '*Grammaticae artis nomina*', de quibus p. 102 dixi; secuntur glossae *de domiciliis*: *Proaula porta prima ab oriente* e. q. s. (cf. I p. 100); has excipiunt glossae sumptae ex Servio, Paulo, aliis locis (velut *Situs proprie dr̄ lanugo vel mussa terrę vel arboris et ponitur pro senectute teste sedulio rhetore grandevo consumpta situ prolemque negabat*); in fol. 161—164 leguntur glossae Iuvenalis, de quibus dixi in Friedlaenderi praef. Iuv. p. 109.

Cod. Londinensis Harleianus 1915 saec. XII inter 'interpretationes nominum in evangelio' inserit glossas mere latinas velut has: *Clibanus est ut ait cassiodorus enei vasculi coquendis panibus deducta rotunditas que sub flammis ardet intrinsecus. Clamis pallium non consutum sed fibula infrenatum. Piscina dicitur per contrarium eo quod careat piscibus. sicut lucus eo quod minime luceat et bellum eo quod sit non bonum. Siliqua species leguminum in folliculis apta porcis.*

Codex Mediolanensis Ambrosianus C 72 inf. saec. XII inter alia exhibet glossariolum simile eorum de quibus I p. 100 disputavimus.

Codici l. Monacensi 4535 adhaeret fragmentum saeculi XII particulas litterae A exhibens, in quibus multae glossae Iuvenalis exstant, velut hae: *⟨A⟩bdomen abdominis est pinguedo. IVVENALIS. Placant abdomine porce.* Etiam Priscianus saepius testis adfertur multique loci ex sacra scriptura. Excerpsit nonnulla Loewe.

Codex l. Monacensis 14429, de quo et alibi et V p. XXIII diximus, in fol. 222r—226v glossarium exhibet modo ex Isidoro, modo ex Fulgentio, modo ex Hieronymo, modo aliunde haustum: sed non fuit cur glossas quarum maior pars aliunde nota est exprimendas curaremus. Litterae B initium subicere placuit: *Bellona dea belli apud paganos. Bullis ubi fit farina vel granum vel aliquod necessarium. Bile felle. Badanola est lectus qui in itinere baiolatur. Bubo uvo* (s. scr. m. 3) *nomen avis. Blesus est qui cum sibilatione loquitur lisbê* (s. scr. alia m.). *Baculārius gustos boum. Baculare vas aeneum. Bracium* (*malzi* s. scr. alia m.) *materia cirvisę. Birsa cutis vel corium. Basterna cathedra ubi sedent mulieres super caballum. Barbita tybia. Bathoma sicla parva vel urna. Botholicula stopha. Bracile cingulum brace. Balafium forma. Basiliscus*

grece. regulus latine e. q. s. Sub L est: *Lintrizo navigo*; sub M: *Magalis porcus sine testiculis,* alia id genus. Cf. Steinmeyer IV p. 175, Gundermann Mus. Rhen. 46 p. 489 sqq.

Fragmenta glossarii optimi (saec. VIII/IX et X) exstare in bibliotheca Monacensi, quo compluria glossaria eaque inter se litteris distincta in unum corpus coniuncta fuerunt, IV praef. p. XIII dixi: unde quae diligenter transcripta habeo cur non adsciverim ibidem exposui. Quae fragmenta iterum perlustravi, sed etiam nunc mihi persuasi me operam perditurum fuisse, si illas glossas edidissem: aliunde nota tantum non omnia. Aliud fragmentum saec. IX quod quondam in cod. 14725 fuit, ad litteras G H I K spectans, item fragmenta quinque schedularum (ms. Docen. R. K.) ad litteras F, G, H, P, S, T, V pertinentia saeculo VIII/IX scripta, cum glossas aliunde notas contineant, in schedis meis retineo.

Codex Mutinensis XVII H 16 saeculi X glossarium exhibet sub hac inscriptione: *GLOSAE LATINAE. Abdicat alienat. Abegit ventilavit. Avertit sparsit. Abero abscedam* e. q. s. Videntur hae glossae paene omnes ex libro glossarum detortae esse, ut ex littera A et aliis excerptis perspexi.

Codex Oxoniensis 'Barlov' 35 saec. XI glossarium continet sic incipiens: *Incipiunt scolica grecorum glosarum* (eadem inscriptio est in cod. Vaticano reg. Christ. 215; cf. p. 148 et 294). *Apodixen ostentio* (et s. scr. *·i· magica ars*). *Apofrica deliramenta. Apolexia subita effusio sanguinis. Acan necessitas. Aporia talium anxietas. Apolus divinus* (scr. *Areolus d.*). *Apocalypsis revelatio. Ascopa vas hab similitudinem aratri* (*a* s. scr., repone *utri*). *Apologiticum satisfactionale* ... explicit: *Zelotipus suspiciosus. Zema olla de qua bibitur.* Addo excerpta quaedam quae Henrico Nettleship praematura morte erepto et his meis studiis propenso debeo: *Archimagirus princeps coccorum. Angaria conpulsio. Aqualiculus ventriculus aqua plenus & pinguedo super umbilicum.* Ex his et aliis quae proponere nolo perspexisse mihi videor glossas has esse recentioris originis, ad res christianas potissimum spectare, in multis consentire cum glossis notioribus, omnino indignas esse quibus maiorem diligentiam adhibeamus.

Codex Oxoniensis Bodl. Addit. C 144 saec. XI in fol. 155^{r}—167^{r} glossarium continet incipiens sic: *Abditum absconditum. Abstrusum remotum latere absconditum. Abnegat inficiatur plus quam negat. Abluit lavit detersit. Abluere penetrare tollere dilere obliviscere vel neglegere.* Pertinet usque ad *Induperator imperator. Indubiis pax bello manentem idem inevallum. Indubie indumenta. Inenodabile quod solvi non potest. Inest in eo est vel iunctum est.* Reliquae litterae deficiunt. Cf. A. Napier 'Archiv f. d. Stud. d. n. Spr.' LXXXV (1890) p. 309—316. Has glossas in

universum sat prope accedere ad glossas Abavus plenioris memoriae Napierio concedendum erit; quo simul demonstratur inutiles eas esse.

Codex Oxoniensis collegii Iesu 26 saec. XII in folio 203 glossas graecolatinas continet, quibus hebraicae interpositae sunt Incipit: *Filare grē servare* e. q. s. *Coragium carmen vel sonus chori. Opicin grē diminuere. Proseuca ł capenna tegimentum pauperum ponitur et pro p̄cibus. Cichlō rotundum. inde ciclas vestis muliebris et rotunda. Suppar vel suparum vel subucula interior tunica ·i· camisia. Dextrocherium ornamentum dextrae. Lomentum est savo. Stragulum genus est vestis varię. Periscelides impedimenta crurum puellārum ·i· boie. Zetos gcē calor inde zete estivales. britisce verse ad septentrionem hiemales ad meridiem. Peripsema purgamentum pomi proprie. Lucubratiuncula vigiliola.* Explicit in fol. 204ᵛ: *Fiscus unde dr̄ fiscina et fiscella. saccus est publicus quem et dn̄s in terra habuit. ipsi sunt loculi inde commisit* (cf. Isid. XX 9, 7). Etiam alia vestigia Isidori insunt; sed pleraque apud hunc non inveniuntur, immo ad Hieronymum pertinere videntur.

Cod. Parisinum lat. 4409 saec. IX in fol. 120ᵛ—124ʳ A glossariolum continere illud ex quo excerpta quaedam exhibuimus tom. V p. 547 huius tomi p. 147 diximus. Incipit sic: *In nomine scae et individuae trinitatis inmse incip̄ glose litterarum trium linguarum composite. Latina hebrea et greca. Adfectat captat temptat. Appetit occupatur* (= *auc.*). *Adolere incendere. Adeptus adsecutus adquisivit. Ademptis tultis. Abluti mundati. Admitti adsumi* . . . . . (quae secuntur excerpta sunt) *Edulus currus qui carrucas habet* (cf. *Aedilis currus*). *Infalso non falso. Manipularis portitores. Pompeius fuit rex romanorum. cui successit iulius cesar. Prolatat procrastinat defert. Satagimus innotescimus. Solidasti firmasti. Sira vetura. Tutamentum firmamentum. Vltio vindicta. Viget pullulat. Vegetati confortati sive vivificati. Violare inquinare vitiare. Violentia per vim expulsio. Vbique in omni loco.* Notabiliora pauca insunt, sed pleraque aliunde non nota. Idem vel certe simillimum glossarium est in cod. Vaticano reg. Christinae 1048 saec. X in fol. 224ᵛ—227ᵛ quod sic incipit (post eandem inscriptionem): *Adfectat captat temptat. Appetit occupatur. Adolere intendere. Adorire incipere. Adeptus adsecutus.*

Codex Parisinus lat. 5009 saec. XII/XIII in fol. 20ᵛ A—23ʳ A fragmentum glossarii graecolatini continet ab *Anelitus nobilis gloriosus. nam cliton grece gloriosum dictum. Iris arcus celestis* et sic porro per litteras *I, L, M, N, O, P, S, T* usque ad *Zefirus grece faonium ventum dicimus latine quod flores et gemme suo flatu vivificentur.* Notabiliora haec sunt: *Monodia unius cantio idest suicinium* (= *solicinium*?). *Melicata mulsa. Obsonium male sonans* (!). *Peripsema purgamenta,* si tanti est talia notare. Longe plurima ex Isidoro, alia ex libro glossarum ex-

plicari possunt: cum glossis, quae incipiunt ab *abscida lucida* (III p 487sqq.) paucula quaedam communia sunt. Cetera quae insunt (velut *Etimologie nominum domus thome* in fol. 123ª, *glose totius bibliothece veteris et novi testamenti*, metricae et grammaticae quaestiones) ad nostra studia minus pertinent.

Codex Parisinus lat. 5301 saec. X in fol. 327ᵛ glossas continet manu saeculi XII excerptas ex glossariolo illo, cuius exemplar est in cod. Parisino 7530 (cf. I p. 102). Quod ita esse ex his glossis disces: *Poeticus liber vel cantus. Poema unius libri opus. Poesis opus multorum librorum. Edilion paucorum versuum. Disticon duorum versuum.* In fine legitur: *Incipit expositio bede prebsci*, ex qua haec exscribo: *Cęsius lenticulosus vel tricatus a cesuris dictus, Pilax vel murilegulus vel muriceps. catus. sternitium latrina.*

Codex Parisinus lat. 5600 saec. X/XI in fol. 91ᵛ—93ʳ fragmentum glossarii continet ad litteram R spectans, unde haec enoto: *Resultant reclamant resonant, Rimatur scrutatur runditur* (cf. V 144, 12 *scrutatur aut finditur*), *Rues ruina, Ruspare requirere, Retanda purganda* e. q. s. Aliunde nota sunt omnia.

Codicem Parisinum 7690 continere glossariolum ab *Aptet vos* incipiens IV praef. p. XXI dixi. Quod glossariolum multa communia habere cum primo glossario Amploniano velut haec series a qua incipit docet: *Aptet vos impleat vos. Aptemus adiungamus. Abba pater syrum est. Astarathim idolum sidoniorum. Abegiata involuta. Aboliri oblivisci. Abicte appelle. Abrixium splendor auri. Absidas ędificia laris* e. q. s. Sed materies non unius modi est; etiam aliunde multa addita sunt, velut ex botanicis glossis et ex glossis *Abstrusa*. Vnde saepe fit ut eadem glossa iterum redeat. Multa graeca vocabula insunt. Vltima glossa est: *Fas licentia rationabile iustum.* Cetera videntur periisse; nam nullum finis indicium est. Omnino non fuit cur has glossas typis exprimendas curaremus.

Codicem Parisinum lat. 8048 saec. XII glossas continere quae ab *Abactus* incipiunt p. 188 monui. Vt plane appareat qualis huius glossarii ratio sit, ex exemplari Parisino pauca delibanda esse censui. Glossarium exstat in fol. 90ʳ—115ʳ. Incipit sic: *Abactus ab actu remotus. Abaso infirma domus. Abavus proavi pater. Abdico exterro elimino repudio. Abdo occulo abscondo. Abduco rem inhonestam duco vel furor. Abenae retinacula. Abiecto diffamo vitam minuo. Abigeus pecunie aliene abductor. Abiyssus profunditas aquarum. Abiuratio rei condite negatio. Ablactatus a lacte ablatus .... Altiboans altisonans ... Alnus aleri ... Albugo fli ... Alerius nutritor ... Albeus trog ... Almicies pulchritudo — Andeda brantrida* (cf. *Andena* in Thesauro gl.) ... *Anas anud anatando*

dicta .... Ardalio secundum remigium glutto vel nomen fluminis ... Assiria (cf. *Asisua*) *fovea deceptionis animalium* e. q. s. Ex quibus exemplis apparet fundamentum esse glossarium quale est apud Papiam, adiecta esse haud pauca ex primo glossario Amploniano, item ex glossis nominum, sed pessime habita omnia, modo contracta et corrupta, modo licenter mutata, fere semper in substantivis nominativo, in verbis prima praesentis persona positis, omnino in eam formam redacta, ut improbabile sit quicquam boni ex hac farragine desumi posse, quod non aliunde notum sit; quae nota non sunt verendum est ne fallant, si quem alliciunt.

Codex Parisinus 8751 C saec. XIV in fol. 32^{r}—69^{r} derivationes exhibet ex litteris B—M. Incipit: *et hoc anteblium ·i· pignus ... Blateu ... Barrus. ri. ·i· elephans. unde hic barritus. tus. tui. ·i· vox elephantis. hinc etiam dicitur barbitum. ti. cuiusdam organi genus ex ossibus elephantis factum. unde claudianus. tersichore facilem lascivo pollice movit barbiton. et in marciano. Sencio barbito aureaque scheli personare.* Vnde apparet petita esse haec ex Osberni Panormia, id quod etiam excerpta ex reliquis litteris confirmant.

De codicibus Parisinis nov. acquis. 1296 et 1297 saec. XII paucis praef. IV p. XXXVIII dixi. Quorum materia triplex est: pro fundamento sunt glossae Abavus plenioris memoriae; his accedunt multa nomina sacra quae ad Hieronymum revocanda sunt; tertia pars ex libro quodam eiusdem generis provenit cuius est glossarium Parisinum nov. acquis. 1298, quode praef. V p. XI disputavimus. Is enim codex altero loco inter alia glossas haud indoctas habet scriptorum locis notabiles, easdem quae etiam in magnum librum glossarum aditum invenerunt, ex quibus pars aliqua etiam in glossaria librorum 1296. 1297 intravit. Exempla affero ex littera N haec: *Nais navis sive genus erbe. vīrg tibi candida nais pallentes violas*; *Nec tam versos equos tiria sol iungit ab urbe* e. q. s.; *Nemeus mons in quo erculis leonem occidit. urg. et vastum Nemee sub sepe leonem.* Quod cum ita sit, me merito libros 1296 et 1297 in corpore condendo neglexisse existimo. Nam quibus haec recensio glossarum abavus abundat glossis, easdem aut ex libro glossarum aut ex eodem et cod. 1298 novimus (scil. a litteris F ad T).

Codicis Pragensis XIII F II involucrum fragmentum continere glossarii decimi saeculi vel undecimi ineuntis visigothicis litteris, non langobardicis (ut Truhlář, catalog. codd. manuscr. lat. II p. 2352 dicit) exaratum continere mihi P. Lehmann benigne indicavit. Idem mihi unam paginam phototypice depictam transmisit eiusdemque paginae apographon scripsitque rectissime pertinere fragmentum ad glossarium cum Paris. nov. acquisit. 1298 ex Hispania oriundo affinitate coniunctum.

Quod ita se habere huic seriei credes: *obtatum desideratum, obtatius obtabilius, obtata arena non quod affrica venire obtaverunt sed quia navigantes quacumque terra videre exobtant, obtare eligere, obtare concludere quoniam nove urbes tauro et vacce a consule sulco circumduci solent* e. q. s., quibuscum commode conferentur V p. 124, 32 sqq. In libro glossarum glossae tertiae nota adscripta est *uirgili*, quinta in serie glossarum *de gl.* notae submissarum traditur.

Codex Romanus Vaticanus lat. 6925 saeculi X a folio 1—56 glossarium continet sic incipiens: *A prima littera eo quod nascentibus vocem apperiat et in omnibus litteris primatum teneat. Abba pater. Abavus tritavi id avus. Abacta immolata. Abiget minat expellit repellit. Abactus ab actu remotus. Abantes mortui quod greci elibantes appellant. Aptant distant. Abissus profundum* ad *Venerandum honorandum. Venerat adorat honorat precat colit.* Sequitur in duodem foliis glossarium ab *Aptet vos* incipiens (de quo cf. p. 304), quod exit in *Zizania lolium. Zarda abalienatus.* Excipiunt Pseudodositheana: cf. III p. XXVIII.

Codex Romanus bibliothecae Vallicellianae B 63 miscellaneus inter alia has glossas manu saeculi X/XI scriptas habet: *Nuriocius cuius uxor adultera est et ipse tacet. Nundinatio mercatio . . . Pęlica concubina . . . Egones sacerdotes rusticorum . . . Napta ossa olivarum. Pullictores pullum nigrum est et qui mortuos sepeliunt. Pollicendus promittendus.* Post aliquot folia iterum glossae exstant, e quibus has excerpo: *Ludibrium ·i· dilexionem. Privinna ·i· filiastra. Lustrationes ·i· circumdationes* et infra *Confuscat ·i· commaculat. Victricus ·i· patrinius. Sobrineue ·i· consobrine.*

E Romanis codicibus notae sunt glossae Petronianae, h. e. 'colluvies glossarum e Gellii, Isidori, Hieronymi ecclesiasticorum scriptorum lectione nata' (cf. Loewe Prodr. p. 164, Buecheler Petronii praef. p. XII), in quibus excitantur Plautus, Vergilius, Martialis, Cicero; editae sunt a Carolo Beck Cantabrigiae (Americae) a. 1860 (cf. Reifferscheid Mus. Rhen. t. XVI a. 1861 p. 1 sqq.), et iterum e cod. Vaticano Vrbin. 452 in Appendice operum Maianorum (a. 1871) p. 68—70; etiam in codice Vaticano 1493 saec. XV in fol. 5 sqq. exstant teste Keilio Mus. Rhen. V p. 318. Ex codice Vrbinate editae sunt a Maio reliquiae quaedam sub titulo 'Imogontes de vetustis vocabulis': sed ordine a Maio mutato et glossis coniectura mutatis. Huic farragini, ne in mari aquam quaerere videar, maiorem operam navare nolui; pleraque aliunde nota; alia recentioris aetatis sunt.

Codex Sangallensis 908 (cf. Scherreri catal. p. 324; praef. IV p. XXVI) praeter glossas Avectus et Ab absens quattuor glossaria continet quae non edidimus. Quorum primum glossarii nescio cuius partem

posteriorem ab *Inpendit sive vindicta* usque ad *Zuna cingulum* exhibet: ex quo haec ut notabiliora excerpsisse satis habeo:

Inquies inquietus. Inurium iniuria vel contra nos vel contra alios infertur. Incelebrabile desertum. Luetis solvetis. Levibus limpidis. Labitur lubricat. Lux alma lux candida. Limine primo primo usteo. Lactus umerum valedas sapulas (= scapulas). Limbo limbello. Laurentini itali. Locum opacum umbrosum nemus. Lampade hic luce. Levo limite sinistro oste. Levi susuro levi mormore. Liquidi distillaticii. Licit hic possibile est. Lues mortalitas. Lymbus navis piratica. Manet fixum est. Mirabili visu dolenda visione. Massilique ruunt asiani festinant. Moliri hic conari. Mammae tittinae. Martem indomitum pugnam inplicabile invinctam. Mala gramina veninatis herbis. Miserabile vulgus dolendum populum. Mandarat hic conmendaverat. Malis hic maxillis. Maea figite dicta mens (?) commendate sermonis. Momentaneorum ad recordationem meam. Metam hic iaculum. Monte sub alto monte excelso. Moenia regis regiam civitatem. Mille rapit populum multa agmina ducit. Mutatu sidere mutatu anno. Marsus hic umbrus. Nemus silva. Nullo discrimine nulla separationū. Nymbo hic nubis cum tempestam. Non adeo status fui non adeo versatus aut instructus. Naca fullo. Ninguidus candidus. Nectando cilia movendo. Oppetire mori. Ora reserante dentes ostentem. Ope barbarica facultates vel vires gentium. Occidit hic prode est. Profundum altum. Patrum hic parentum. Pascit hic confortat. Pentes eleam regina ipsarum. Precipitat hic claudit. Pelago remenso mare navigato. Picturatas aureas vestes. Pingui solo infusam terram. Potens armis validus pugnatur. Portus averni ingressus infernorum. Pectene hic plectro. Pulcerrima prolę gratissima posteritas. Philippi genus hominum (nummum). Quippe utique. Quorum moenia quorum civitate. Qua facere quomodo facere. Quae fidutiam apto que auctoritas capto. Quam te violem quam te perdam. Que fixa reliquid que constituta sive collocanta reliquid. Quid diversus ab eis qua re alia parte vadis. Qui orion quod etiam rustici falcem vocant quiorion dicitur. Quo tendere pergant ubi festinant ambulare. Quam vellent quantum vellent. Quod simea nomiñ s̄ magna quod si mea potestas grandis non est. Quid causas petis ex alto quid mede longe circa mea. Qui incolas scolasticus habet. Quod superest quod restat. Rippi uolenti. Remis insurgimus remis arrepuimus. Retexit orbem dico eperuit mundum. Romanas arces hic pontentiam sive regnum. Siculae siculiensis. Sine numine sine potestate Stagna optata revisunt aquas desidera vident. Stupefactus nomine praessit tantam vaticinationem rei praedictae stupuit. Tellurus terrae Tu ne cede mali noli terreri stimulis. Tenebrosa palus stigia hoc est infernalis. Vnius ob noxiam unius culpam. Vna salus una sanitas. Vbi sistere ditur ubi requies permittatur. Vela cadunt vela derumpunt. Vrbis opus civitatis instar. Vestigia fixit gressus conteñ. Vdae hic salivosae. Velle ludere vellem scribere.

Fundamentum glossarii idem est ex quo in glossas affatim et Amplonianum secundum multa traducta sunt. Omnino longe plurimae glossae eaedem vel similes in Thesauro glossarum inveniuntur. Adiectae sunt multae glossae Vergilianae, quarum haud paucas excerpsi.

Has glossas quod excipit glossariolum ab *Amoenum fertile iocundum* incipiens (in pag. 137—174), eiusdem initium ex codice Pragensi

(bibl. Lobkowitzianae) saec. IX enotavit Steinmeyer IV p. 603 cum mira hac inscriptione: INCIPIT GLOSE SENECE. Ex eis glossis quas attulit Steinmeyer apparet Sangallenses glossas exstare in Pragensi libro, sed auctas aliquot aliunde notis. Simile glossarium exhibet codex Romanus bibliothecae Vallicellianae C 37 saec. X in fol. 165—173, quod sic incipit: *Amoenum fertile iocundum. Altaria are. Adeptus assecutus. Adipiscitur adsequitur invenitur. Ambiguum dubium incertum instabile* et sic explicit: *Vltro sponte. Ziferi venti. Zelum invidia Zona cyngulum.* Ex his et aliis quae Loewe reliquit excerptis multa cum codice Sangallensi conspirare vidi, sed etiam alia inesse quae in Sangallensi desunt. Eiusdem glossarii fragmentum continet codex Vindobonensis 89 (de quo cf. IV p. XXXVII) decimo loco (in fol. 191) sic inscriptum: *Incipiunt glosae iuxta Vergilium.* Prima glossa est: *Amoenum fertile iocundum*, et haec ultima: *Boreas ventus* (prima glossa litterae B). Ab eadem glossa a qua Sangallensis etiam codicis Bernensis 258 incipit glossarium undecimum, de quo Loewe Prodr. p. 150 paucis egit; sed praeter primam glossam non ita multa inveni quae conferri possint. Non magis huc spectat codicis Bernensis 224 glossariolum, cuius initium est: *Amoenum iocundum.* Glossas Sangallenses cum Thesauro glossarum emendatarum contuli: nota sunt tantum non omnia. Haud paucae glossae magis minusve conspirant cum glossario quod modo tractavi (*Inpendit*): velut quae in illo sunt: *Pauculus paucissimus. Penetrat intrat inrumpit,* pro eis glossae '*Amoenum*' habent: *Penetrat paucissimos.* Ex his apparet glossas '*Inpendit*' glossis '*Amoenum*' nonnulla dedisse. Omnino has glossas, quarum multae ad Vergilium spectant, ut ederem a me impetrare non potui.

Tertium eiusdem codicis glossarium ab *Arbiter iudex* incipit (p. 228—280). Apographon quod penes me est perlustrans non inveni quod ad Thesaurum glossarum confidenter adderem. Superest '*expositio sermonum scolasticorum*' p. 175—228, quae ab *Adipiscitur obtinet* initium capit. Glossam Scaligeri quae est *Affostrata reditus* talis est in hoc glossario: *Asustrata reditus.* Quos sermones scholasticos scriptor dicat nescio: at constare opinor novi nihil hinc peti posse, quippe quae in multis velut cum glossis 'affatim' conveniant. Itaque ne has quidem reliquias Corpori glossarum inseruimus.

Fragmentum glossarii Zwiccaviensis inveni in apographo a Loewio relicto ad litteram P spectans. Glossae fere omnes in libro glossarum leguntur. Rariora mihi non occurrerunt.

ADDENDA

A. DE LINDSAYI EIVSQVE DISCIPVLORVM STVDIIS GLOSSOGRAPHICIS

SCRIPSIT PAVLUS WESSNER

Iam dudum ea, quae Corporis glossariorum auctor hoc volumine contineri voluerat, typothetae operam exspectabant, cum Lindsay editionis suae Festinae volumini alteri materiem collecturus ad hanc litterarum regionem accessit et solito vigore per sentes viam ad eum quem spectabat finem sibi aperire aggressus est, cuius laboris socios complures adscivit discipulos. Ita factum est, ut his quinque vel sex annis haud exiguus in lucem prodiret numerus dissertationum et libellorum, quibus ut commode uti potuerimus, auctorum liberalitati debemus. Sed cum Goetz ab altera parte quae ipse dudum composuerat retractare nollet, ab altera non iustum existimaret ea quae doctorum Britannorum studiis indagata atque explorata erant, hoc loco praetermittere, precibus me adiit, ut hanc laboris partem susciperem.[1]) Neque petenti deesse volui, quamquam haud leve onus me sublaturum minime ignorabam: paene ingens enim materia admodum brevi tempore muneris officiis insuper valde coartato ad eum finem iterum atque iterum pertractanda erat, ut non modo quid viri illi docti sentirent referre, sed etiam data occasione quid ipse existimarem adicere possem. Rem autem ita instituere optimum visum est, ut primo capite De glossariis ipsis agerem, alteri et tertio quaestiones quasdam De glossis Festinis et De glossis Vergilianis reservarem, quas in primo, in quantum fieri poterat, intactas reliqui, quarto denique capitulo De glossis Iuvenalianis quae enucleavisse mihi videbar comprehenderem. Permagnam observationum copiam cum penitus exhaurire neque vellem neque possem, summam rerum in universum exhibere satis habui, neque tamen quae ad singulas glossas pertinent, si alicuius momenti esse visa sunt, vel commemorare vel accuratius tractare recusavi. Iterationes mihi non minus molestas quam lectori quod non prorsus evitare potui, ipse vehementer doleo, sed illas mihi condonaturos spero eos, qui, quotiens a Lindsayio eadem res tractata et retractata sit, ipsi cognoverint. Ne longos singularum dissertationum titulos iterum atque iterum afferre cogerer, eos sub uno conspectu hic proponere statui, adiectis compendiis, quibus deinceps uti placuit. P. Wessner.

1) Cf. p. 281 cum adnotatione.

W. M. Lindsay, The shorter glosses of Placidus. Journal of Philology, XXXIV (1917) 255—266. [Plac.]
— The 'Abolita' glossary (Vat. lat. 3321), ibid. 267-282 [Abol.]
— The St. Gall glossary. American Journal of Philology XXXVIII (1917) 349—369. [St. Gall.]
— The Abstrusa glossary and the Liber glossarum. The Classical Quarterly XI (1917) 119—131. [Abstr.]
— The Affatim glossary and others. ibid. 185—200. [Aff.]
— Cada nom. plur. ibid. XII (1918) 20.
— A spurious mime fragment. ibid. 21.
— Mehercle and Herc(u)lus. ibid. 58.
— Adnotatiunculae Plautinae. ibid. XIV (1920) 49—52.
— 'Glossae collectae' in Vat. lat. 1469 (Catomum. Naumachia). ibid. XV (1921) 38—40. [Gl. coll.]
— Etyma latina. The Classical Review XXXI (1917) 128—130. [Et. lat.]
— The Festus glosses in a Monte Cassino Ms (No. 90). ibid. 130—132. [Fest. gl.]
— The Philoxenus glossary. ibid. 158—163. [Phil.]
— The Cyrillus glossary and others. ibid. 188—193. [Cyr.]
— A phrase-book of St. Columban (?) ibid. XXXII (1918) 31—32. [Columb.]
— Alapari. ibid. XXXIV (1920) 167
— Bird names in Latin glossaries. Classical Philology XIII (1918) 1—22. [Bird. n.]
— The Corpus, Épinal, Erfurt and Leyden glossaries. Publications of the Philological Society, VIII. Oxford (1921). [Corp.Ep.]
— The Corpus glossary edited, Cambridge 1921. [Corp. ed.]
— and H. J. Thomson, Ancient lore in medieval Latin glossaries. St. Andrews University Publications XIII, Oxford 1921. [Anc. l.]
H. J. Thomson, A new supplement to the Berne schrolia on Virgil. Journal of Philology XXXV (1918) 257—286. [Bern.sch.]
— Notes on the Abstrusa glossary and the Liber glossarum. The Classical Quarterly XIV (1920) 87—91. [Notes]
— Anaphus. The Classical Review XXXIV (1920) 32-33.
R. Weir, Virgil glosses in the Abolita glossary. The Classical Quarterly XII (1919) 22—28. [Virg. gl.]
— Apuleius glosses in the Abolita glossary. ibid. XV (1921) 41—43. [Apul.]
— Addendum on Apuleius glosses in the 'Abolita' glossary. ibid. 107. [Apul.add.]
N. F. G Dall, A seventh-century English edition of Virgil. ibid. XII (1918) 171—178.
H. Bradley, Remarks on the Corpus glossary. ibid. XIII (1919) 89—108.
F. C. Burkitt, Quaedam super Abstrusa. Cambridge University Reporter 21. Dec 1920.
J. F. Mountford, Some quotations in the Liber glossarum. The Classical Quarterly XV (1921) 192—194. [Lib. gl.]
— A new fragment of Latin comedy? ibid. XVI (1922) 104. [Com. fr.]

M. L. W. Laistner, Two notes from the Liber glossarum. ibid. 105.
Fr. Rees, A Caper quotation in the Liber glossarum. ibid. 106.
R. J. Shakle, Note on Abstrusa glossary. ibid. XIV (1920) 186.
E. A. Loew, The oldest exstant Ms. of the combined Abstr. and Abol. glossaries. ibid. XV (1921) 189—192.

I. DE GLOSSARIIS

Glossas breviores Lindsay (Plac.) cum a Placido grammatico abiudicet, Pseudoplacidi vocare praefert. Eas omnes ex antiquiorum auctorum velut Lucili, Enni, Naevi, Livi Andronici libris collectas esse sibi persuasit Karlii divisionem, quam Goetz supra (p. 62 sq.) rettulit, argumentis non satis firmatam esse ratus. Atque ut concedendum est duplicitatem illam quarundam glossarum sic posse explicari, ut sive ex variis auctoribus sive ex diversis eiusdem auctoris locis glossemata compilator contulerit, ita negari non potest non aequalem esse omnium glossarum naturam, praesertim lemmatum formam si respicis; itaque si quis contendat, id quod Karl fecit approbante quodammodo Goetzio, praeter scholia marginalia etiam glossematum quandam collectionem adhibitam esse ab eo, qui hoc de quo agitur glossarium confecit, quomodo is probe redargui possit, equidem non video. Sed ut res se habet, haec in medio relinquamus necesse est. Glossas Pseudoplacideas primitus non ad alphabeti ordinem dispositas fuisse L. cum aliis de causis suspicatur, tum inde quod glossa *Caculabor* secundum corruptam formam *Iaculabor* inter glossas ab *I* littera incipientes inserta est; idem num glossam V 21, 11 recte huc traxerit, dubitaverim, cum ex Libro glossarum (66, 15 et 64, 21) appareat duas subesse glossas ab eadem *E* littera incipientes, quae in archetypo librorum Romanorum corruptae in unam glossam coaluerunt, sicut glossae 55, 32 et 54, 17 in illo archetypo male contractae sunt alterius lemmate omisso (14, 36). Similem corruptelam passus est ille codex, a quo Liber glossarum pendet, quippe qui 70, 24 post glossam *Frugem fecisti* exhibeat verba *fat* (pro *fac*) *interdum*, quae pertinent ad *Facesse*, cf. 22, 31 et 32. Hic iam commemoretur Lindsayi coniectura, qua ultima glossae *Favisae* (22, 1 = 68, 6) verba *hominum a fruge danda* ad eandem glossam *Frugem fecisti* referenda esse censet; quamquam quod pro *hominum* scribendum esse putat *hoc minus est* (= *hoc deest*), hoc nescio an artificiosius excogitatum sit: maluerim glossam sic restituere '*Frugem fecisti*' *pro bene fecisti* (*probe f.* libri Romani), *unde quidem* '*frugi homo*', *non a fruge danda*; cf. GL. I 105, 2. Ceterum etiam quae sequitur glossa integra non est; nam post *interdum* desideratur altera vocis *Facesse* significatio, qua de causa in Thes. gloss. (ubi addas 70, 24) suppletum est *recede* (cf. Placidi gl. *Fa-*

cessite et Nonium 306). Recte praeterea monuit L. glossae *Forco* (22, 2) in libris Romanis male agglutinatam esse alteram, cuius lemma intercidit; quae sic videtur esse restituenda ⟨*Forpex*⟩ *dicta ab eo quod ferienda petat* (in Libro gloss. 70, 7 haec omittuntur; ibidem recte distinctae sunt glossae *Formastro* et *Formum* 70, 10 et 12, quae in libr. Rom. unam efficiunt 22, 3). Cf. etiam glossam *Gnarigationum* (24, 23 = 72, 6 = 106, 29), cui adhaeret alia, cuius lemma *Grallis* iam in communi omnium librorum archetypo omissum erat; Romanis libris propria est coniunctio glossarum *Latro* et *Livitus* (30, 7, ubi iterum alterius lemma excidit), quae distinctae leguntur in Libro gl. 80, 10 et 81, 2 (in Parisino prior sola exstat 111, 45). Denique commemorandum est glossae *Lupam* (29, 38 = 82, 8 = 114, 30) in illo archetypo, ad quem et Lib. gl. et cod. Paris. redeunt, adnexam esse eam quae in libris Romanis sequitur glossam *Lepidula festiva*, ita quidem, ut *-nar dicitur* antecedentis glossae desideretur: quod L. bene ad talem archetypi formam refert

Lupam meretricem a rapacitate vel a
libidine huius animalis, unde et lupa
Lepidula festiva. [*nar dicitur*

Sed haec hactenus.[1])

Quod ad glossas ampliores attinet, L. Karlio concedit duo genera esse distinguenda, alterum ad 'bonam locutionem' et orthographiam pertinens, verborum interpretationi serviens alterum, sed ne hic quidem de diversis fontibus cogitare necessarium esse: suspicatur enim revera esse 'glossas acceptas ex auditorio Placidi grammatici' et acceptas quidem a discipulo illius, qui quae magister variis de rebus docuisset, litteris mandasset et in lexici formam redegisset. Cui coniecturae ut aliquot glossae favere videntur (e. g. *Lamenta, Heliton, Regionem intra degit*), ita aliae plane refragantur, quae quin ex commentariis corrasae sint, dubitari vix

1) Lindsay, Et. lat. 128, uberius tractat glossas *Bovinator* V 8, 11 = 50, 33 et *Bovinari* V 8, 23 = 50, 32, quas ad Verrium Flaccum redire suspicatur, qui haec fere exhibuisse illi videtur: *Bovinari conviciari, ut ***, unde bovinatur conviciator apud Lucilium 'si tricosus bovinatorque ore improbus duro.' nam bovinares dicebantur qui clamorem faciebant* (cf. Ps.-Philox. II 31, 13 ex eodem fonte hauriens). Prioris autem glossae pristina forma ad Lucili versum in margine adscripta viro d. haec fuisse videtur: *Tricosus inconstans.* Ad eundem versum Lucili refert L. glossam Abstrusa IV 26, 18 in aliis glossariis saepe repetitam *Bovinatores inconstantes*, quam ex Donati commento Vergiliano fluxisse suspicatur. At praeterquam quod et in Abstrusa et apud Ps.-Philoxenum numero pluralli lemma exhibetur, satis mirum esset, si Donatus et Ps.-Placidus in eundem errorem non minus mirum incidissent. Ceterum de commento Vergiliano glossarii Abstrusa fonte magnopere dubito (v. infra). Cf. etiam Goetz, Fragm. Plaut. 193; Ind. schol. Ien. 1893 p. V; Dammann, De Festo Ps.-Philox. auct. 47.

potest; cf. inprimis glossam *Indiges* (27, 19 = 76, 24), ubi verbis *ut supra dictum est* ad scholion antecedens relegamur; adde gl. *Eo ingenio omnia generans*: *ingenium pro natura posuit* (19, 18 = 64, 24), quae aucta est glossemate *ea natura* inter *ingenio* et *omnia* inserto: simili compilatoris neglegentiae deberi videtur illud *autem* in gl. *Amplexus* (6, 2), *Chiatum* (11, 2), *Intendere* (27, 2), quae vocula deleta est in Libro gl. (47, 8; 54, 19; 78, 20). Quae cum ita sint, ad Karlii sententiam, quam p. 100 sqq. exposuit, accedere non dubito.[1])

Quod in extremis litteris (R sqq.) breviorum glossarum ordines desiderantur, hoc Goetz (p. 61) ita explicari posse dicit, ut illos postea abiectos esse sumamus. De hac re haud scio an praeferenda sit Lindsayi sententia, qui compilatorem nescio quem, cum glossas breviores, quas in eodem codice, in quo 'Placidi' glossarium scriptum erat, invenisset ad alphabeti ordinem nondum redactas, usque ad P litteram distribuisset et inseruisset, taedio laboris molesti fessum negotio suo destitisse coniecit. Ceterum quae de fatis glossarii vel potius glossariorum profert L., haec adeo congruunt cum eis quae Goetz supra p. 59 sqq., p. 70 sq. exposuit, ut hic nihil fere videatur esse addendum. Hoc tantum monere liceat (ad p. 70), post ea quae ipse in Hermae vol. LII (1917) p. 225 sqq. (cf. etiam p. 263 sqq.) de Isidoro et Placido disputavi, iam minus confidenter de Suetonio Placidi auctore cogitari posse quam olim fecerunt Kettner, Becker, Reifferscheid, alii; ibidem ostendisse mihi videor exemplar illud glossarii, quod Isidoro praesto erat, hic illic plenius fuisse codicibus nostris, cum his vero coniunctum communibus quibusdam corruptelis (cf. glossam Caltulum, de qua v. l. c. p. 264 et Lindsay Plac. p. 255).

Glossariorum 'Abstrusa' et 'Abolita' (sic Lindsay appellat eam partem, de qua Goetz supra § 34 disputavit) contaminatorum testes habemus codices Vaticanum 3321 et Cassinensem 439, quorum illum Lindsay octavo saeculo (ineunti) adscribit (sicut fecerunt Liebaert et Loew; cf. etiam Loew, 'Class. Quart.' XV 189 sqq.), hunc decimo; Vaticanum praeterea in media Italiae parte scriptum esse suspicatus est (cf. 'Class. Quart.' X 115). Communem horum librorum archetypum ex Hispania in Italiam perlatum esse palaeographicis rationibus efficitur; huc optime quadrat mira illa codicis Matritensis inscriptio, cuius Goetz supra (p. 125 adn.) mentionem fecit. Quae inscriptio sine dubio repetita est ex vetusto exemplari s. VII, unde hausit qui s. XI Matritense glossarium exaravit cum glossis Vaticanis arto vinculo coniunctum (cf. vol. IV p. IX). Non igitur veri simile est ab eo demum, qui Vaticani

1) Glossam V 4, 11 = 46, 3 *Alapari* ab ipso Placido ex *alapa* fictam non ad Plauti Truc. 928 referendam esse contendit L. Class. Rev. XXXIV 167.

glossarium condidit, duo illa glossaria esse contaminata (sic Goetz p. 125), quae sententia nescio an vel eo refellatur, quod Cassinensis, quippe qui saepius pleniorem fontis memoriam servaverit, minime a Vaticano ipso pendet. Ab eiusdem archetypi 'fratre gemello' Lindsayio (cf. 'Abstr.' p. 121) pendere videntur illi codices, qui glossas Abstrusa solas exhibent; concludit hoc inde, quod glossae *Fugitivus interdum qui fugit* (*interdum* om. Vat., Cass., Paris. 7691) altera pars, quae est *Fugitivarius assidue*, in omnibus his libris desideratur. Sane dubitari non potest, quin codices glossarii Abstrusa propius accedant ad Cassinensis memoriam (in Vaticano enim multae glossae omissae, aliae novis interpretamentis auctae, haud paucae librarii mendis inquinatae); redeunt igitur ad exemplar, in quo aut duo illa glossaria nondum contaminata aut singuli glossarum ordines signis quibusdam distincti erant. Quamquam non ubique codices illi videntur certi duces esse glossas Abolita et Abstrusa secernere volentibus; nam quod haec vel illa glossa, quam Vatic. et Cassin. in ordinibus glossarum Abstr. exhibent, in illis desideratur, hinc iam non sequitur eam a glossario Abstr. esse abiudicandam vel potius glossario Abol. adsignandam. Aliter res se habet, sicubi in ordine glossarum Abol. exstant quae etiam in codicibus glossarii Abstr. reperiuntur. Saepenumero in his interpretamenta desiderantur, quae sunt in Vatic. et Cass.; tum dubius haeres, utrum illa in codicibus gl. Abstrusa omissa an in Vatic. et Cass. sive potius in communi horum archetypo addita esse tibi persuadeas. Ingentem esse earum glossarum numerum, quae in Vatic. et Cass. bis vel ter repetitae inveniantur, res est notissima; saepissime autem accidit, ut eadem glossa et in Abolita et in Abstrusa exhiberetur. Hanc rem satis miram L. ita explicare conatur, ut corruptarum glossarum emendatas formas in margine olim adscriptas a librario, qui diversam glossarum originem non curabat, ad arbitrium insertas esse sumat. Ac re vera saepenumero talis est illarum glossarum condicio, ut altero loco exstet forma corrupta, altero emendata; quarum illa haud raro vel in Cassinensi vel in codicibus glossarii Abstrusa vel in omnibus his libris omissa est. Itaque vera glossae sedes ibi esset, ubi corrupta forma legitur; rem interdum sic se habere non desunt quae commendent: velut IV 140, 125 habemus in Abol. *Pernicibus celerissimis vel locibus*, 141, 23 eandem glossam, sed *celerissimis velocibus* (*seu veloc.* Vatic.); pertinet autem ad Verg. Aen. IV 180, et cum 140, 26 et 27 subsequantur glossae ad Aen. IV 441 et VI 490, omnis dubitatio exclusa videtur; cf. 140, 16 *Perrexit id fraude induxit* (= 140, 32, nisi quod hic *fraudem* in Abol. (ad Ter. Phorm. 68 spectans; praecedit 140, 13 gl. *Perplexe* ad Eun. 817; sequitur *Pervium* ad Ad. 578) et 139, 17 *Pellexit in fr. ind.* in Abstr.; 68, 51—69, 5 in Abstr. series exstat gl. Ver-

gil., quarum ultima (ad Aen. IV 616) est *Extorrens quod supra* (scil. *Exul* = 69, 4, ad Aen III 11); in Abol. 67, 42 legitur glossa emendata *Extoris quae supra*, sed hic non habet quo spectet. Non obstare videtur, quod glossae duplices saepe magno intervallo distant, velut 185, 33 *Togax furunculus* (Abol.) et 181, 10 *Tagax f.* (Abstr.); scilicet emendationes iam in protarchetypi marginibus adscriptae post, cum glossaria transcriberentur, secundum alphabeti rationem interpositae sunt. Ad eundem librum vetustiorem nescio an recte referatur aliud glossarum genus, ubi altero loco novum interpretamentum additum est; fieri enim potuit, ut corrector ea, quae librarius seu desidia seu neglegentia inductus omiserat, ex ipso fonte integra glossa repetita suppleret; quamquam rem satis incertam esse non ignoro. Glossas propter orthographiae diversitatem repetitas transire liceat; id unum monuerim non semper facile esse ad diiudicandum, quem ad ordinem pertineat glossa duplex (cf. 7, 41 *Adfauilis delectauilis* Abstr. et 12, 54 *Aff. d.* Abol.; spectare videtur ad Ter. Ad. 896) Repetitiones huiusmodi tum demum institutas esse, cum iam duo illa glossaria contaminata essent, indicare videtur series glossarum a *K* littera incipiens (102, 55—103, 22), cui insunt aliquot glossae congruentes cum glossis Abolita (102, 55 = 28, 38 [prima est glossa seriei Vergilianae: 28, 38—46]; 56 = 27, 55; 103, 5 = 31, 18; 7 = 27, 47; 9 = 28, 32; 12 = 31, 28; 15 cf. 28, 6; 19 = 31, 27). Restat numerus glossarum non ita magnus, quae prorsus eodem modo in Abstrusa atque in Abolita (*adposui) exhibentur: 4, 9* = 4, 48; 7, 49 = 10, 39*; 14, 6 = 15, 32*; 14, 13 = 15, 29*; 15, 44 = 16, 20*; 25, 9* = 26, 30; 29, 19 = 31, 19*; 49, 42 = 53, 31*; 52, 5 = 53, 3*; 68, 49* = 69, 20; 90, 26 = 100, 5*; 94, 36* = 95, 17; 99, 23 = 100, 12*; 127, 5 = 127, 21*; 128, 29* (Ter. Hec. 302) = 130, 5; 128, 31* (Ter. Heaut. 294) = 130, 4; 135, 33* = 137, 18; 140, 29* = 140, 50; 189, 28 = 191, 22 etc. Haec duplicitas utrum casui tribuenda an cum Goetzio (p. 123) ex simili utriusque glossarii fundamento repetenda sit, aegre diiudices. Quamquam Goetz inprimis cogitat de glossis Vergilianis et Terentianis, quas utrumque glossarium exhibet, quae tamen, trivialia si excipis, non eaedem sunt in Abolita atque in Abstrusa. Nam huius glossarii quae certe ad Terentium referendae sunt, eae in illo fere omnes desiderantur; rursus Abolita alias habet atque Abstrusa. Similiter res se habet in glossis Vergilianis. Quae quantum ad Abolita pertinent, artiore vinculo coniuncta esse cum eis, quas Goetz vol. IV p. 427 sqq. edidit, recte contendit L.; non enim solum eiusdem sunt prosapiae atque glossae codicis Vaticani (cf. supra p. 135), hoc est ex libro Vergiliano glossis illustrato collectae, sed haud parva pars plane cum illis congruit. Exempli gratia haec affero ex littera H: 444, 13 = 85, 8; 15 = 86, 2; 17 = 85, 4; 33 = 86, 46; 34 = 86, 49;

39 = 86, 44; 41 = 86, 51; **445**, 5 = 87, 54; 6 = 88, 9; 9 = 87, 55; 10 = 87, 49; 15 = 87, 48, et ex littera L: **449**, 5 = 103, 39; 6 = 106, 6; 8 = 104, 17; 12 = 104, 38; 34 = 106, 38; 37 = 107, 29; 39 = 106, 34; 42 = 106, 37; **450**, 1 = 106, 30; 2 = 106, 32; 5 = 107, 41; 7 = 106, 36; 18 = 109, 30; 24 = 110, 31; 28 = 110, 30; 34 = 111, 42 (?); 35 = 111, 41; **37** = 111, 14; 38 = 111, 33; 39 = 111, 39; **451**, 5 = 111, 20; 6 = 110, 12 (?); 7 = 108, 23, et ex initio litterae M: **451**, 23 = 114, 35; 26 = 115, 3; 29 = 113, 28; 30 = 114, 16; 36 = 114, 13; 38 = 113, 23a; 39 = 114, 15; 41 = 113, 27; 42 = 114, 24. Hic illic in altero glossario novum interpretamentum accessisse quod in altero desit, non est quod miremur. Non eadem exstat necessitudo inter glossarium Vergilianum et glossarii Abstrusa glossas Vergilianas, etsi non omnino desunt quae consentiant; saepius autem verba poetae aliter hic, aliter illic explicantur: cf. **427**, 27 : 5, 45; **428**, 2 : 22, 2; 3 : 8, 24; 4 : 8, 35; 48 : 12, 46; **441**, 44 : 72, 25; **443**, 30 : 79, 29; 24 : 79, 42; **447**, 2 : 95, 41; 5 : 95, 18; **449**, 21 : 105, 9; 43 : 106, 22; **450**, 42 : 111, 10 etc. Talem diversitatem in glossis Abolita rarius invenies, velut **443**, 29 : 79, 55; **446**, 29 : 89, 59; 41 : 90, 10; **458**, 18 : 113, 25. Glossas Vergilianas in Abolita saepe continua serie exhiberi iam Gnueg (v. supra p. 118) perspexit, quem secutus Goetz exempla talium ordinum proposuit; hoc latuit Weirium, qui cum eandem rem uberius tractaret, Lindsayi usus observatione, qui ordinem versuum Vergilianorum in his glossis fere retineri animadvertit, non paucas glossas ad suum locum revocavit et nonnullas feliciter emendavit, quamquam in eis quae protulit non desunt, de quibus tuo iure dubites.

Quod ad reliquos glossarii Abolita fontes attinet, Goetz et Lindsay ad eundem fere finem pervenerunt. De glossis, quas ad Festum ipsum hic referendas esse sibi persuasit, ille cautius quodam cum Festo vinculo conecti posse contendit (p. 122), infra disputandum erit; in Apuleianis quoque glossis interdum continuas series breviculas agnosci posse post Lindsayium demonstravit Weir; en illas: **29**, 33 = Met. 7, 12 vel 8, 13; 34 = ib. 9, 16; 35 = ib. 16; **34**, 34 = ib. 2, 9; 35 = ib. 3, 2; 36 = Socr. 8; 37 = Apol. 33; **40**, 14 = Met. 1, 24 (vel 5, 8); 15 = ib. 1, 24 (vel 5, 31); 16 = ib. 9, 2; 17 = Apol. 49 vel 50; continuatur haec series post glossas Abstrusa: **40**, 44 = Apol. 20; 45 = Flor. 17; **41**, 5 = Met. 2, 10 (fort. etiam 41, 1—4 ad Apuleium referendae sunt); **69**, 24 = Met. 1, 16; 25 = ib. 9, 32; 28 = Flor. 9; 29 = ib.; **86**, 6 = Apol. 13; 7 = ib. 57 vel 59; 8 = ib. 61; 9 = Met. 1, b; 10^a (*Aerugo* ⟨****⟩) = ib. 1, 21; 10^b (⟨*Hirudo*⟩ *sanguisuga*) = ib. 6, 26 (?); **90**, 5 = ib. 5, 28; 6 = ib. 9, 28; 7 = ib. 9, 37; 46 = ib. 5, 17; 47 = ib. 7, 22; 48 = Mund. 27; 49 = Apol. 53 vel Socr. 16; 50 = Dogm. Plat. 1, 8; 53 = Socr. 4;

54 = Flor. 2, 16; **91**, 54 = Apol. 4; 55 = ib. 66; **94**, 5 = Met. 6, 23; 6 = ib. 8, 1; 7 = ib. 8, 1; 8 = ib. 8, 14; 9 = ib. 8, 28; **98**, 49 = ib. 8, 9; 50 = Apol. 73; 51 = Socr. 12; **130**, 43 = Met. 2, 20; 44 = ib. 3, 28; 45=ib.; 47=ib.4, 15; **142**, 31=Met.8, 2; 32=ib.8, 22; 33=ib.9, 14; 35=ib. 10, 23; 26 = Apol. 38; 38 = ib. 50; 39 = Mund. 18; 40 = Met. 10, 18; 41 = ib. 10, 25; **184**, 36 = Met. 7, 4 etc.; 37 = ib. 4, 33; 38 = ib. 5, 21; 39 = ib. 5, 25; **187**, 49 = ib. 2, 7; 50 = ib. 4, 7; 51 = ib. 6, 25; accedunt singulae glossae, velut **13**, 37 = Met. 6, 18; **36**, 21 = ib. 8, 28; **50**, 23 = ib. 8, 5 vel 10, 24; **191**, 3 = ib. 9, 29. Alias glossas ad Apulei libros, qui aetatem non tulerunt, redire posse recte monuisse mihi videtur idem v. d. Eucherii glossae, quae leguntur 20, 17—19, num ad glossarium Abolita pertineant, dubitat Lindsay; cum Vaticanus ab 19, 31 (*Apoplanesis*) usque ad 26, 41 (*Brauium*) deficiat, solus testis est codex Cassinensis, quem saepius interpolatoris manum expertum esse satis constat. Mihi vero aliquam dubitationem movet, quod Eucherii glossae etiam ibi leguntur, ubi praeter Vaticanum codices glossarii Abstrusa ad Cassinensem accedunt: v. 18, 21 (cf. 18, 46ª); 19, 9; 19, 14; 24, 9; alia. Alibi, ut 19, 37 vel 138, 20, testimonio librorum Parisinorum caremus. Quae cum ita sint, frustula illa Eucheriana aut ex glossis Abstrusa in ordinem glossarum Abolita delata esse aut in archetypum duo illa glossaria amplectentem inculcata esse sumamus necesse est. De glossis Isidorianis nescio an eodem modo iudicandum sit. Sane quas attulit L. — 115, 12ª = Isid. Or. XIX 24, 19; 117, 12ª = ib. 31, 4; 118, 28ª = ib. 31, 12 (et 13) —, eae in solo Cassinensi reperiuntur; idem valet de 6, 38ª = XVII 9, 20; 26, 9 = XIX 27, 4; 187, 17ª = XIX 24, 8 (cum additamentis); fortasse etiam de 6, 9ª = XVII 9, 25. Sed ne in Vaticano quidem desunt, quae ad Hispalensem possint referri; cf. 171, 49 *Sica genus armorum est simile vidubie*; *hoc vero* (*maxime* add. Cass.) *utuntur qui aput Italos latrocinia exercent* cum Isid. XVIII 6, 8 *Sica . . . gladius brevis, quo maxime utuntur — exercent*; simile additamentum habes 145, 22, ubi etiam codices glossarii Abstrusa accedunt: *Poculum calix vel scifus vel omne vas in quo bibendi est consuetudo* (eadem glossa in Affatim IV 554, 11 exstat). Porro 143, 37 in omnibus libris habemus glossam *Pirites* (= Aff. 553, 45), quae ad verbum cum Or. XVI 4, 4 (ex Augustino De c. d. XXI 5, quocum Plinium NH. XXXVI 137—138 contaminavit episcopus) consentit; eodem referemus similem glossam isdem codicibus traditam 170, 26 *Sebenites* (lege *Sel-*; eadem corruptela [*Seuenites*] in Sang. IV 283, 44) = Or. XVI 4, 6 (ex eodem Augustini loco). Atque aliam esse harum glossarum condicionem, aliam illarum, quas unus Cassinensis exhibet, vix quisquam contenderit: sequi ergo videtur, ut omnes in communi archetypo exstitisse, partem vero a Vaticani librario, qui

alias quoque glossas longiores reiecit[1]), omissas esse existimemus. Quae sententia si probatur, non est cur de glossa IV 194, 4 (Abstr.) dubitemus: aut neglegenter excerpta est ex Isidori Or. XI 1, 116 aut in archetypo nescio quo casu truncata (ultima pars delata est in glossas Abolita 192, 45; aeque corrupta forma legitur in Aff. IV 579, 24 et in Vatic. 1471 V 543, 5).[2]) Addere hic iam liceat nonnullas codicis Sangallensis 912 glossas, quae Isidoro debentur — IV 292, 27 *Trinacria* (= Or. XIV 6, 32); 28 et 29 *Trieris* (= Or. XIX 1, 10): 290, 24 *Transtra* (= Or. XIX 2, 5) —, ex archetypo glossarii Abstrusa-Abolita saltem posse repeti, siquidem ex illo hausisse eum, qui glossarium Sangallense composuit, recte statuit Lindsay. Isidori memoriam affert etiam glossa IV 265, 7 *Oppidanus civis ex oppido, nam oppidaneus latinum non est. apud antiquos oppida dicta sunt quod opem darent,* quibuscum cf. Or. XV 2, 6 *quod opem darent, idcirco oppida nominata dixerunt*; hic Hispalensis explicatio eodem modo addita est, quo in glossis *Sica* et *Poculum*[3])

Hic paululum subsistamus. Qui ea, quae adhuc Lindsayium plerumque secutus exposui, probabilitate quadam non carere concesserit, is opinor mihi assentiatur contendenti nec Vaticanum nec Cassinensem in-

1) Exempla afferre liceat insigniora: 3, 20 (Abstr.) *Asylum* (= Plac. V 4, 18 = 48, 32); 41, 2 (Abol.) *Confarreatis nuptiis* (≃ Serv. auct. ad Georg. I 31); 47, 20 (Abstr.) *Culleus* (primam tantum partem recepit Vatic., integra glossa alibi saepius reperitur, velut in Affatim IV 502, 3, in Sangall. IV 224, 53, in Libro gloss. V 187, 5); 50, 29 (Abol.) *Decrepiti* (hic quoque Vatic. alteram glossae partem omisit, quacum cf. Varro De l. l. VI 5 cum adnot. et Donatus ad Ter. Eun 231[3]); 65, 49 (Abstr.) *Aetna* (eadem res atque in antecedentibus: cf. Aff. IV 508, 35 et A A V 454, 5); 103, 26 (Abstr.) *Labyrinthum* (breviorem glossam exhibent codd. Parisini); 104, 33 (Abstr.) *Lanternae* (cf. gloss. Paris. V 111, 12; Lib. gl. V 215, 18; Isid. Or. XX 10, 7); 109, 1 (Abstr.) *Limbus* (omiserunt etiam codd. Parisini; initium exhibet Lib. gl. V 218, 13, totam glossam A A V 463, 30; laudatur Suetonius); 143, 34 (Abstr.) *Pyra* (= Aff. IV 553, 42; cf. Sangall. IV 272, 44; Abav IV 377, 24; al.); 179, 43 (Abol.) *Subcenturiatus* (cf. Donat. ad Ter. Phorm. 230[1]; Fest. p. 306, 25); 185, 41 (Abol.) *Tongiliatim loqui* (= A A V 486, 31; cod. Vatic. 1468 V 517, 3+4); 188, 35 (Abol.) *Varam vibia* (easdem corruptelas exhibent A A V 488, 25 et Vatic. 1468 V 518, 5 [cf. inprimis *uel de* pro *unde,* ex *ũde* ortum], qui in fine addunt *ubi afantio* vel *fantici* [pro *uibia uaram*], quae librarius Cassinensis abiecit).

2) Isidorianis num etiam adscribenda sit glossa 145, 9 (Abol.) *Plemina,* dubium est: propius enim accedit ad Capri orthogr. G L. VII 99, 9 quam ad libellum De proprietate sermonum (no. 105), qui Isidoro adscribitur. Confidentius fortasse iudicabis de gl. 89, 6 (Abstr.) *Idolum,* quae ad verbum fere consentit cum Or. VIII 11, 14, quamquam Isidorus hanc etymologiam, quam 'quidam Latini ignorantes Graece imperite' protulerunt, vituperat.

3) Lindsay huius glossae ultimam particulam ad Festum 202, 25 refert; sane Isidori adnotationem cum illo aliqua ratione coniunctam esse veri simile est. Ceterum glossas Sangallenses 272, 34 *Pyxides* ab Or. XX 7, 3; 296, 49 *Vola* ab Or. XVII 7, 67; 297, 51 *Vrvum* ab Or. XV 2, 3 pendere equidem vix crediderim.

tegram nobis exhibere archetypi imaginem, sed omissione, interpolatione, transpositione, contaminatione glossarum multifariam immutatam. Iam ante Vaticani aetatem quin sua fata habuerint glossaria Abstrusa et Abolita coniuncta, vix potest dubitari; coniuncta fuisse illa medio fere saeculo septimo Goetzii est sententia veri simillima (v. p. 125). Quo tempore glossaria singula composita sint, tum demum accuratius definiri poterit, cum recentissimi auctores, ad quorum opera glossae referri possunt, cogniti erunt; interim si sexto fere saeculo glossaria illa tribuimus, non vereor ne nimis a veritate aberremus.[1])

Patriam archetypi Hispaniam fuisse vix dubium esse potest ei, qui omnia quae praesto sunt indicia comprehenderit. In eadem terra glossarium Abolita compositum esse Lindsay sibi persuasit, cui cur obloquar non habeo. Idem vero si glossarium Abstrusa quamvis dubitanter ad Galliam delegat, vereor ne argumento nitatur non satis firmo. Legitur enim IV 14, 43 haec glossa *Alnum lignum id est verna* (*berna* Cassin.); eadem exstat in Affatim IV 485, 31 (v. l. *vernam* et *-um*) et in Sangall. IV 205, 51 (ubi *vernum* [sic et gl. Scal. V 590, 31] et post *lignum* interiectum *alnetanum*): exstitisse igitur videtur iam in communi horum glossariorum fonte. Atque hominem Gallicae linguae gnarum interpretationem illam addidisse certum est[2], ubi eam addiderit, non item; cf. quae Goetz supra p. 285 recte monuit. Accedit, quod illis de quibus agitur temporibus — id quod ne Lindsayium quidem effugit — meridionalis Galliae pars ad Hispanorum regnum pertinebat, unde magno et hominum et studiorum commercio coniunctas fuisse regiones citra Pyrenaeos montes et ultra sitas consentaneum est.

De fundamento glossarii Abstrusa Lindsay in universum cum Goetzio consentit, nisi quod glossas Terentianas silentio transit. Et concedendum quidem huius poetae vestigia multo rariora esse quam in

1) Glossa Abolita IV 18, 35 *Antifrasis cum dicimus abundare quod non est et acidum quod dulce est* [*denuntiamus naturae*] exceptis ultimis verbis legitur etiam in Libro gloss. (cod. Bern. 16 f. 31ª), ubi additur '*si non in faciem benedixerit tibi*' (= Iob 1, 11). Ad Iulianum Toletanum cum retulerit haec Hagen Anecd. Helv. p. XLVIII, Lindsay (Abol. p. 279 sq.) glossam ex illo desumptam esse coniecerat: quam coniecturam per litteras mihi datas revocavit Iulianum potius simili adnotatione usum esse ratus. Rem sic explicari posse ut concesserim, tamen non neglegendum esse puto eandem glossam exstare in Affatim IV 481, 41, ubi omissa sunt verba *acidum — naturae*, additum vero *ut est illud 'nisi in faciem benedixerit tibi'* unde in communi archetypo integram glossae formam, qualem Lib. gloss. exhibet, iam exstitisse suo iure coniecerit aliquis. Minime vero inde glossarium Abolita non ante finem saeculi septimi compositum esse concludi potest.

2) Similiter Scoti manum prodit illud *id est ferna*, quod Philargyrii ad Verg. ecl. 6, 63 adnotationi *Alnos*] *pro populis posuit* interiectum est.

Abolita, tamen non desunt quae apte ad illius fabulas referantur. Sane Terentianae glossae numero longe superantur Vergilianis, quas ex vetustioribus fontibus, scilicet ex 'commento variorum', depromptas esse sibi persuasit L., quem secutus est Thomson. Sed hanc quaestionem nunc mitto infra de ea disputaturus; id unum hic addam Lindsayio veri simile non videri Festum in numero fontium glossarum Abstrusa esse habendum. Inter glossas tertii generis, quod distinxit Goetz (p. 124), esse quasdam, quae ad Ambrosii in Lucam commentarium revocari debeant, ostendit Burkitt; exempla profert haec: 45, 31 *conperendinatio* = A. 1268 D; 190, 47 *vernat* = A. 1276 D.; 59, 2 *dumis* = A. 1278 B.; 73, 43 (= 74, 29) *faleras* = A. 1296 A; adde *mantilia, idioma, phantasma, armonia,* alia, quae apud eundum auctorem occurrunt. Idem v. d. adnotat in Abstrusa circiter triginta tres glossas biblicas reperiri, quae fere omnes ad Onomastica sacra possint revocari. Glossam 44, 12 *Conquirentes causantes* (Act. Apost. 6, 9) non ad Vulgatae (quae habet *disputantes*), sed ad Italae textum redire monet Lindsay.

Transeo ad glossarium codicis Sangallensis 912 s. VIII, cuius prototypon iam septimo saeculo exstitisse Goetz (p. 125) ex codicis Ambrosiani F 60 sup. excerptis conclusit: at Lindsay (Aff. p. 195) Ambrosianum non, ut Pascal fecit, septimo, sed octavo saeculo tribuit et a Sangallensi pendere contendit. Sed hoc levioris momenti est, nam non tam de ipso codice Sangallensi agitur, quem non adeo diligenter exaratum esse sunt quae doceant, quam de archetypo glossarii, ad quod etiam illi codices redeunt, quos cum Sangallensi satis arto necessitudinis vinculo cohaerere Goetz dixit, inprimis codex Cassinensis 218 anno 909 et codex Vaticanus 1469 anno 908 scriptus, qui inter alia glossarium Asbestos continent. Illud ergo glossarium non una ratione cum glossis codicis Vaticani 3321 (et Cassinensis 439) comparari posse recte idem v. d. contendit (p. 126); quem consensum Lindsay ita explicat, ut eum, qui glossarium Sangallense composuit, praeter alios fontes etiam glossas Abstrusa-Abolita adhibuisse statuat, ita quidem, ut ad arbitrium ex hoc thesauro glossas deligeret, delectas saepius contaminaret, retractaret, decurtaret, amplificaret. Contaminationis exempla affert haec: IV 260, 42 *Nectar sapor* (cf. Abol. 127, 25 a *Nectar sapor dulcedo*) *vel odor summae suavitatis* (cf. Abstr. 123, 13 *Nectari melle vel dulcedo suavitatis,* sic Cassin.) *vel potio deorum* (cf. Abol. 124, 34 *N. potio deorum*) *et vita* (cf. Abol. 124, 32 *N. vita deorum*) et IV 253, 10 *Lanista macellarius qui carnes ferro laniat* (cf. Abol. 105, 27 *Lanistarii macellarii qui carnes ferro laniant,* ubi *Lanista* Cassin.) *et magister gladiatorum* (= Abstr. 104, 5); retractationis haec: IV 296, 12 *Vineas machinamentorum genera, quae fiunt in modum turrium* (huc usque = Abstr. 193, 25) *ad expugnandos muros* (*ac*

rotis ducuntur, in quibus ascendunt milites et muros expugnant Abstr.) et glossam Vergilianam IV 286, 38 *Stipante caterva comprimente multitudine* (vera forma exstat in glossario Vergil. IV 465, 3 *St. c. cingente multitudine*, pro qua in Abol. 176, 31 est *St. c. ingente* (*-i* Cass.) *m.*, quod male supplevit Vaticanus addito *collecti*); decurtationis: IV 290, 30 *Trabea vestis senatoria purpurea* (cf. Abol. 187, 17 a *Tr. v. s. ex purpura et cocco* etc.): amplificationis exemplum ipse addam hoc: IV 256, 6 *Lucar* ⟨*in urbe Roma* (cf. Ab absens IV 415, 13 et Vat. 1468 V 506, 34 et 52)⟩ *erogatio quae solebat in lucis fieri* (= Abstr. 110, 43) *et vectigal* (= Abstr. 111, 1; v. app. cr.). In Abstr. IV 94, 51 et 52 has habes glossas *Inliciunt inlicita persuadent* et *Inlectant quod supra*; in Sangallensi prior legitur 249, 52, posterior 250, 16. Similiter disiectae sunt glossae *Calamaula canna de qua canitur* (IV 213, 43 = Abstr. 30, 11) et *Calamaularius ipse qui de canna canit* (IV 214, 3; hanc glossam unus Sangall. servavit). Apparet auctorem glossarii Sang. interdum a fontis ordine recessisse, hic illic autem servasse quae qui Vaticanum et Cassinense glossarium redegerunt nescio qua de causa non receperunt[1]); qui et ipsi glossas, quae in fonte primario sine dubio coniunctae erant, saepius separaverunt: cf. IV 72, 21 et 73, 29 = Ampl.[2] V 293, 50—51 (prior glossa legitur etiam in Aff. IV 517, 45, posterior in A A V 455, 33, ubi nota $\widetilde{q\,st}$ [pro $\bar{q}\,\bar{s}$] = *quod supra* est: in Amploniano male *qui praeest.*[2]) Corrigenda igitur, quae Thes. gloss. s. v. exhibet); IV 137, 29 *Parma genus scuti* et 31 *Parimola quod supra* (emendata forma in Abol. 136, 29 legitur *Parimula quae* [!] *supra*), interposita est 137, 30 gl. *Parentalia* (eodem modo in Affatim post IV 547, 43 *Parentalia* sequitur 44 *Parimula quod supra*; gl. *Parma* ad 549, 7 reiecta est); IV 166, 19 et 43 (interiecta est series gloss. Abol.) = Aff. IV 564, 13—14 (glossam posteriorem omisit Sangallensis, qui priorem solam recepit IV 281, 33). Sane negari non potest unum glossarii Sangallensis fundamentum esse glossarium Abstrusa-Abolita, non quidem quale Vaticanus exhibet, sed exemplar vetustius atque plenius, a quo Vaticanus et Cassinensis (fortasse intercedente proprio horum librorum archetypo communi) pendent nec non alia glossaria velut Affatim, AA, Amploniana, Liber glossarum; cf. quae Lindsay (Sang. p. 353 sq.) comparavit, qui simul recte observavit glossas Vergilianas et Terentianas, quae quidem in contaminato glossario

1) Ampl.[2] V 295, 29—31 has tres habet glossas: *Flamen Dialis, Fl. Martialis, Fl. Quirinalis*; eaedem in Sang. leguntur IV 237, 53 *Fl. D.* et 238, 4—5 *Fl. M., Fl. Q.*; primam solam servarunt Vat.-Cass. IV 77, 14 et Aff. IV 517, 24 eadem corruptela (*Flamen dia*) coniuncti.

2) Ultimam glossae *Factiosus* partem in Abstrusa ex alia glossa postea additam esse docet eiusdem Ampl.[2] gl. 293, 58 = Ampl.[1] 361, 51 = Cantabr. F 52 *Factiosus saepe faciens.*

exstant, hic maximam partem esse omissas (suspicatur in fonte notam velut DE VIRG., DE TER. fuisse adscriptam); ceterum alias glossas ad eosdem poetas pertinentes in Sang. exhiberi vel ex iis elucet, quae Goetz supra (p. 126) composuit. Mentione digna videtur glossa IV 297, 1 *Voti compos memor*, cui additum est *expl̃i de uõ*: erant igitur singuli glossarum ordines in archetypo titulis et subscriptionibus distincti, sicut ex parte adhuc titulis distincti sunt in Vaticano. Sed haec sufficiant. Alium fontem glossarii Lindsay detexisse sibi videtur (l. c. p. 255): reperiuntur enim hic illic voces graecae, velut IV 216, 13 *Casu τῇ τύχῃ* (*titixi* cod.); 23 *Amicum τὸν φίλον* (lat. litt. cod. ut semper); 25 *Καίπερ superque*; 262, 46 *Noverca μητρυιά* (*matrea id est matrinia* cod.; *matrea* etiam Abav. IV 369, 21; AA V 468, 23; al.) (adde 237, 58 *Flabra φυσήματα* [= vol. III 426, 37] *vel venti*); praeterea cf. 211, 25 *Brephotrophium*; 262, 13 *Nosocomium*; 241, 35 *Gerontocomium*; 273, 43 *Ptochotrophium*; 298, 21 *Xenodochium*. Talia v. d. censet esse deprompta, incertum recta via necne, ex glossario bilingui; sed pauciora sunt quam quibus multum efficiatur. Maioris momenti esset, si staret, alia Lindsayi coniectura: persuasit enim sibi satis magnam glossarum Sangallensium partem per Ps.-Philoxeni glossarium ad Festum redire; de qua quaestione cum seorsum disputare mihi proposuerim, hic satis habeo id attulisse exemplum, quo maxime v. d. nititur. Exhibet namque Sang. IV 201, 16 *Abiugassere disiungere*, in AA V 437, 4 legimus *Abiugassere abiugare dissolvere* (435, 21 *A. dissolvere*), apud Ps.-Philox. II 3, 41 exstat *Abiugassere ἀποζεῦξαι*: inde concludit et glossario AA et Sangallensi eandem Ps.-Philoxeni glossam subesse, cuius interpretamentum diverso modo in latinam linguam retro translatum sit. At eodem iure Placidi quoque glossam V 7,5 = 43, 5 *Abiugassere abiungere abducere* per Ps.-Philoxenum ad Festum revocare possis. Sed quid rei sit, post videamus. De Isidori vestigiis iam supra verba feci; glossas biblicas ne Sangallensi quidem glossario deesse (ex Hieronymo vel Eucherio vel Isidoro collectas) et Goetz (p. 127) et Lindsay (p. 357) monent.

In universum dici potest codicis Sangallensis materiem ex bonis quidem fontibus esse congestam, sed compilatorem haud raro testem se praebere fide non ita dignum, id quod ex comparatione cum aliis glossariis instituta facile intellegitur; ubi rectam formam exhibet, saepius difficile est ad diiudicandum, utrum meliori fonti an coniecturae eam debeat. Huc pertinet gl. IV 215, 20 *Candes vasa fictilia*, pro qua in Abol. IV 28, 2 legitur *Cardens vasa fretiva Saliorum*; sane corrupta lemmatum forma necessitudinem quandam inter has duas glossas intercedere docet, sed glossam Sang. ad proprium fontem redire ostendunt gl. Abav. IV 316, 3; Ampl.^{2} V 273, 44; Ampl.^{1} V 349, 58 = 355, 7 (gl. Scal. V 594, 9

= 595, 66). Has ad communem archetypum scriptura semiunciali quam insularem vocant exaratum redire suspicatur Lindsay et in eo *n* litteram pro *r* fuisse substitutam (*carde*[*n*]*s* > *candes*); idem v. d. propter gl. IV 240, 2 *Fufae interiectio mali odoris*, quam cum Charisio GL I 239, 6 comparat, compilationem Sangallensem fortasse in monasterio Bobiensi ortam esse coniecit, sed ipse rem adhuc non satis exploratam esse alibi ('Class. Quart.' XI 195) concedit. Ceterum num glossa illa a Charisio pendeat, magnae dubitationi obnoxium est. Hoc tamen negari vix potest glossarium Sangallense quodam vinculo coniunctum esse et cum Amplonianis (quibus accedit Cantabrig. coll. corp. Chr.) et cum aliis glossariis, inter quae praeter gl. Abavus etiam gl. Affatim est; quale autem fuerit illud vinculum, adhuc non satis constat.

De Affatim glossario Goetz supra (p. 141) breviter statuit aut putandum esse aliud olim glossarium exstitisse, ex quo omnia, quae illo continentur, derivari possent, aut ex duobus vel adeo pluribus materiam esse collectam. Atque ipse iam indicaverat Affatim partim cum glossariis Abstrusa-Abolita glossas habere communes, partim cum Amploniano glossario secundo nec non cum primo. Haec optime comprobantur eis, quae Lindsay et Thomson de huius glossarii fontibus exposuerunt. Dubium esse minime potest, quin, qui Affatim composuit, magnam glossarum partem ex Abstrusa deprompserit; cf. series paene integras inde translatas, quas Goetz exempli causa attulit, quibus aliae similes nullo negotio addi possunt, velut in littera L IV 531, 62—532, 46; 533, 10—30; 533, 45—534, 28; 534, 44—54; 535, 11—39; in littera T 572, 1—31; 572, 45—573, 22; 573, 42—574, 3; 574, 25—49; 575, 3—33; 575, 49—54; 576, 6—9. Iam supra vidimus in Affatim continuari glossas Abstrusa in Vaticano et Cassinensi glossis Abolita interruptas (IV 564, 13 et 14); similia alibi reperiuntur, e. g. IV 573, 12 et 13 vel 574, 31 et 32. Proximum est, ut has glossas ex glossario Abstrusa nondum cum Abolita contaminato depromptas esse putemus, quae et ipsa Lindsayi est sententia (Aff. 186; cf. Corp. Ep. 48; Thomson Bern. sch. 274). Ad eundem fontem refert etiam adnotationem compilatoris, quae IV 524, 45—46 exhibetur (cf. supra p. 140, ubi corrigas *inter hi et i*); profecto omnes fere litterae H glossae usque ad 524, 44 (*Hiscitur*) ex Abstrusa desumptae sunt, quarum glossarum integri ordines 531, 36 (*K*) demum continuantur, nisi quod iam antea vestigia illius fontis primarii apparent 526, 21; 26—29; 33; 34 et 530, 3—10. Haustae sunt igitur lacuna exemplaris adhibiti glossae Abstrusa, quae vol. IV 87, 10—99, 20 leguntur. Neque tamen inter 524, 46 et 531, 36 glossae Abstrusa prorsus desiderantur, immo hic illic singulae reperiuntur similiter reliquis glossis interspersae, atque glossae Abolita per totum glossarium. Quae cum ita

sint, ex alio fonte has glossas fluxisse sumendum est, quo in fonte excerpta ex contaminato glossario Abstrusa-Abolita cum aliis glossis mixta fuisse videntur. Cohaerent autem hae glossarii Affatim partes cum glossariis Amplonianis et Cantabrigiensi, quibuscum etiam glossas quasdam Vergilianas communes habent (cf. IV 527, 15 = Cant. J 18 [etiam Paris. V 111, 3]; 528, 26 = Ampl.² V 301, 39 = Cant. J 51; 529, 45 = Cant. J 246 [cf. etiam IV 447, 23 app. cr.]; 527, 7 = Ampl.² 303, 27 = Cant. J 276; 530, 51 = Ampl.² 303, 25 = Cant. J 277; 530, 50 = Ampl.² 303, 24 = Cant. J 279 [cf. etiam IV 101, 25 et 446, 21]) et eas plerumque diversas ab eis, quae in Abstrusa et in Abolita inveniuntur. De his glossis Vergilianis egit Dall, quae Lindsayium (Aff. 186) secuta sibi persuasit eas redire ad unum idemque glossarium Vergilianum, id est glossas ex Vergilio collectas. Comprobatur haec sententia cum ordine talium glossarum, qui interdum ordini versuum poetae respondet (cf. e. g. IV 525, 41—49 = Aen. I 251; 475; 580?; III 531; IV 400; V 626; 716?; VI 695?; V 37), tum contaminatis glossis IV 501, 28 (= Ampl.² V 282, 48) *Cumulus aquarum multitudo. In fluctu pendent in mari eriguntur*, quae pertinent ad Aen. I 105 et 106. Satis incerta vero mihi videtur Dalliae coniectura (p. 174), qua glossas illas Vergilianas ad librum poetae in Britanniae nescio quo monasterio servatum rettulit: nam permutatio vocalium *i* (*y*) et *e*, quae in glossis *Senodus* V 331, 39 (= Aff. IV 565, 61; Cant. S 253; *sin.* Sang. IV 285, 23!) et *Cerene* (*Cerere* V 276, 8; *Cerine* Sang. IV 216, 54; Cass. 90 V 564, 52; recte *Cyrene* ad Verg. G. IV 321 refert Dall) cognoscitur, minime illius regionis propria erat; accedit quod altera tantum glossa ad Vergilium pertinet, altera cum inepta interpretatione (*congregatio senum*) non item. Glossas Sangallenses autem et Cassinenses ab exemplari Britannico pendere vix est credendum; immo ex Italia per Helvetiam et Galliam in Britanniam pervenisse quasi quendam nucleum communem eorum de quibus modo agitur glossariorum mihi multo videtur esse probabilius (cf. etiam Lindsay Bird n. p. 10!). Sed haec res non tanti est, ut hic diutius in ea inmoremur; hoc unum addam glossarium Leidense (Voss. Q. 49), quod ad monasterium Sangallense cum aliis (cf. Glogger I p. 1) suo iure rettulit Hessels (ed. p. XIII), fortasse documento esse etiam extra Britanniae fines glossas saxonicis interpretamentis potuisse instrui. Certe cum magnum inter insularum et terrae continentis coenobia commercium et hominum et litterarum exstitisse procul dubio sit, in eiusmodi quaestionibus cautione quadam opus esse nemo non concedet.

Quod attinet ad glossaria Amploniana et Cantabrigiense (coll. corp. Chr.) cum illis arte coniunctum, Lindsayi diligentissima inquisitione (Corp. Ep.) in universum ea optime comprobata sunt, quae Loewe

et Goetz (v. supra p. 150 sqq.) de hac re exposuerunt. Pretium illius libelli praecipue in fontium indagatione positum est, quam quaestionem Goetz (l. c.) amplius tractare noluit. Distinguendi igitur sunt secundum Lindsayium duo fontes principales, quorum alter glossas ex variis auctoribus collectas ita exhibebat, ut singulae collectiones propria efficerent capita. Ab hoc glossarum collectarum corpore pendent et glossarium Leidense supra commemoratum, quod, etsi sua habet propria, tamen in universum exemplaris archetypi naturam plane servavit, et glossarii Amploniani primi (Epinalense ubique subintellegi volo) partes priores, ubi fontis materia ad alphabeti ordinem redacta est, sed ita ut continuis ordinibus pristina condicio adhuc satis perspicua sit. Ea vel in Cantabrigiensi clare translucet, siquidem in singulis uniuscuiusque litterae capitibus fere semper glossae ex communi fonte derivatae Amploniani ordinem sequuntur. Alterum fontem proprie glossematicum ut eruat, Lindsay (p. 46) a glossario Amploniano secundo proficiscitur, cuius inscriptionem (v. supra p. 158) ita interpretatur, ut duos fontes diversos adhibitos censeat additis 'glossis verborum' et 'nominum' ex parte cum saxonicis interpretationibus.

Atque alterum glossarium, quod pro fundamento habuerit compilator, Abstrusa fuisse putat, alterum autem variam collectionem glossas Abolita, Vergilianas, biblicas, alias continentem. Qui glossarium perlustrat, eum fugere vix potest tripertitam fere esse omnem materiem: satis distincti cognoscuntur ordines glossarum Abstrusa, velut 259, 18—28 et 30—34; 264, 11; 12; 14—27; 276, 46; 47; 49—59; 61; 62; 284, 13—18; 20—23; 26—29; alii; non minus autem distincti sunt ordines glossarum, qui plerumque in fine uniuscuiusque seriei exstant, velut in littera C: 274, 11—275, 30 (Ca); 275, 63—276, 27 (Ce); 276, 63—277, 28 (Ci); 277, 50—278, 13 (Cl); 280, 59—282, 5 (Co); 282, 28—39 (Cr); 283, 9—21 (Cu), interdum in plures particulas distributi apparent, velut in littera A: 259, 4—6; 9; 36—260, 2; 6—8; 10—11; 16 (Ab); 17—18; 22—23; 27—28; 40—49, 61—64 (Ac); 261, 39—61 et 262, 19—25 (Ad), etc. Horum ordinum proprium est, quod satis multae glossae alibi non occurrunt, aliae in Ampl.[1], Cant., Sang., pars etiam in AA, Accipe, Abavus nec non in Affatim leguntur; his semper ordinibus continentur glossae latino-saxonicae, praeterea interpretationes nominum, quae aut graeca sunt aut ab auctore glossarum pro graecis habita sunt (·g· addito; de his v. infra).[1]) Tertia materiei pars efficitur glos-

1) In his partibus etiam illae glossae reperiuntur, quas L. (84 sq.) ad (scripturam sacram,) Rufinum, Clementem, Orosium, Sulpicium, Phocam, Gregorium, Nonium (?) rettulit, hoc est ad illos auctores, ex quibus alterius fontis principalis glossae collectae provenerunt.

sis, quae aut in solo glossario Affatim leguntur aut ex glossario Abstrusa-Abolita promiscue excerpta esse videntur; interdum in utroque glossario reperiuntur. Ex contaminato autem illo glossario partem glossarum fluxisse cum alia docent, tum glossae V 290, 28 et 29, quae respondent glossis IV 64, 26 = Abstr. (ult. gl.) et 27 = Abol. (pr. gl.). Quae si recte observata sunt, res similiter se habet atque in glossario Affatim, scilicet glossae Abstrusa duplici via in glossarium Amplonianum transierunt. Sed hanc rem longius persequi nolo; quid rei sit, alii videant, qui glossas Monacenses et Werthinenses, quibus lacuna glossarii (V 333, 62/63) optime expletur (cf. supra p. 156 sqq.), praeterire non debebunt.

Glossas, quae posterioribus Amploniani primi partibus continentur, cum Amploniani secundi materia arte coniunctas esse easdemque paene omnes in Cantabrigiensi glossario inesse dudum cognitum est (v. supra p. 153). Hic quoque ordinem glossarum Amploniani primi in Cantabrigiensi magnam partem servatum esse apparet, unde summa quae inter haec duo glossaria intercedit necessitudo optime cognoscitur.

Restat ut ex Lindsayi libello nonnulla referam, quae alicuius momenti esse videntur. Ac primum quidem in Amploniano primo quosdam glossarum ordines comprehendit, quos ad hermeneumata, qualia in tertio huius corporis volumine edita sunt, redire censet, velut V 338, 48—51; 339, 4—7; 340, 1—38; 346, 55—347, 17; 47—348, 6; 353, 9—62; 69—354, 11 etc.; continentur autem his ordinibus glossae ad avium, arborum, herbarum, instrumentorum, vestimentorum, sim. nomina pertinentes et maximam partem saxonicis interpretationibus instructae, quas pro graecis (interdum satis inepte) substitutas esse v. d. sibi persuasit. E. g. glossam *Ficedula sucga* (V 360, 42 = Cant. F 176 = Leid. § 47, 68 Hess.) ex *F. συκαλλίς* (v. Th. gl.) et *Cucumis popeg* (V 353, 36 = Cant. C 941) ex *C. πέπων* (v. Th. gl.) propter quandam soni similitudinem natam esse suspicatur, ceterum non sine doctorum Scotorum auxilio graeca interpretamenta translata esse ratus. In huiusmodi quoque glossis inter Leidensem, Ampl. primum, Cantabrigiensem summam esse necessitudinem doceant exempla haec (quae Leid. omisit, uncinis inclusa sunt): *Acerabulus, Acrifolius, Alnus, (Alneum, Abics, Ascella), Auriculum, ⟨H⟩arpa, Acceia, Ardea et dieperdulum, Aculeum, Auriculum, (Aureola), Alneta, Alga, Argilla, Aciarium, Avellanus, Ancones* = Leid. § 47, 97; 96; 99; 50; 57; 59; 64; 85; 86; 101; 23; 37; 38; 1; 4 Hess.; Ampl. V 340, 1—19; Cant. A 120; 123; 428; 430; 5; 837; 889; 759; 125; 729; 715; 891; 893; 433; 434; 730; 127; 895; 575 (Lindsay, Corp. Ep. p. 10; reliquos ordines v. ibid. p. 17 sq.).

Ex fonte communi desumptae sunt etiam nonnullae glossae, quae ad gemmarum nomina pertinent (Bradley, Corp. gl. 103; Lindsay

Corp. Ep. 35), ubi sacrae scripturae (Apoc. c. 21, 19 sq.) ordo in archetypo erat servatus. Cuius pristinam formam hanc fuisse Bradley coniecit (litterae et numeri ad Cant. gl. revocant):

C 77 =V 352,21 | *Calcidon ut ignis lucens. Smaragdus viridem colorem habet hoc est prasinum.* | *Sar donix habet colorem sanguinis* S 378 =V392,9 S 82 =V392,10

S 466 =V392,42 | *qui est onichinus. Crisolitus auri colorem et stellas luculentas habet. Byrillus tantum ut aqua resplendet* C 886 =V352,22 B 97 =V347,5

T 210 =V395,50 | *Topazion ut aurum micat. Cyprassus viridem habet colorem, ut est porrus, et stellas aureas habet* | C 977 =V352,23.

Ex margine adsumptae sunt glossae Leid. § 41, 12=V 392,43; glossas *Iaspis* et *Saphirus* solus Leid. (§ 41, 7 et 8) servavit, *Hyacinthus* et *Amethystus* in omnibus tribus glossariis desiderantur, exstant in cod. Ambros. M 79 sup. (Hinc corrigenda quae in Th. gl. sub singulis nominibus afferuntur; ceterum fontem harum glossarum iam Glogger et Hessels detexerant.)

Ad Columbani hymnum, qui vocatur 'Altus', L. (p. 85) refert glossas *Brumalia* 272, 19 (cf. 272, 10; interpretamentum ad gl. 272, 17 pertinet de qua v. Linds. p. 52 et Aff. p. 190); *Pontiae* 321, 51; *Prosator* 324, 18 (irrepsit gl. *Praeruptus divisus* = 322, 54); *Praesagmen* 322, 44; *Dodrans* (in Ampl.^{2} deest), quarum tres priores et ultima etiam in Cant. (B 191; P 556; 664; D 343), tres priores in Aff. (IV 489, 45; 554, 38; 557, 37), secunda, tertia, quinta in Ampl.^{1} (part. prior. *Pros.* V 380, 6, *Dodr.* 355, 61, part. post. *Pont.* 385, 41) occurrunt. Quamquam res incerta est et inprimis de glossa *Pontiae* dubitari potest, non solum propter locum, quem in Ampl.^{1} obtinet, sed etiam quia idem vocabulum apud Aldhelmum in epistula ad Wilfridum obviam fit.

De glossis Aldhelmianis (v. supra p. 155) quaestio orta est, num ad communem Amplonianorum et Cantabrigiensis fontem referendae sint; quam quaestionem qui nuper tractavit Bradley (Corp. gl. 89 sqq.) in Amploniano primo ordines talium glossarum sibi detexisse visus est, qui re vera nulli sunt. Quid quod is ordo, qui maximam speciem Aldhelmianae originis prae se ferre videtur (V 351, 1—7), in medio ordine Orosiano (350, 28—351, 15) collocatus nullo negotio ad historici opus referri potest (sc. IV 10, 7; V 9, 2; 2, 2; VI 5, 1; 10, 8; 13; 15, 12). Accessit difficultas ex temporum ratione nata, cum iam ante Aldhelmi mortem (a. 709) glossas illas in communem glossariorum archetypum (Bradleyi quidem sententia, qui saxonicae linguae peritorum iudicio nititur; cf. etiam Lindsay, Corp. ed. p. XIII adn. 1) receptas esse credendum esset; quam difficultatem v. d. nimis artificiosa coniectura removere studuit (p. 101). Sed ipse auctor sententiam suam magistro auctore vixdum prolatam revocavit (p. 108). Lindsay autem (Corp. Ep. 97 sqq.), etsi minime negat satis multas glossas Aldhelmianas glossario Cantabrigiensi

soli esse insertas (cf. indicem l. c. p. 101 sqq. et adnotationes in Corp. ed. passim), tamen longe alia ratione similitudines, quas inter Aldhelmi scripta et glossas Amploniani intercedere ne ipsum quidem fugit, explicare conatur: conicit enim Aldhelmum, quippe qui amator fuisset sermonis glossematici, ipsum ex simili libro atque is fuit, ex quo pendet glossarium Amplonianum, hausisse et interdum non solum lemmata glossarum, sed etiam interpretamenta suum in usum convertisse. Velut scripsit (p. 237, 8) '*lympha quam anthlia, hoc est rota hauritoria, exantlamus*', quocum cf. Ampl.[1] V 338, 25 = Cant. A 567), vel (p. 290, 6) '*palathas id es caricarum massas*', cf. Ampl.[1] V 380, 20; Cant. P 58; Sang IV 266, 29; al. Quae sententia num stare possit, aliis examinandum relinquo. Aliquam dubitationem movet mihi Lindsayi de glossa *Portisculo malleo* (Ampl.[1] V 380, 40 = Cant. P 503) disputatio (p. 98): quae glossa optime quadrat in Aldhelmi verba (p. 230, 23) '*hortante proreta et crepitante naucleru portisculo*'; ut concedi potest auctorem hoc vocabulum ex aliquo glossario (vel ex Nonio 151, 18? cf. p. 322, 24 *ansatae* cum Nonio 556, 19, quod ipse L. affert exemplum) transsumpsisse, ita quod et in glossariis et apud Aldhelmum idem apparet ablativus, id casui vix tribui posse videtur; nusquam autem illa forma legitur neque apud Ps.-Philoxenum II 154, 7 neque apud Nonium (unde glossa V 645, 34) neque apud Festum 234, 4 (cf. P. 235, 11), ubi eadem interpretatio (*malleus*), neque denique apud auctores ab illis laudatos. Itaque omnia eo ducunt, ut glossam ad Aldhelmi locum referendam esse censeamus.[1]) De glossae *Poalaventium folles fabrorum* (V 380, 26 = Cant. P 501; cf. Vat. 1468 V 510, 42 et Cass. 90 V 576, 18 *Poalis follibus fabrorum* vel *fabr. foll.*) lemmatis origine (confert L. Gildae De exc. Brit. 8: 'ipse enim egredietur quasi ignis ardens et quasi poa lavantium' ex Maleachi 3, 2) recte iudicasse videtur v. d. (Corp. Ep. 98; Corp. ed. 207); sed num Aldhelmus titulum aenigmatis 40 inde petiverit, erunt qui dubitent. Incerta etiam res est in glossa *Arcister strelbora* V 342, 2 = Cant. A 810 (cf. Aldh. epist. ad Eahfrid. p. 94 'belliger in meditullio campi arcister'), iuxta quam eadem glossaria exhibent aliam *Arcistes sagittarius* (V 339, 40 = Cant. A 758), quam ad Abol. IV 21, 18 redire manifestum est; nam etsi Aldhelmus hic quoque ex glossis hausit (cf. etiam *meditullio*), tamen non minus glossa prior ab Aldhelmo pendere potest, quam hic ab illa. Sed haec hactenus.[2])

1) L. (Corp. ed. 207) glossam ad Festum redire et ex Abolita desumptam putat, cuius glossarii auctorem in suo codice Festino pro 'sub portisculum' in verbis Catonis 's. portisculo' legisse suspicatur. Talem explicationem quodammodo arcessitam esse nemo non videt.

2) Gloss. Leid. § 35, 19 ad Rufin. hist. eccl. IV 9, 3 exhibet glossam *Meher-*

De glóssariis Ab absens, AA, Abavus quae Lindsay (Aff. 192 sqq.) profert, ea in universum nihil novi habent, si comparas quae Goetz supra (p. 129 sqq.) exposuit; Thielonis dissertatio de glossario Accipe (v. supra p. 142) illi nondum in notitiam venisse videtur. Qui v. d. necessitudinem, quae inter haec de quibus agitur glossaria intercedit, ita explicandam esse censet, ut ex communi fonte pendeant ab altera parte AA per Accipe, ab altera Abavus maior per Ab absens. Sed amplius in hanc rem inquirendum esse cum existimem, satis habeo ad nonnullas glossas, quas Lindsay tractavit, pauca adiecisse. Glossam Ab abs. IV 405, 49 *Angiportus refugium navis, vel via sine exitu, hoc est profugatus quodam* si v. d. ex glossa Abolita IV 17, 40 *Angiportum androna viformium* (pro *bif-*? cf. Th. gl.) *vel callem* male scripta (*andro navif.*) et intellecta detortam esse coniecit, hoc vix quisquam ei concedet esse veri simile; nam prima interpretatio (= Ampl.[1] V 342, 17) ex ipso lemmatis vocabulo facile elici potuit (cf. Paul. 17, 10; *A. . . . hoc est angustus portus . . .*; Schlee, Schol. Ter. p. 110; gl. V 439, 57; 491, 23). Ad alteram interpretationem cf. Ps.-Acron ad Hor. c. I 25, 10. — Ad communem fontem admodum vetustum, sc. scholion Vergilianum (ad Aen. V 560? cf. Serv.) de tribubus Romanorum antiquissimis, L. revocare studet has glossas:

a) Sang. IV 278, 4 *Ramnensis tribus a Romulo constituta.*
Ampl.[1] V 388, 15 *Ramnete⟨s⟩ equi⟨tes⟩ a Romulo constituti.*

b) Ab abs. IV 415, 5 *Licerceris centurio* =
AA V 463, 24 *Liceres c.* (= Vat. 1468 V 506, 20).

c) Ab abs. IV 424, 46 *Titiensis* [*clangor id est sonitus cum tumultu*]
coll. IV 425, 25 [*Tumultus* „ „ „ „ „ „]
AA V 486, 27 *Titiensis* [*clangor*] = Vat. 1469 V 526, 33.

Addendum est glossam b ('*Luceres centuriae*? *Luceris* corr. ex *Lucer decurio*?' Linds. 197) etiam in Accipe L 30 eadem forma qua in AA exhiberi, nec nón glossam c inversam in Accipe G 26 *Glangor titiensis*, de qua cf. etiam Loewe Prodr. 351. — Glossae AA V 480, 33 *Robrius nomen est* veram formam fortasse glossario Ab abs. IV 423, 41 *Sobrius n. e.* (ut *Sobrius* nominis proprii vice fungatur) servatam esse Lindsayi est coniectura (p. 198); idem commemorat glossam AA ab aliis ad Iuvenalis s. IV 105 (*Rubrius*) esse revocatam (ex gl. Abavus comparat

cule mi fortis; inde natam censet L. (Class. Q. XII 58) glossam ineptam *Herculus fortis* V 364, 23 = Cant. H 54. — Idem v. d. (l. c. 21) glossam V 367, 18 cum Epinalensi sic scribit *In mimo in gliowe* (saxon.), *quod tamen ad mimarios vel mimographos pertinet*; spectant haec ad Oros. VI 22, 4 (in Ampl.[1] ordo Orosianus est a 366, 36—367, 21), delendum igitur mimorum fragm. 21 Ribb. — In glossa V 337, 23 L. (l. c. XIV 52) pro *tuscii* scribendum putat *rustici*; de Donato auctore, sicut v. d. vult, cogitari vix potest.

IV 393, 40 *Stratocles ad militiam accit⟨us⟩*, cf. Iuv. III 99, et ex Abol. IV 109, 28 *Lysimachus solutus vel litis* [*solutor belli*?], cf. Iuv. VII 204). Glossam A A V 480, 27 *Rodoricus nomen est unius regis* (cf. supra p. 146) etsi ad Gothorum regem spectare concedit, tamen nihil esse nisi emendationem glossae *Robrius* pro veri simili habet (confert gl. V 486, 18 *Tiberius nomen est unius imperatoris* [*imperii* codd.], quae tamen vix ex gl. V 486, 19 derivata est, ut ille putat).

Hic apte quaedam ex Lindsayi de codibus Vatic. 1468, Vatic. 1469, Cassin. 90 disputatiunculis (Fest. gl.; Gl. coll.) inserantur (cf. supra p. 146 sq.). Codicem Cassinensem L. secutus E. A. Loewium ('Beneventan script.' p. 343) non saeculo decimo (v. vol. V p. XXXI), sed undecimo exeunti adscribit et, quod ad glossas Festinas attinet, partim ex Vaticano 1469, cuius proximum fontem ipsius Festi librum fuisse putat, partim ex glossario A A pendere censet, cuius compilatorem in Italiae parte meridionali degentem ex glossis Abolita integrioribus sua hausisse eiusdem v. d. sententia est non improbabilis. Vaticanum utrumque cum monasterio Cassinensi nullo vinculo coniunctum iudicat, codicem 1469 in regione Romana exaratum ratus, codicem 1468 cum Loewio (l. c. p. 152) ad Apuliam ('Bari type') relegans et non decimo, sicut Goetz (vol. IV p. XXIX) fecit, sed undecimo saeculo attribuens. Glossam Vat. 1468 (m. 2) et Cass. 90 communem *Remilus repandusius* (*-dus vis* Cas.) *remanens per una* (*ima* Cass.) *via* (V 512, 50; 577, 45) ex contaminatione glossarum *Remillus repandus pronulus* et *⟨Residuus⟩remanens* ortam esse suspicatur; cf. Abol. IV 162, 6a *Remillo repando et pronulo* (= A A V 479, 20; Leid. 67 E V 636, 43; Vat. 1468 m. 1. V 512, 48; prior pars etiam in Sang. IV 278, 56). Ceterum monet glossas Cassinensis haud paucas non ex glossariis esse petitas, sed ex Isidoro (velut V 581, 14 ex Orig. X 207, ubi a compilatore *ad inguinem* [pro *tetros id est ad inguinem*] additum existimat, vel V 578, 3 ex Or. XV 1, 1 [illud *ennius* nihil est: cf. Isid. cod. K *ennius huius* pro *'en huius'* = Verg. Aen. VI 781!], vel V 582, 57 ex Orig. IX 7, 18 [et 17; compilator pro Isidori *galos* scripsit *gallice sororia* et de suo ut videtur addidit *sororis vir a quibusdam sororius dicitur*]), ex Fulgentio (errat L. contendens in Thes. gl. fontem non esse indicatum glossae V 559, 7 *Ambiegnae oves*, nam Goetz relegat ad Comm. phil. Ien. VI 2, 108, ubi ipse hanc glossam ad Fulgentium revocavi; idem valet de aliis glossis huius generis), ex grammaticis (velut V 560, 47 ex Diom. G L I 343, 11; 561, 39 ex Prisc. G L II 505, 1 [ubi tamen nominativus legitur]). Glossam V 561, 34 *Apaavi dignum iudicavi testimonium*, quam (Fest. gl. 132) quamvis dubitanter ad Plaut. Truc. 942 rettulerat, nunc, sicut mihi per litteras nuntiavit, ad Augustinum (*A⟨cce⟩ptavi*) referri mavult. Ex codice Vaticano 1469 L.

(Gl. coll. 39) publici iuris fecit 'glossas collectas', quae fol. 83^{r} et 83^{v} scriptae sunt; pertinent autem ad Passionem Apostolorum (Petri et Pauli) et ad Acta S. Sebastiani martyris. Ad illam refert etiam glossas V 550, 12 (Cass. 402) *Cathomus virga nodosa*, V 563, 64 *Cathomus scorpio vel cardus ferri* (Cass. 90), V 494, 5 *Cathomis cardi ferrei vel virgae nodosae* (Vat. 1468); legitur enim in 'glossis collectis' ad verba 'Iussit eum in aumachia(!) cathomis consumi' adnotatio *Cathomis virgis nodosis* (similem explicationem alibi quoque inveniri doceant hae glossae Iuvenalianae: ad IV 151 'ut tamdiu eum caederent catomis id est virgis ferreis, donec animam exhalaret' [ex Urbin. 661 et Paris. 9345 s. XI], ad VI 612 'catomis hoc est virgis ferreis caedere' [ex Leid. Voss. Q. 18 et F. 64 s. X; cf. infra]; cf. etiam Roensch, Coll. phil. 257 sqq.). Sequitur in Vaticano glossa *Hic naumachia forum signat Romanorum* etc., quae transiit in Cass. 90 = V 573, 19, cuius glossae origo sic patefacta est; quae de foro proferuntur, ea Isidori Orig. XV 2, 27 = XVIII 15, 1 redolent.[1])

De Libro glossarum cum infra fusius disputare in animo mihi sit, hic breviter referre libet, quae de aetate et patria illius thesauri Lindsay protulit (Abstr. 126 sqq.). Negat autem v. d. ante Caroli Magni tempora Librum gl. esse compositum, quia vetustissimi codices non ante nonum saeculum essent exarati; item negat compilatorem in Hispania, quae Goetzii est sententia, munere suo esse functum, immo putat esse quae Galliam eius patriam fuisse doceant: nam non solum complures codices id exhibere scripturae genus, quod Adelhardi abbatis (mortui a. 826) aetate in coenobio Corbeiensi colebatur, sed etiam exsistere glossam Gallica voce ornatam, sc. V 247, 22 *Talea surculus, quod rustice graf(ia) arb(orum) dicuntur*, cf. Francogall. *greffe*. At haec argumenta non multum valere facile ostendi potest. Primum glossa, quam modo attuli, in libris Palatinae recensionis desideratur, unde dubium fit, utrum ad archetypum pertineat an postea adiecta sit, quod fieri potuisse ipse Lindsay indicat; accedit quod in codice Parisino primitus nihil scriptum erat nisi *Taleo*, quod manus secunda (s. IX!) in *Talea* mutavit addito illo interpretamento. Sed etiamsi glossa genuina esset, ne tum

1) Thomson (Class. Rev. XXXIV 32) tractat codicis Vatic. Reg. 215, qui anno post Martini Scoti mortem (875) Lauduni exaratus est, glossam *Anaphus* (V 583, 8) et in altera eius parte Martini manum deprehendisse sibi videtur collata Breviloqui ad idem vocabulum glossa. Idem (Notes 88 sq.) in ultima ad vocem *Excetra* glossae Abstr. parte (IV 70, 22; 65, 41; etc., v. Th. gl.), ubi legitur *hoc est hydra* (*ira*, *idra*, *idram* codd.), *quam veteres canapum nominarunt*, errorem interpolatoris latere suspicatur, qui *hydriam* intellegens illud vocabulum, quod in Vaticano rusticis adscribitur, sc. *hanappum*, explicandi causa apposuit. Sed si haec coniectura iusta esset, pro *veteres* exspectaremus *rustici* vel *vulgo* et *nominant* pro *nominarunt*.

quidem certa de patria Libri gl. conclusio ex ea fieri posset: cf. quae Goetz supra (p. 285) monuit. Deinde quod illud scripturae genus attinet, ex eo nihil sequitur nisi fuisse Corbeiae circa annum 800 exemplar glossarii, ex quo aliquot codices ibidem descripti sunt; at ortum esse Librum gl. in illa regione minime inde efficitur. Postremo quanto temporis spatio apographa vetustissima ab archetypo communi omnium librorum distent, difficile dictu esse per se patet; attamen siquis consideraverit quae Goetz in libello De Libro gl. conscripto olim de differentiis exposuit, quae inter duas codicum familias cognoscuntur, iisque adiecerit, quae Thomson nuper (Anc. l. p. 48 sqq.) de fontium indiculis disputavit, qui iam in communi archetypo aut omissi aut falso loco adscripti erant, haud raro autem diversi sunt in utriusque stirpis libris manuscriptis, is opinor facile sibi persuadebit Goetzii sententiam esse praeferendam, qui non post annum 750 Librum gl. conditum esse coniecit (v. supra p. 107). Attamen si materiem proprie glossematicam respicimus, non tam de eo agitur libro, qualem codices exhibent, sed de recensione quadam vetustiore, cuius unicus testis est codex Parisinus nov. acq. 1298 s. XI ex Hispania septentrionali oriundus. Qui quod neque integer servatus est neque exemplar archetypum fideliter reddidisse videtur, magnopere dolendum est; hic enim habemus verum Librum glossarum, cum is, qui nunc eo nomine significatur, nihil sit nisi editio altera plurimis excerptis ex plurimis auctoribus valde aucta et ad severiorem alphabeti ordinem redacta. Itaque si ad nuclei glossematici fontes penetrare volumus, inprimis proficiscendum erit a codice Parisino. Sed de hac re alio loco agetur. Id unum hic monendum censeo argumenta, quibus Goetz veri simile efficere studuit patriam Libri gl. fuisse Hispaniam, a Lindsayio omnino esse neglecta; quas solas commemorat proprietates palaeographicas, eas ex Isidori codice Hispanicae familiae a compilatore adhibito remansisse putat.

De codicibus Libri glossarum Turonensibus, quos ut ipse inspiceret Goetzio non contigit (cf. 'Der L. gl.' p. 227 et 233), Mountford (Lib. gl.) breviter refert. Comprobatur autem vetustiorem librum (850 s. IX) in universum cum Palatino consentire, recentiorem (851 s. XV) in Italia exaratum ex illo quamquam non transcriptum, attamen derivatum et hic illic suppletum esse. Quod ad fontium indiculos attinet, Turonensis 850 non nullius pretii esse videtur; in altero libro omnes omissi sunt. Ex paucis quas adiunxit v. d. adnotationibus hoc commemorasse hic sufficiat in glossa Isidoriana *Iaculum genus piscatoriae retis a iactu dictum* Libri gl. codices ab Isidorianis (Orig. XIX 5, 2) eo differre, quod illi in versu Plautino pro *antea* rectius *ante* exhibent; praeterea in glossa cum Iuliani Toletani arte grammatica GL V 324, 22—31 plane congruenti ad

verum propius accedere libros glossarii manuscriptos in Varronis versu non *crebrinodosam*, sed *crebi[s]nodam* habentes, quo testimonio Buecheleri emendatio (v. 578) optime confirmatur. Idem Mountford (Com. fr.) glossam V 253, 28 ('De glossis') ita restituere conatur *Vict⟨it⟩antem viventem*: '*nitidu[m]le[ge] sum⟨p⟩tuose vict⟨it⟩antem*' *dictum de femina*; in codice enim Palatino pro *leges vel tuo se* scriptum est *leges ū tuo se*, quod a correctore in *lege sūmtuose* mutatum est. Persuasit autem sibi v. d. incogniti se poetae comici fragmentum ex tenebris evocavisse.

Restat ut Lindsayi coniecturae mentionem faciam prolatae de collectione illa, quam ex Charisii codice Neapolitano (olim Bobiensi), ubi De latinitate inscriptum est, Goetz V 660 sqq. edidit. Suspicatur enim v. d. (Columb.) redire illam ad ipsum S. Columbanum, qui sibi enotavit, quae in bonis auctoribus (cf. 661, 58 *Emunctae naris* = Horat. s. I 4, 8; 660, 33 *Brevi crev⟨er⟩it* = Sall. Cat. 7, 3; alia ad Terentium, Ciceronem, Sallusti historias, Vergili carmina spectare iam dudum Goetz monuerat vel in Thes. gl. indicaverat) memorabilia invenerat, qua in re synonymorum inprimis rationem habuit, velut 660, 15 *Amat perditim et perdite*. Quam collectionem qui circa annum 700 Bobii transcripsit, omnia, quae dignoscere non poterat, abiecit, reliqua ad alphabeti ordinem redegit, quaque erat stupiditate, multa turbavit. Hoc viri doctissimi iudicium acrius mihi videtur esse quam verius. Nam ut concedamus librarium hic illic errasse, singulas litteras commutasse, pauca bis posuisse, ubi tandem illae turbae sunt? Has non agnoscent nisi qui similitudine quadam sive sensus sive rerum inducti vel potius decepti varias locutiones quasi lemmata et interpretamenta conglutinare conabuntur; qui oleum et operam perdere mihi videntur, cum longe diversa fuerit eius, qui ex variis auctoribus (potissimum ex oratoribus) illa contulit, intentio. Qua de causa ex glossariorum numero hoc de latinitate opusculum non minus excludendum est quam illa Dosithei arti grammaticae (GL VII 426, 12 sq. = Dos. ed. Tolkiehn p. 89, 13 sqq.) adiecta collectio, quam prorsus eiusdem originis esse viri docti dudum perspexerunt. Hic autem ut multa desunt, quae Charisii codex exhibet, ita in hoc nonnulla desiderantur, quae Dosithei libri manuscripti servaverunt; addita est autem hic plerumque, sicut in aliis eius artis grammaticae partibus, graeca versio, quae num post Columbani demum tempora (mortuus est a. 615) confecta sit, perquam est dubium (cf. etiam Tolkiehn l. c. p. XIV sqq. et 'Cominianus' p. 126 et inpr. Barwick, Remmius Palaemon p. 56 sqq.).

Magnum illud glossarium latino-graecum, quod falso nomine Philoxeni ornatum est, in codice Parisino 7651 s. IX, quo uno servatum est, hanc habet subscriptionem 'Expliciunt glosae per elementum';

hinc Lindsay (Phil.) concludit eum, qui illum thesaurum composuit, in ordinandis ad alphabetum (graecum) glossis solam primam uniuscuiusque vocabuli litteram respexisse, cuius rationis vestigium adhuc in glossa II 24, 30 *Arduum δυσχερές ... ὑψηλόν* + ⟨*Ancyla*⟩*λαβὴ ἀσπίδος* cognoscitur. Supervenisse videtur 'corrector' quidam, qui severiorem ordinem efficere studens secundam quoque litteram (latino usus alphabeto) observavit; idem multas glossas eodem vel simili lemmate instructas contraxit (cf. 182, 46 *Seria* ex *Seria*, *Serra* subst., *Sera*, *Serra* verb.), multas aut omnino abiecit aut circumcidit detractis, ut est Lindsayi sententia, sive auctorum locis olim adscriptis sive fontium indiculis, qualia adhuc Liber glossarum praebet. Atque ut pristini corporis materia hac 'correctoris' opera coacta et coartata est, ita numerus glossarum a librariis eo auctus, quod multas glossas repetiverunt (e. g. 157, 43 *Pr*⟨*a*⟩*estantius* et 158, 52 *Prest.*; 76, 35 *Ignarures* et 79, 33 inter *Inbutus* et *Ingenuus* [?]; praeterea cf. 204, 11 *Vagna seu cupa* et 119, 15 *C. s. v.*; 151, 47 *Plausus* [?] et 48 *Plautus*; 102, 42 *Cotis* et 117, 19 *Cos*; 7, 17 = 34; 9, 1 = 16; 11, 20 = 12, 7 sim. [cf. Dammann p. 12 sq.]), quae omnia non ei imputanda sunt, qui thesaurum latino-graecum composuit. Qua de causa eiusmodi repetitiones sive de industria factas sive neglegentia ortas ad fontes glossarii indagandos nullius pretii esse censet v. d. Dammanni de duobus fontibus sententiam (v. supra p. 25) sustineri non posse ratus. In hac re etsi Lindsayio aliquatenus assentiri possum (Goetzio quoque Dammanni explicatio nimis artificiose excogitata esse videtur, cf. l. c.), tamen nondum mihi satis persuasum esse confiteor ubique valere viri d. argumentationem; sed de fontibus glossarii infra accuratius erit disputandum. Hoc unum hic addere liceat Lindsayi sententia etiam quaedam additamenta 'correctori' esse tribuenda, velut 151, 6 *hoc est galla*, 153, 4 *id est pollingor*, 154, 12 *id est porcacla* (pro *porclaca*? cf. ital. *porchiacca*; ceterum librarius pro *ī* = *id est* male scripsit *in*, qua de causa noli in glossa *Pollinctor* supplere *in* ⟨*alio*⟩, neque comparandum illud *ἐπ' ἄλλῳ*, quod legitur 63, 31: non enim pertinet ad aliud exemplar a compilatore adhibitum, sed vestigium est contractionis duarum glossarum, quarum altera est *Exacta ἀννοθέντα*, altera *Exacta ἀννοθείσης*).

Ad amplissimum illud glossarium bilingue, cuius imaginem Ps. Philoxeni opus minime reddit integram, Lindsay redire censet etiam magnam partem eius glossarii graeco-latini, cui Cyrilli nomen iniuria inditum est. Ex utroque igitur, aliis praeterea testibus adhibitis, de quibus infra dicetur, pristina forma restituenda est.

Inter fontes principem locum obtinere videntur viro d. glossae ex Festi De verborum significatu libris ita excerptae, ut lemmati latino graeca adderetur interpretatio, qua in re non semel peccavit compilator,

sive corrupta exemplaris Festini scriptura in errorem inductus (cf. Th. gl. s. v. *Adescit*; 48,35 *Dicassit συνεχῶς λέγει*, ubi pro *dixerit*, quod apud Paulum 75,15 exstat, legisse videtur *disserit*) sive quod fontis verba prave intellexit (velut id quod apud Paulum 63,13 legitur *κόσμιος qui apud nos comis* ita reddidit 105,30 *Comis κόσμιος*; rectius Ps. Cyr. 248,31 *Ἀστεῖος . . . comis*). Deinde adhibuit compilator vetustum quoddam enchiridion latinograecum, cui inscriptum erat 'Liber de officio proconsulis', quod enchiridion destinatum erat usui proconsulum, quibus provinciae imperii orientales administrandae obtigerant [at cf. supra p. 32 sq.]. Accesserunt idiomata quae vocantur ex Charisii ut videtur arte grammatica translata; insigne exemplum habes 156,22—31, ubi GL I 292, 11—16 ita in usum suum convertit compilator, ut etiam prima novae paragraphi verba *Aliis etiam* (sc. *ita de idiomatibus placuit definire*) neglegenter reciperet [abicienda igitur Schoellii 'emendatio' in Th. gl. s. v. *Praeficio te praetorio*]. Praeterea ex iis, quae apud Charisium aut praecedunt aut sequuntur, haud pauca in glossario reperiuntur, velut Charis. 293,8 sqq. *Patiens sum laboris* = 143,23; *Taedet me huius hominis* = 195,52; *Doleo vicem tui et vicem tuam* = 54,44; *Piget me huius rei* = 150,34; *Paenitet me (huius) muneris* = 140,42; *Discrucior animi* = 51,13 [quibus exemplis addo haec: 38,15 *Decet me* (?) = Char. 294,18; 123,50 *Liquet mihi* = Char. 293,28; 130,9 *Moderor tibi* = Char. 293,18; 142,34 *Parco tibi* = Char. 292,28 (aliter 293,22); 149,17 *Pertaesum est iniuriae* = Char. 293,11; 164,16 *Pudet me amoris* = Char. 292,22; 172,30 *Rependo tibi* = Char. 293,25; 179,1 *Satio populum tritico* = Char. 295,18; 180,1 *Sciens locorum* = Char. 292,2; 196,32 *Tempero me vino* = Char. 295,7; pleraque etiam apud Diomedem et Dositheum inveniuntur, interdum deficiente Charisio, velut 186,24 *Soporo te vino* = Dos. 425,22; 210,17 *Vitium furi dico* = Dos. 425,1 (aliter Char. 293,20 = Diom. 312,28). Non praetermittendum puto partem horum idiomatum legi etiam in codice Parisino 7530 s. VIII (= GL IV 566 sqq.), quem Cassini vel Beneventi scriptum esse statuerunt (cf. Traube, 'Vorl. u. Abh.' III 226; Loew, 'Die ält. Kalendarien a. M. Cassino' p. 83); de his idiomatibus v. Tolkiehn, 'Comin.' 112 sqq.; Barwick l. c. Hic tantummodo hoc moneam graecam interpretationem apud grammaticos illos semper desiderari, in Parisino ubique additam esse, sed diversam plerumque ab ea, quam in glossario videmus. Auxit compilator materiem adscitis glossis marginalibus, quas in nonnullorum auctorum libris invenerat; hinc glossae illae, quae pertinent ad Horatium, Iuvenalem, Persium (quos in 'corpore saturicorum' coniunctos fuisse suspicatur Lindsay, qui fretus mira Ps.-Cyrilli glossa 353,45 *Κορυδαλλός sulpicia bardala* [cf. Ps.-Phil. 28,25 *Bardala κορυδαλλὸς ὄρνεον*] de Sulpiciae saturis cogitat [v. etiam

Bird. n. p. 3 et quae infra exponam], nimis audacter opinor), ad Vergilium, Ciceronem, alios. Videntur autem glossae Vergilianae, quae quidem alteri Georgicon libro adscriptae erant, aut ab origine graecae fuisse aut in graecam linguam translatae, cum Horatianas mere latinas fuisse constet; quae ad Ciceronem referendae sunt, eas ex versione continua inter lineas addita desumptas esse Lindsayi est coniectura. Denique aliis praeter commemoratos fontibus usum esse compilatorem docet glossa 48,43, ubi Gaius laudatur, docent aliae quae ad sacram scripturam (recensionis Italae, non vulgatae) referri possunt (velut 148,11 *Personarum acceptio* ad 2. Chron. 19,7 vel Rom. 2,11; 13,16 *Accia et acceia* ad Levit. 11,17, nisi haec potius ad indicem nomina avium continentem revocanda est, quamquam partem talium nominum ex Festo quoque peti potuisse v. d. arbitratur); inveniuntur etiam glossae ad botanicam quam vocamus pertinentes, quae fortasse ex libro medicinae arti destinato excerptae sunt.

Patriam compilatoris fuisse Italiae partem meridionalem per se est veri simillimum (ex glossa 18,26 *Antea πρὸ τούτου: ἔστιν δὲ καὶ πόλις Σπανίας* — cf. Th. gl. s. v. *Anteae* — lucri nihil capitur); quo tempore ille vixerit, aliquo modo concludi posse videtur inde, quod fragmentum papyraceum Coloniense (vol. II 561) cum Ps.-Cyrillo quodam vinculo coniunctum sexto p. Chr. n. saeculo adscribitur, huius vero glossarii graeco-latini codex Harleianus septimo.

Rationem, quae inter duo glossaria bilinguia intercedit, bene illustrari putat Lindsay (Cyr.) glossis his: Ps.-Phil. 100, 35 exhibet *Cicuta κώνειον φάρμακον ἐν τοῖς Βουκολικοῖς καὶ β' Γεωργικῶν*, quae glossa male contracta esse videtur ex duabus, quarum alteram habet Ps.-Cyr. 337, 19 *Κάλαμος ἤτοι αὐλὸς ποιμενικός cicuta: Virg. in Bucolicis* (5, 8) '*hac . . . cicuta*', altera, quae legitur 357, 44 *Κώνειον haec cicuta*, non ad Vergilium, sed ad Horatium vel Iuvenalem videtur spectare. Porro glossam Festinam in Parisino Ps.-Philoxeni codice iam non exstantem servavit Ps.-Cyr. 348, 10 + 11 *Κεραννοβόλιον ἡμερινόν fulgur ⟨d⟩ium, K. ἀπὸ πρωὶ ἢ νυκτερινόν f. submanum;* cf. Paul. 75, 14. Glossae denique Ciceronianae ex Catil. II petitae, quas apud Ps.-Philoxenum graeco-latini glossarii ope Loewe detexit, supplentur hac Ps.-Cyrilli glossa 311, 8 *Ἐπιστάσιος Stator:* '*in aedem Iovis Statoris*' = Cic. Cat. II 12.

Non ad communem fontem referendae sunt cum aliae glossarii graeco-latini glossae, tum illae, quibus sive ex Charisii sive ex alterius grammatici arte depromptis lexicon suum auxit Ps.-Cyrillus (de his glossis egit Hoffmann; v. supra p. 25 sq.).

Idiomata generis, quae ex eodem codice Harleiano Goetz edidit (II 487–506), ex ipso Ps.-Cyrillo excerpta sunt; idem cadit in glossas

Laudunenses (II 553 sqq.[1])); itaque ad priorem glossarii bilinguis formam recuperandam nihil nos iuvant. Fragmentum Coloniense (II 561 sqq.) servavisse videtur glossam Ps.-Cyrilli 397, 26 (*Παραψηφιζω* cod. Harl.) integriorem 561, 40 *Παράψησις intertrigo.*

Vestigia magni illius glossarii latino-graeci, ex quo et Ps.-Philoxenus et Ps.-Cyrillus pendent, in aliis glossariis mere latinis deprehendi ut dudum v. d. intellexerunt, ita Lindsay passim monet. Inprimis huc pertinent 'glossae nominum', quas aliquo modo cohaerere suspicatur v. d. cum 'glossis Servii grammatici', quae et ipsae aliquo iure 'glossae nominum' dici possint; videtur enim illi necessitudo quaedam intercedere inter subscriptionem harum glossarum *HVC VSQVE POST* (l. *PLVS*) *MVNVS* (l. *MINVS*) *XII MILIA* (an ex *M.* = *Μέρη*? L.) *EXPLICIT FELICITER* et titulum, quem glossis nominum praefixum legimus *NVNC ALIAE XVI* (an *XII*?) *EXIGVAE* (sc. glossae = glossaria) *SECVNTVR*; sed cuiusmodi sit illa necessitudo, non satis liquet. Ex meliore Ps.-Philoxeni exemplari fortasse repetenda est glossa 527, 1 *Ofimentum ἦλος* (*elos* codd.), cf. 138, 18 *Offim.†πηλος*. In glossarii Amploniani secundi inscriptione quod legimus 'verba quoque vel nomina alia' inserta, inde Lindsayio orta est suspicio hic quoque agi de 'glossis verborum' et 'glossis nominum' easque esse frustula glossarii latino-graeci; sed tali coniecturae levissimae num qua vis tribuenda sit, equidem dubitaverim. Neque tamen nego in communi fonte, ad quem redeunt glossarium Amplonianum secundum, Amploniani primi partes posteriores, Cantabrigiense (coll. corp. Chr.) potuisse exstare, quae ex bilingui quodam glossario nescio qua via derivata erant (v. infra); quamquam ex ipsius Lindsayi de hac re disputationibus (cf. Aff. 188 sqq. et Corp. Ep. 79 sq.) rem satis incertam esse didici; idem docent notae, quas hic illic glossis Cantabrigiensibus in editione sua v. d. adspersit quaestionis signo plerumque apposito. Luculentissimum exemplum, quo quam lubrico nitamur fundamento ostenditur, adnotatio mihi praebere videtur ad glossam A 864 *Astur*, quam v. d. etsi ad 'Hermeneumatum' ordinem refert, tamen dubitat, utrum ex Abolita (Festo) an ex Abstrusa (schol. Vergil.) an ex Ps.-Philoxeno derivatam esse malit. Una tantum glossa maiore confidentia cum Ps.-Philoxeno conferri posse videtur, quae exstat in Ampl.[1] V 346, 41 et Cant. A 922 (cf. A 942): *Auxillae* (!) *alae minores*, cf. II 26, 43 *Auxillae* (!) *μικρὰ πτερά* (*μικροπτερα* cod.) *ὡς Βάρρων*; cui fortasse adicienda est altera glossa Ampl.[1] V 375, 7 = Cant. N 156 *Nocticula* (pro *Noctiluca*) *luna* (= L. gl. V 226, 25; Sang. IV 262, 21; Vatic. 1469 V 524, 10; Cass. 90 V 573, 28), cf. II 134, 17 *Nocticula* (!) *Ἑκάτη νυ-*

1) De his glossis cf. etiam Lindsay Et. lat. 128, ubi II 556, 50/51; 558 10; 15 ad sacram scripturam revocat.

κτοφαίνουσα (gl. nom. II 588, 8 *Nocticula Diana*): quae glossa nescio an ad Horati c. IV 6, 38 referri possit ('face Noctiluca' vel '-cam' codd.). Attamen quomodo pro Ps.-Philoxeni Ἑκάτη (νυκτοφαίνουσα nihil est nisi accurata lemmatis versio) in illis glossis *luna* substitui potuerit, mihi non satis liquet.

Manifestior res esse videtur in aliis glossariis, velut Ab absens et Abavus et A A vel Accipe, ubi haud raro graeca addita sunt interpretamenta (AA, Accipe) et interdum (Abavus) additum est illud ἀρχαίως, quod etiam in Ps.-Philoxeni glossario hic illic legitur [e. g. II 15, 13; 25, 6; 35, 7; 126, 25; 176, 11; cf. supra p. 131. Ex glossario Accipe afferam exempla haec: C 64 *Calluerat ἐτετύλωτο* (?), cf. II 454, 40; C 259 *Cunabula σπάργανα, initia infantiae*, cf. II 119, 2; E 98 *Equisio ἱπποκόμος* (?), cf. II 62, 25; F 77 *Framea ῥομφαία*, cf. II 73, 19; F 83 *Fornicae καμάρα*, cf. II 73, 6; H 40 *Hirundo χελιδών*, cf. II 476, 50; J 10 *Iantaculum βουκισμόν*, cf. II 259, 12; L 70 *Laquearia καλάθωσις*, cf. II 337, 13; L 71 *Lomentum σμῆγμα* (?), cf. II 124, 20; L 72 *Levir ἀνδράδελφος*, cf. II 120, 23; M 28 *Mannus βούριχος*, cf. II 127, 2; M 77 *Mango σωματέμπορος*, cf. II 450, 33; P 10 *Pocillator πιγκέρνης*, cf. II 407, 40; P 14 *Praestigiator ψηφοπαίκτης*, cf. II 157, 27; alia vide in Thielonis commentario. Hic p. 26 dissertationis suae memorabilem inter gl. Accipe et Ampl.[2] exstare consensum exemplis demonstravit, ex quibus apparet nonnullas Amploniani glossas, quibus ·g· additum est, accurate respondere glossis Accipe graeco interpretamento instructis, velut V 296, 38 *Framea rumphea ·g·*; 296, 13 *Fornice camae ·g·*; reperiuntur autem haec in eis Amploniani partibus, quas supra circumscribere conatus sum.]

Secundum Lindsayium (Bird n. p. 1 sq.; cf. Anc. l. p. IX) tria glossaria quasi quendam nucleum effecerunt plurimorum glossariorum, quae inde a quinto fere usque ad octavum saeculum composita sunt: 1) gl. latino-graecum, 2) gl. Abolita, 3) gl. Abstrusa. Ex his thesauris hauserunt modo plura modo pauciora qui recentiore aetate novos eius generis libros condiderunt. Materia autem, quae illis continetur vel continebatur, omnino bipertita est: ab altera parte stant glossae ex antiquis fontibus derivatae, in quibus pretio excellent glossae ex Festi libro et doctis veterum in Vergili carmina scholiis petitae, ab altera glossae ex variis variorum auctorum codicibus adnotatis collectae, quae omnino ipsis glossariis aetate non ita multum sunt superiores. Ex huiusmodi fontibus — si Placidi et Pseudo-Placidi glossas et Hermeneumata excipis — derivata est maxima pars reliquarum glossarum, quae cum excerptis ex tribus illis glossariis principalibus vario modo coniunctae et conmixtae in glossariis recentioribus inveniuntur. Unde sequitur satis magnam glossarum partem ad mediam quam vocant aetatem esse referendam. Quodammodo igitur eos, qui spera-

verant ex glossariis magnam antiquae doctrinae messem fieri posse, haec spes fefellit (Anc. l. p. V sqq.)[1]); neque tamen nihil lucri ex glossis mediaevalibus capimus, immo satis multum valent ad historiam linguae latinae [nec non graecae et saxonicae, ut de glossis palaeotheodiscis taceam, quae alio glossariorum corpore continentur] et studiorum liberalium melius cognoscendam [addam non pauca lemmata ex libris auctorum manuscriptis excerpta esse, qui eos aetate superant, quibus hodie uti possumus, quamquam lectionum propriarum atque bonarum copia non ita magna est]. In universum autem dicendum est pretium interpretationum, quippe quae ad monachos plus minusve doctos redeant, fere nullum esse; hoc cum ad alias glossas pertinet, tum ad Vergilianas, quae, glossarium Abstrusa si exceperis, ex variis poetae codicibus depromptae in nullo fere glossario desiderantur. Erraret igitur qui glossarium illud Vergilianum, quod vol. IV 427 sqq. editum est, vel glossarium Terentianum, quod Goetz in vol. V p. 529 sqq. publici iuris fecit, antiquis temporibus adscriberet.

Ab hac Lindsayi sententia non ita multum differre ea, quae Goetz supra exposuit, nemo non concedet; inprimis comparari iubeo quae hic de glossis Vergilianis et Terentianis p. 120 sq., p. 134 sq., p. 147 professus est. Ceterum cur de glossarii Abstrusa glossis Vergilianis viro illi d. assentiri non possim, cum infra pluribus expositurus sim, hic monuisse satis habeo eas glossas, quae cum veteribus in poetae carmina commentariis artiore vinculo coniunctae sunt, uno Libro glossarum vel potius exemplari eius archetypo nobis esse traditas. Minoris momenti est, quod de Festina quarundam glossarum origine cautius iudicandum esse arbitror, quam cum aliis Lindsay fecit; nam glossas, quae num revera ex libris de verborum significatu excerptae sint, aliquantum dubito, maximam partem ad fontes bonos atque antiquos redire minime nego.

Quod Lindsay (Anc. l. p. V) contendit a Goetzio non glossaria esse edita, sed antiquissima tantum illorum exemplaria manuscripta typis esse mandata neque Thesaurum glossarum emendatarum aliud esse nisi quoddam apparatus critici genus, hoc recte se habet; sed qui consideraverit, qua ratione quoque consilio hoc glossariorum corpus ex permultarum bibliothecarum tenebris evocatum atque compositum sit (cf. vol. II p. XLVI; supra p. 277), is facere non poterit quin accedat iis, quae Gundermann in Hebd. phil. Berol. XXI (1901) p. 974 sqq. de hac

1) Contendit v. d. (l. c. p. VI) illam spem eo auctam esse, quod Goetz in Th. gl. saepius similes veterum auctorum locos adnotavit; at is caute plerumque adposuit 'cf.', non ut certum fontem indicaret, sed ut viam, qua fortasse ad illum posset perveniri, ostenderet.

re optime exposuit. Neque vero Lindsayium ipsum aliter sentire habeo cur credam. Atqui Goetz identidem monuit rem esse incohatam, non ad finem esse perductam, unde elucet ipsum minime eum esse, qui haec studia amplius persequenda et promovenda neget. Sed num iustis principalium glossariorum editionibus, si modo fieri potest ut illa edantur, his praesertim temporibus opus sit, alia res. Nam fac ut aliqua saltem cum probabilitate, quae ad illa glossaria pertineant, ex variis recentioris aetatis collectionibus possint erui: cui bono sit praeter melioris notae glossas omnia iterum vel tertium typis excudi, quae aut vilissima aut tritissima ne in illis quidem glossariis deesse ipse v. d. docuit, equidem me non satis intellegere posse libere profiteor. Immo maiorem fructum nos capturos esse ex eiusmodi quaestionibus, quas Lindsay una cum discipulis instituit, mihi persuasum est; quae quaestiones ipsae documento sunt, quantae difficultates removendae sint, antequam ad certum finem pervenire possumus. Sed fortasse alio tendere virum d. ex specimine concludi potest, quod de avium nominibus proposuit: ibi enim reiectis omnibus aliis earum tantummodo glossarum rationem habet, quas ad tres illos fontes principales (Philox., id est magnum glossarium latino-graecum, a quo Ps.-Philox., Ps.-Cyrill., alii pendere videntur; Abolita; Abstrusa) referendas esse existimat. Sane hac ratione numerum glossarum valde restringi et thesaurum glossarum multo minorem, quam Goetzii est, effici posse concedo; sed quae v. d. composuit, ea non tam editionis illius exspectatae speciem praebent quam quaestionem de fontibus aliquot glossarum certo consilio selectarum; quam quaestionem ut gratissimam iudico, ita quid ex glossis, quales sunt *Anser χήν* (II 18, 18) Philox.; *Chelidon hirundo graece* (IV 33, 2) Abstr.; *Hirundo χελιδών* (II 68, 53) Philox.; *Sturnus ψᾶρος* (II 189, 54): *ψὰρ τὸ ὄρνεον* (II 480, 8) Philox.; similibus proficiamus, mihi non liquet.[1])

---

1) Glossarum magnam partem L. ex Charisio (vel Exc. Bob.) repetit: II 12, 57 et 13, 11 *Acceptor* et *Accipiter* ex GL I 98, 9; II 20, 34 *Aquila* ex I 57, 20 [= IV 576, 24]; II 24, 22 *Ardea* [?]; II 25, 45 et 42 *Auca* et *aucella* [?]; II 31, 26 *Bubo* (*γλαῦξ*) [?]; II 400, 46 *Ciconia* ex I 57, 20 [= IV 576, 57]; II 74, 13 *Fulica* ex I 57, 20; II 31, 57 et V 502, 9 [?] *Galbus* [?]; II 32, 27 *Ganta* [?]; II 34, 51 *Graculus* ex I 57, 19; II 125, 23/24 *Luscinia* ex I 552, 11 [= IV 574, 65]; II 129, 15 *Mergus* ex I 552, 12 [= IV 575, 3]; II 129, 19 et 519, 27 *Merulus* ex I 57, 16 [cf. IV 577, 39]; II 551, 63 et 203, 21 *Turdus* ex I 552, 21 [= IV 576, 2]; II 460, 38 *Turtur* ex I 552, 20 [= IV 575, 73]; II 265, 53 et 212, 43 *Vultur* et *Vulturius* ex I 98, 3. Addi potuerunt II 141, 15 *Palumbus*, cf. IV 575, 41, et II 142, 47 *Passer*, cf. IV 579, 40. Sed etsi plerasque earum quae attuli glossarum ex illa (vel simili) arte grammatica colligi potuisse concedendum est, tamen num revera inde depromptae sint, admodum dubium esse videtur, cum et aliae exstent in glossariis bilinguibus, quarum apud grammaticum nec vola nec vestigium, et omnia commodius

Sed ut ad rem tractatam accedam, omnes opinor ornithologiae quae dicitur studiosi nec non philologi, quibus linguae romanenses curae sunt, non sine fructu legent, quae Lindsay et Thompson, quem operae socium adsumpsit, de avium nominibus contulerunt. Haec omnia cum hic afferre longum sit, pauca adnotare satis habeo. Ac primum quidem Lindsayio in eo adstipulor, quod glossarum auctores, quippe qui non tam naturae quam librorum rationem habuerint, non semel in explicandis avium nominibus errasse contendit, id quod praecipue in eos cadit, quibus saxonicae interpretationes debentur. Quod ad singulas glossas attinet, illud *dieperdulum* (unde *perdulum*) nomen iocosum a rusticis ardeae impositum esse facile credet, qui illius avis consuetudinem piscandi observaverit. Glossam (V 272, 40) *Bubo avis* [*vel*] *nocturna* ⟨*vel*⟩ *palustris vel gufo vel sorex* (*rurex* cod.) *silvester* ex tribus esse contaminatam recte vidit v. d. (cf. Corp. ed. p. 196 ad Cantabr. B 163): *Bubo avis nocturna, Butio avis palustris* (german. 'Rohrdommel'; cf. Carm. de philom. 42), *Bufo sorex silvester*; ad bubonem pertinere illud *gufo* docent Itali, qui hodieque eodem nomine utuntur. Aliam glossam sine dubio contaminatam habemus II 142, 6 *Parra μύστης ὄρνεον, καρδαλλὸς ἢ ἀστραγαλίσκος* (cf. II 143, 1). Huius glossae primam partem ad eam avem referendam esse, quae a Graecis *αἰγοθήλας*, a Plinio NH X 115 caprimulgus vocatur, ideo non improbabile esse videtur, quia revera illa interdiu dormiens oculos *μύει*; eandem apud Horat. c. III 27, 1 et Festum 197, 13 et Plautum Asin. 260, fortasse etiam in Carm. de philom. 9 (parrus) intellegendam esse veri simile est; de Plin. l. c. XVIII 292 mihi non satis constat, quia quae auctor ibi de ave parra narrat, X 87 de oenanthe refert (cf. Aristot. H a. IX 36, 4); cf. etiam Hermen. *Parra* (vel *-us*) *αἰγίθαλλος* (v. Th. gl.). Altera glossa Lindsayio sic restituenda videtur ⟨*Cardellus*⟩ *καρδαλλὸς ἢ ἀστραγαλίσκος*, quod Thompson probat; mihi vero etiam de ⟨*Parrula*⟩ *καρδαλλός*, quod III 18, 3 legitur, cogitari posse videtur, nam parus cristata, quam nunc v. d. appellant, quodammodo similis est alaudae cristatae, quae proprie *καρδαλλός* a Graecis vocatur (alios ad alias aves cristatas hoc nomen transtulisse docet gl. III 319, 35 *K. upupa*). Ad tertium vocabulum graecum etsi comparari possunt glossae III 319, 51 et 52 *Ἀκανθυλλίς* (*-ος* cod.)

---

ex Hermeneumatum capite De avibus depromi potuerint, ubi etiam reperiuntur *Acceia, Anas, Bardala, Cardellus, Columba, Cornicula, Corvus, Ficedula, Fringillus, Gallina, Gallus, Grus, Milvus, Motacilla, Noctua, Olor, Pavo, Perdix, Pica, Picus* (*Martius*), *Regaliosns, Struthio, Vpupa*. Hunc consensum L. (p. 9) ita explicat, ut Hermeneumatis usos esse censeat, qui auctorum libros adnotaverunt, ex his autem adnotationibus pendere compilatorem glossarii latino-graeci; sed nescio an eiusmodi ambagibus opus non sit.

cardelus et *Ἀστραγαλῖνος c.*, tamen non neglegendum censeo apud Aristotelem (l. c. VIII 5, 4; IX 14, 2) voce *Ἀκανθυλλίς* avium genus paris simile significari. Quod *κορυδαλλός* latine *bardala* redditur (cf. II 28, 25; 353, 49; III 90, 9/10; 361, 14; 20), hoc Thompsoni ex *parrula* errore librarii ortum esse videtur, quod credi vix potest; fuit cum de *bardula* (a *bardus*) cogitarem, quod nomen iocosum non male ad mores aviculae illius quadraret. Avem, ad quam spectat glossa II 347, 12, apud Plinium X 109 *tinnungulum*, alibi sicut in illa glossa *titiunculum* audire Thompson (p. 21) monet; utrumque nomen a vocis acuto sonitu fictum esse (cf. *tinnire*) mihi probabilius videtur quam a *titio* vel *titus* derivatum, ut v. d. vult (fortasse etiam glossa *titiensis clangor*, de qua supra dictum est, huc recte trahitur; cf. Walde, 'Etymol. Wörterb.' s. v. Titulus); ceterum quae sint aves intellegendae, dubium esse non potest. Sed haec hactenus.

II. DE GLOSSIS FESTINIS

Quaestio de Festina quarundam glossarum origine multis obstructa est difficultatibus, quarum maxima in eo posita est, quod prior librorum de verborum significatu pars ad litteras A—L pertinens omnino interiit, partis posterioris quae servata sunt, ea satis amplis scatent lacunis. Habemus quidem totius operis epitomen a Paulo Diacono confectam, sed ab illo alia omissa, alia contracta, nonnulla plus minus mutata esse elucet ex comparatione earum partium, quae aut integrae aut paene integrae servatae sunt. Ab his igitur qui admodum firmo niti vult fundamento, proficisci debet, sicut profectus est Lindsay (Anc. l.) eas primo loco tractans glossas, quae ad litteras N Q R S referri posse ei visae sunt. Maioris autem momenti sunt, quarum lemmata a litteris N et Q incipiunt, quia talis Festinarum reliquiarum in his particulis condicio est, ut quid apud Festum exstiterit, nullo modo possit esse dubium. Iam videamus quae glossae ad Festum revocari possint. Legitur IV 123, 45/46 haec glossa *Nequinunt pro nequeunt, ut ⟨solinunt pro⟩ solent. 'Nequi⟨n⟩unt Graeciam redire'* (= AA V 467, 60/61), quae quam proxime ad Fest. 162, 24 accedit *Nequinunt pro nequeunt, ut solinunt, ferinunt pro solent et feriunt dicebant antiqui. Livius in Odissia 'partim errant nequinunt Graeciam redire'*. Porro IV 123, 6 *Nectere ligare* conferri potest cum F. 165, 2 *Nectere ligare significat* etc., et IV 124, 34 *Nectar potio deorum* (cf. Ampl.² V 313, 1; Cant. N 75) cum F. 165, 6 *Nectar graece significat potionem deorum* etc. Quas tres glossas si quis ex Festo desumptas esse contenderit, omnium facile habebit assensionem. Sed alias praeterea glossas ad Festum revocandas esse et sibi persuasit et nobis

persuadere vult v. d. Huc pertinet glossa IV 122,52*a* *Nenias deleramenta. sed proprie neniae carmen funebre* (cf. 123,37; 124,3 et 5; cod. Paris. V 119,43; A A V 467,52–54; cod. Sang. IV 261,39; Ampl.[1] V 374,1; Cant. N 54); comparat L. F. 161,13 *Naenia est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam* etc. Quae adeo diversa sunt ab illa glossa, ut summa de huius origine Festina oriatur dubitatio; accedit quod glossa ad certum nescio cuius auctoris spectat locum, ubi erat accusativus numeri pluralis (quo de v. G L I 33,17; V 428,11), cum apud F. numerus singularis exhibeatur; confirmatur haec sententia, eo quod significationi, quae illi loco adscribitur, propria et vulgaris opponitur. Quae cum ita sint, tantum abest, ut glossam ad Festum revocemus, ut propriam scholii brevissimi formam agnoscamus, qualis alibi quoque in his glossis cernitur. Similiter in aliis glossis, quas ad F. referendas esse L. censet, rem se habere consentaneum est. Velut IV 123,39 exstat glossa vix integra haec *Necturi oculorum frequentia* (= A A V 467,44 = Vat. 1468 V 507,51), quam cod. Sang. IV 261,37 exhibet sic *Nectari oculorum frequentia aperiri*, L. emendare studet hoc modo *Nictari oculorum frequenti apertione*. Quodsi ultima recte restituit v. d., interpretatio non ad verbum *Nictari*, sed ad substantivum *Nictu* pertinet, quam formam apud Caecilium habemus, quem Festus laudat. Minime vero glossa ex Festi adnotatione derivari potest, qui scribit 177,7 *Nictare et oculorum et aliorum membrorum nisu aliquid conari dictum est ab antiquis . . . unde quidam nictationem, quidam nictum, ut Caecilius* etc. Illud *Nictari* inde natum esse videtur, quod in fonte glossarii olim antecedebat glossa ad verbum *Nictari* spectans (apud Caecilium in Hymnide *nictentur*? an apud Novium *nictabere*? cf. Festus l. c.). Neque maiorem probabilitatis speciem habet illa coniectura, qua v. d. glossam A A V 468,3 (occurrit saepius in glossariis, v. Th. gl.) *Nictit canis, cum acute gannit* ad Fest. 177,16 *Nictit canis in odorandis ferarum vestigiis leviter ganniens* revocare conatur illud *acute* excerptoris neglegentia ex Ennii versu a Festo laudato (*voce sua nictit ululatque ibi acute*) pro *leviter* substitutum esse ratus; de glossa Enniana si quis cogitabit, me non habebit obloquentem, sed ex Festo eam esse depromptam minime concesserim. Eodem modo de glossa IV 367,24 (Abav. = Vat. 1471 V 544,43; gl. Scal. V 605,19) *Natinare negotiare* (*-ri* gl. Scal.) iudicandum esse videtur; F. enim 166,30 nihil habet nisi haec *Natinatio dicebatur negotiatio et natinatores ex eo seditiosa negotia gerentes. M. Cato* (*inter se natinari*), unde glossam illam fortasse ad Catonem spectare coniciat quispiam (v. Loewe, Prodr. 5 adn. 2). At si Festum excerpsisset glossarii auctor, vel *Natinatio negotiatio* vel *Natinatores seditiosi* (cf. Paul. et vol. IV praef. XVIII) exspectaremus. Deinde glossam A A V 467,45 (= Vatic.

1468 V 507,52) *Nefrendes infantes adhuc sine dentes* (*-ibus* Vat.) cum F. 162,12 comparat L., sed illic Ateius Capito (? v. Reitzenstein, 'Verr. Forsch.' 91 adn.) interpretatur *n. infantes esse nondum frendentes id est frangentes*; quam interpretationem cur neglexisse putandus sit glossae auctor, si re vera Festum exscripsisset, equidem non video. Idem cadere existimo in glossam IV 124,35 *Nebulo inductor, fallax* (= Ampl.[1] V 374,57; Cant. N 94); nam si F. 165,31 fons esset, facillime exhiberi potuit *N. nequam, nugator* neque ulla paraphrasi opus fuit. Hic quoque diversa interpretatio fontem indicat diversum. Eiusdem generis est glossa IV 126,10 *Noctipugam obscenum, quod quasi noctibus compungatur* (= AA V 468,26; L. gl. V 87,5), quacum conferri iubet L. Festum 174,6 ⟨*Noctipugam cum dixit Lucilius*⟩ *l. II, obsce*⟨*num significat . . . . .*⟩*c medica.* Congruit profecto interpretatio, sed originationis illius apud Festum nec vola nec vestigium; quam non est cur a glossarum compilatore demum additam esse sumamus. Immo qui animo non praeoccupato rem considerabit, is opinor et glossam et Festi adnotationem ad eundem fontem, glossam scilicet Lucilianam, redire censebit. Restat glossula *Nis nobis* uno cod. Sang. IV 261,51 tradita, quam si modo Festina est, non ex hac de qua agitur operis parte depromptam esse constat; cf. Paul. 47,3 *Callim . . . pro clam, ut nis pro nobis* etc.

Ad eam Festini operis partem, quae litteram Q amplectitur, una tantum glossula aliquo modo referri potest IV 558,58 (Aff.) *Quadrantale-amphora* (cf. Abav. mai. V 630,64), sc. ad F. 258,20 *Quadrantal vocabant antiqui, quam ex graeco amphoram dicunt* etc., quamquam ne hic quidem res est certissima. At quomodo ad eundem fontem revocari possit glossa IV 158,10 *Querquera est febris acris ac vehemens, quae cum magno frigore solet venire* (= Vat. 1468 V 512,6; Vat. 1469 V 525,23), cum apud F. 257,24 teste Paulo longe diversa exstitisse certum sit — *Querque*⟨*ram febrem gravem et mag*⟩*nam quidam* ⟨*a*⟩ *querc*⟨*u dictam volunt . . .*⟩ *Opillus frigidam a*⟨*it dici et cum horrore tremen*⟩*tem* etc. legitur in Muelleri editione —, mihi non liquet; nam Loewii coniectura (Prodr. 327 adn. 1), qui glossa illa nititur, satis incerta est neque maiorem efficit similitudinem aut necessitudinem; glossae vero auctorem Festi verba adeo commutasse, ut prorsus nova evaderet interpretatio, nemo veri simile iudicabit. Ad Lucilium vel Plautum pertinere glossam Loewio libenter concedo. De glossis IV 157,48*a* *Quercus* ⟨*genus ligni*⟩ *ilici similis aut ilex* (quam supplevit L. adhibita gl. IV 158,3 *Quercum genus ligni*, ubi Cass. *Quernum* exhibet; cf. AA V 478,20 et Aff. IV 559,25; Ampl.[2] V 326,47) et IV 158,4 *Quaesumus rogamus* (quae saepius exstat, v. Th. gl.) L. ipse dubitat, suo iure opinor; nam quae apud Paulum 259,1 leguntur, plane aliena sunt, nec qua de causa pro Festi-

nis 258, 13 (*Quaeso ut significat idem quod rogo, ita quaesere ... pro quaerere* etc.) prima numeri pluralis persona posita sit, ulla ratio potest agnosci; si vero glossam ad certum locum spectare sumis, res expedita est. Porro glossam AA V 478, 17 (= Vat. 1468 V 512, 11) *Quod si mentirim quod si mentitus fuerim* (*-rit* AA) non ex F. depromptam esse pro certo affirmari potest; de altera autem glossa, quam coniectura ad eundem fontem revocavit — IV 22, 41 + 159, 5 *Athenas a nomine Minervae dictas* (*-ti* codd.) + *quia graeco vocabulo Athenam* (*-as* cod. Vat.; gl. om. Cass.) *veteris dicunt* (*dicitur* cod.) —, iudicari nequit, de origine Festina dubitare licebit.

De glossis ad R litteram pertinentibus uberiorem vix capiemus fructum. Concedendum est glossa IV 160, 14 *Ratum certum vel firmum* (cum gl. IV 160, 9 contaminata saepius occurrit, v. Th. gl.) eandem exhiberi interpretationem, quam apud F. 274, 34 (*alioqui pro firmo, certo ponitur ratus et ratum*) legimus; quid inde sequitur? Eadem aliunde peti potuerunt, velut ex glossis Terentianis ad Hec. 545 vel Phorm. 951 (cf. Schlee, Schol. Ter. p. 146). Maior vis tribui potest consensui, qui intercedit inter glossam IV 160, 46 *Redivivum a vetustate renovatum* (= cod. Sang. IV 278, 13; *R. a morte aut a v. r.* saepius legitur, v. Th. gl.) et F. 273, 4 *R. est ex vetusto* (sic F.!) *renovatum. Cicero* etc., quamquam forma non prorsus eadem est. Incertior rursum res est in glossa IV 160, 51 *Relu*[*c*]*ere resolvere* (haec etiam Abav. IV 386, 4) † *aut lubere* (*ad luuere* Cass.; *ut luere* AA V 479, 10), quacum L. conferendum proponit F. 281, 28 *Reluere resolvere, repignerare. Caecilius* etc., et 270, 17 *Rediviam quidam, alii reluvium appellant, cum circa ungues cutis se resolvit, quia luere* (*qui at uere* cod.) *est solvere. Titinius* etc.; vix enim credibile est glossae auctorem alteram partem ex posteriore, alteram ex priore Festi adnotatione petivisse, et num re vera restituendum sit *ab luere*, quae originationis forma satis mira esset, admodum dubium est, quamquam in L. gl. legitur *Reluere resolvere*; *luere enim solvere est.* Simili ratione L. glossam AA V 478, 57 (= gl. Scal. V 609, 15) *Redantruare gratiam referre* ex Festo manasse conicit adhibitis duobus locis 270, 22 *Redhostire referre gratiam. Naevius* etc. et 270, 32 *Redantruare*, ubi in Pacuvi versu exhibentur verba *promerenda gratia*; quam coniecturam iusto audaciorem esse nemo non videt. (Conferri potuit Paul. 9, 12 *Antroare gratias referre*, sed ne hinc quidem multum lucramur; v. Th. gl. s. h. v.). Glossam IV 160, 13 *Ratibus navibus* (= Aff. IV 560, 33; cod. Paris. V 141, 18) ne ex F. 273, 22 derivemus (*Rates ... interdum etiam naves ipsae significantur* etc.), ipsa lemmatis forma impedimur, quae ad certum auctoris locum spectat (de Accio cogitare possis, quem F. laudat). Ad Apuleium Met. X 24 referri posse glossam IV 164, 28 *Rivales* (= L. gl. V 97, 11)

etsi ipse indicat, tamen propter ambitum ad Festum revocare mavult v. d.; quod ne acceptemus, monet glossae forma scholiorum propria (cf. *proprie tamen rivalis est* etc.). Glossa AA V 480, 52 *Ruspari requirere* cum F. 265, 25 *R. est quaerere crebro* comparari potest, item gl. cod. Sang. IV 280, 35 *Rorarius miles qui primus* (vel *-o*) *in bello pugnam* (vel *proelium*) *committit* cum P. 264, 8 *Rorarios milites vocabant, qui levi armatura primi proelium committebant* etc., sed de Festo harum glossarum auctore minime constat. Idem valet de glossa AA V 479, 54 (= Vat. 1468 V 513, 2; gl. Scal. V 609, 26) *Retanda purganda* collatis Festi reliquiis 273, 34, quas Gellii (n. a. XI 17, 4) auxilio Vrsinius supplevit. Cum Festo 262, 1 *Runa genus teli significat . . . Ennius 'runata recedit' id est proeliata* comparantur hae glossae: AA V 480, 47 *Runa pugna* (= Vat. 1471 V 545, 29; gl. Scal. V 609, 32; Abav. mai. V 631, 19) et *Runata praeliata* (V 545, 30; 609, 33; 631, 20; AA V 480, 48 *suspicata* pro *pr.*), quae ex eodem fonte manarunt (cf. cod. Sang. IV 280, 45 *Ruma mamma, aliter pugna* = cod. Cass. 90 V 578, 6: contractae sunt glossae *Ruma* et *Runa*); propter diversam vocis *Runa* explicationem de Festo auctore cogitari vix potest. De reliquis quas L. contulit glossis non est quod pluribus disputemus: omnia enim incertis sunt incertiora.

Restant glossae ad S litteram pertinentes, quarum ex numero admodum paucae ita comparatae sunt, ut ad Festum eas revocare audeas: IV 166, 18 *Sandaraca genus coloris* (= Aff. IV 564, 17; AA V 481, 17) coll. F. 325, 11 *Sandaracam . . . ⟨coloris genus⟩ quod Graeci* etc. (laudatur Naevius); IV 173, 27 *Sospes salvus* (= cod. Sang. IV 287, 9; forma auctior saepius occurrit, v. Th. gl.) coll. P. 300, 10 *S. salvus*; IV 175, 21 *Squalidus incultus* (= cod. Paris. V 152, 10; cf. Abav. IV 393, 10; Aff. IV 565, 18) coll. F. 329, 22 *Squalidum incultum et sordidum* etc.; IV 177, 36 *Suopte suo ipsius* coll. F. 310, 8 *S. suo ipsius, ut meopte* etc. His addas IV 173, 28 *Sontes rei, nocentes* (= Aff. IV 569, 18; cod. Paris. V 151, 23; cf. gl. Abstr. IV 173 21 *Sontes nocentes*, quae saepius exstat, v. Th. gl.) coll. F. 290, 24 *Sonticum morbum . . . quod sontes significat nocentes* etc., IV 173, 31 *Socordia stultitia vel nequitia* (cf. 173, 44 *S. st. aut neglegentia*; cod. Sang. IV 286, 48 *S. st.* = Ampl.[1] V 388, 27; Cant. S 393; al.) coll. F. 293, 6 *Socordiam quidam pro ignavia posuerunt, M. Cato pro stultitia posuit* etc.; V 243, 24 (L. gl.) *Scrattae despectae, nugatoriae* (= Vat. 1468 V 516, 1) coll. F. 333, 29 *Scraptae dicebantur nugatoriae ac despiciendae mulieres* etc. (cf. Loewe', Prodr. 281); AA V 482, 30 *Sodes si audes* (gl. vulgaris, v. Th. gl. et adn. ad Donat. in Ter. Andr. 85, ubi addas schol. ad Pers. III 89) coll. F. 297, 31, qui Ter. Andr. 85 laudat; AA V 484, 63 *Sucerdae* (*Superbe* codd.) *stercus suillum* (= Vat. 1468 V 514, 43; cod. Sang. IV 288, 33 *Sucerda stercus ouile*) coll. F. 302, 8 *Su-*

cerdae stercus suillum ... Titinnius etc.; AA V 481, 19 *Sapsa res ipsa † uel inaequalis* coll. F. 325, 28 ... *ait sapsam pro ipsa nec alia* ... (unde L. in glossa *nec alia* scripsit; at cf. V 243, 2); AA V 484, 57 *Sum † panem* coll. F. 298, 2 *Sum pro eum usus est Ennius* etc. (inde *pro eum* restituit Landgraf); AA V 485, 2 *Surus surculus* (= Vat. 1468 V 514, 47; gl. Scal. V 610, 15) coll. F. 297, 34 *Surum dicebant, ex quo ⟨per deminutionem surculus in⟩ usu est. Plautus* etc.; AA V 482, 20 *Sispes sospes, id est beatus* (gl. Scal. V 610, 6 = Abav. mai. V 631, 38 *S. s. sanus*) coll. F. 343, 14 *Sispitem Iunonem, quam vulgo sospitem appellant* etc.

Haec fere sunt omnia, quae sine aliqua difficultate ad Festum referri possunt; num referri debeant, alia res. Alium fontem aperte produnt: IV 166, 35 *Solocioribus* (*Salac-* cod.) *velleribus crassis* (*gratis* cod.) *et asperis* (= Vat. 1468 V 513, 12); IV 167, 46 *Scaptensulas argentifodinas*; IV 180, 5 *Sutelis* (*subtiles* codd.) *subreptionibus et fraudibus*, quippe quae ad certos certorum auctorum locos (*Sutelis* Plaut. Cas. 95) spectent; quo accedit, quod apud Festum diversa legitur interpretatio (301, 6 *Solox lana crassa et pecus* etc.; 330, 12 *Scaptensula locus ubi effoditur argentum in Macedonia* etc.; 310, 27 *Sutelae dolosae astutiae* etc.). Glossam quae IV 179, 45 (= Vat. 1468 V 514, 21) legitur *Submussim murmuranter vel timide*, L. varia lectione codicis Cass. (*murmurantes*) usus postquam in *Summussi murmurantes vel timidi* mutavit, cum F. 298, 27 comparat, ubi est *Summussi dicebantur murmuratores. Naevius* (*summussos*) etc.; sed praeterquam quod ne sic quidem plenus efficitur consensus, non est quod de adverbio *submussim* dubitemus, quod etiam gl. AA V 484, 59 *Summussim clam, occulte* et gl. Aff. IV 571, 53 *S. † conpletio* (v. Th. gl.) defenditur neque quicquam habet offensionis. Ex Festo desumptam esse censet L. glossam IV 179, 16 *Sublicius pons qui⟨a⟩ inter eius materiem aqua subliquitur*; sed si F. 293, 15 inspexeris, cognosces eandem originationem subesse, quam 'quidam' (?) apud F. protulerunt *⟨quod sub eo⟩ aqua liquens ⟨laberetur⟩*, verba ipsa longe esse diversa. Idem valet de glossa IV 179, 43 *a* (cf. gl. Scal. V 611, 38) *Subcenturiatus*, quae cum non prorsus congruat cum F. 306, 25, eo confugit v. d., ut aut alteram glossam ad idem lemma spectantem apud Festum intercidisse aut eam quae praesto est a glossarii compilatore retractatam sumat: neutrum probaverim. Neque magis arridet coniectura, qua v. d. glossam IV 180, 1 *Suppara paulo minus quam paria* (*-am* Vat., om. Cass.), *vel tunicae quae et subuculae dicuntur* (*dicitur* Vat., om. Cass.) cum Festo conectere studet; nam altera glossa — de duabus glossis male contractis agi manifestum est — cum F. 310, 10 *Supparus puellare dicebatur vestimentum lineum, quod et subucula appellabatur* ex parte tantum consentit, de genere vocis ab illo differt (cf. Nonius 540, 8; Prisc. GL II 169, 17; inprimis Lucan.

II 363 sq. *umerisque haerentia primis suppara nudatos cingunt angusta lacertos* cum scholiis). Item glossam IV 180, 2 *Sudum serenum post pluviam, dictum a sudore humoris*; *vel quasi semiudum*; *vel siccum id est sine udo* (*dubio* codd.) vix quisquam pendere sibi persuadebit a F. 294, 28 *Sudum* ⟨*. . . ai*⟩*t significare sub*⟨*udum . . . . sud*⟩*us siccum significet.* ⟨*itaque sudum quasi seudum id*⟩ *est sine udo* etc., etsi extrema adeo congruunt, ut ad eundem fontem ultimum utramque originationem revocandam esse perspicuum sit; at maior glossae pars quam proxime accedit ad scholia Vergiliana (Serv. c. add. ad G. IV 77 et Aen. VIII 529), quibuscum cf. Non. 31, 14. Denique ad glossam IV 180, 10 *Sucula*⟨*s H*⟩*yadas* (*sad-* codd.) *graece, Virgilias* (*latine* suppl.?) quod attinet, Hyadas et Pliadas glossae auctor eodem modo confundit, quo 'quidam' apud Serv. Dan. ad Aen. I 744; ex Festo 301, 28 (*Sucula . . . eodem nomine nostri stellas quinque d*⟨*icunt, quas appellarunt a plu*⟩*via Hyadas Graeci* etc.) vix sua petivit, neque magis glossam IV 180, 5 *a Subantes libidinantes* (= cod. Sang. IV 288, 17; cf. AA V 484, 17; Vat. 1468 V 514, 16) ex F. 310, 10 sqq. hausisse credendus est, praesertim cum glossa ad certum auctoris locum spectare videatur. Quod inter glossam Ampl.[1] V 389, 31 et Ampl.[2] V 331, 63 (= Cantabr. S 218; adde V 332, 1) et F. 340, 28 (et 317, 5?) quaedam cognoscitur similitudo quamvis exigua, id ipsa re effectum esse apparet; de Festo glossae fonte minime cogitari potest. Quae praeterea L. ut Festina affert, ea vix digna sunt, in quibus diutius moremur: non agitur nisi de meris coniecturis. Etenim quomodo cum eo contendas, qui quae ad Festi reliquias revocari non possunt, ea in iis operis partibus, quae aetatem non tulerunt, exstitisse contendit, equidem non video. Ex iis autem quae adhuc disputavimus id elucere crediderim satis exiguum glossarum numerum ex Festo posse derivari; qua in re id summi momenti esse censeo, quod in litteris N et Q, quae partes operis Festini integrae servatae sunt, quattuor omnino glossae ad illum referri possunt, in quibus sunt glossae tres admodum triviales (*Nectere, Nectar, Quadrantal*); sola igitur relinquitur glossa *Nequinunt*, cui aliqua vis tribui posse videatur.

De glossis quae ad reliquas litteras pertinent quoniam brevius rem absolvere in animo est, id praemonitum velim me ad unam omnes quas v. d. attulit glossas diligentissime cum Festo et Paulo comparavisse; sed ut chartae parcam, eas tantummodo tractabo, de quibus utrum ad Festum referendae sint necne revera disputari potest.

Ex littera M inprimis afferenda est glossa IV 115, 19 *Metalli dicuntur in lege m*⟨*ilitari* ***⟩ (= AA V 465, 45), quacum cf. F. 146, 30 *M. d. in l. m. quasi mercennarii*; accedit IV 121, 4 *Muscerdas dicebant antiqui* ⟨***⟩ (= AA V 467, 8), cf. F. 146, 24 *M. prima syllaba producta*

dicebant antiqui stercus murum. Porro cf. IV 114,43 *Mavors Mars* (v. Th. gl.) cum P. 147,6 *Mavortem poetae dicunt Martem*; IV 115,17 *Memorare dicere vel perhibere* cum P. 124,16 *M. significat nunc dicere, nunc memoriae mandare*; IV 116,37 *Mensularium nummularium, quem Graeci trapezita vocant* cum P. 124,17 *Mensari nummulari*; IV 120,41 *Mundus caelum, orbis terrarum* (cf. Aff. IV 539,46) cum P. 143,1 *Mundus appellatur caelum, terra, mare et aer*; IV 121,3 *Muttire levitur loqui* (= AA V 467,22) cum F. 145,26 *M. loqui. Ennius* etc.; IV 121,34 *Munus donum* (? = Abstr. 120,25) [*Manifest(at)um visibile vel certum* = Abstr. 113,35] cum P. 140,12 *M. significat officium .... item donum, quod officii causa datur*; AA V 467,24 *Murrina potio divina, quae apud Graecos dicitur nectar, id est vinum murratum* (= Aff. IV 539,31; cf. cod. Cass. 90 V 572,37; cod. Sang. IV 257,33) cum P. 144,9 *M. genus potionis, quae graece dicitur νέκταρ. hanc mulieres vocabant muriolam, quidam murratum vinum* etc.; AA V 466,40 *Mullei calcei quem antiquitus reges habere soliti erant* (= Vat. 1468 V 507,41) cum F. 142,25 *Mulleos genus calceorum aiunt esse, quibus reges Albanorum primi, deinde patricii sunt usi. M. Cato* etc. Haec omnia praeter duas glossas primo loco positas satis dubia esse nemo non intellegit; nam similitudo non tanta est, ut nisi de Festo auctore cogitari non possit; immo aliam originem ut statuamus sunt quae suadeant (e. g. illud *leviter* glossae *Muttire*, quam ad Ter. Andr. 505 rettulit Gnueg, ex F. peti non potuit; glossae *Murrina* formam cur mutaverit excerptor, causa probabilis non cognoscitur etc.)[1])

O: IV 128,15 *Obbrutuit obstupuit* (= Aff. IV 546,47; Ampl.[1] V 376,41) cf. P. 187,2 *O. o. a bruto* etc.; IV 128,27 *Obmoveto promoveto* (*-ito* cod.) †*dant* (= AA V 469,57; *pro admoveto apud antiquos* Goetz; *pro moveto adante* Lindsay), cf. F. 202,33 *Obmoveto pro admoveto dicebatur apud antiquos* etc. (cf. F. 178,19); IV 132,2 *Offucias fallacias a fuco* (cf. Vat. 1468 V 508,30; Cass. 90 V 574,7) cf. P. 192,8 *Offucias fallacias.* Aliquo modo comparari possunt IV 128,10 *Obnubit operit vel tegit* (? cf. Abstr. 129,5 et 129,1; AA V 470,9) cum P. 184,4 *Obnubit caput operit* etc.; IV 128,19 *Obesus crassus vel pinguis* (= gl. Verg.

1) Glossam IV 119,28 *Monstra — demonstrent* ad verbum ex August. De c. d. XXI 8 translatam esse moneo, a quo auctore ex parte etiam Isid. Or. XI 3,1—3 pendet. Ad glossam IV 121,27 *Municipales* adnotandum eadem exhiberi ab Isid. Or. IX 4,22 (ubi etiam *in locum* codd. BCT) et Diff. verb. 371, cuius differentiae pars prior ad Placidum V 32,17 = 85,13 = 118,41 redit (cf. Isid. Or. IX 4,21). Quam glossa IV 115,12 *Mediotellum medium terrarum* (= AA V 465,14) praebet interpretationem, ea diserte reicitur a Festo (cf. P. 123,20), qui formam *meditellium* originandi causa finxit.

IV 455, 21 ad G. III 80, ut ipse L. indicat) cum P. 188, 12 *Obesus pinguis quasi* etc.; IV 132, 3 *Offendix nodus proprie, quo apex flaminum restringitur et remittitur* (= Vat. 1468 V 508, 28; Cass 90 V 574, 6) cum F. 205, 2 *Offendices ait esse Titius nodos, quibus apex retineatur et remittatur* etc. (ad communem fontem potius referenda); IV 133, 36 *Orator legatus vel causidicus* (? cf. Aff. IV 543, 27; Ampl.[2] V 317, 1; gl. vix ad Ter. Hec. 9 pertinet) cum F. 182, 29 *Oratores ... eos nostri alii pro legatis appellant* etc.[1])

P: IV 136, 5 *Palpare blandire* (cf. Abav. IV 373, 24; Aff. IV 548, 5; Ampl.[2] V 317, 43; Cant. P 32) cf. P. 220, 14 *Palpari blandiri*; IV 138, 42 *Perlexit* (*Perp-* vel *Persp-* codd.) *in fraudem induxit* (cf. IV 140, 16; 32 et Abstr. 139, 17; cod. Sang. IV 270, 7; Aff IV 549, 37; 553, 4; ad Ter. Phorm. 68? cf. Don. et Eugr. ad h. l.; certe IV 140, 13 ad Ter. Eun. 817, 140, 17 ad Ad. 578 referri possunt) cf. P. 207, 1 *Pellexit in fraudem induxit*; IV 138, 44 *Perpetem perpetuum* (*-us* hic codd.; recte 140, 34; = Aff. IV 552, 47; L. gl. V 233, 1) cf. F. 217, 10 *Perpetem pro perpetuo dixerunt poetae* etc.; IV 139, 2 *Perpetrat peragit* (= Abav. IV 376, 23; Aff. IV 550, 49; cf. Sang. IV 271, 17) cf. F. 217, 29 *Perpetrat peragit, perficit* etc.; IV 143, 16 *Pipatio* (*-ado* codd.) *clamor † putantes* (= A A V 473, 54; Vat. 1468 V 510, 30) cf. P. 212, 9 *P. cl. plorantis lingua Oscorum* (integra glossa, quae codice Vat. 1469 videtur esse servata — v. vol. IV praef. XVIII —, cum illud *lingua Oscorum* non agnoscat, diversam a Festo originem prodit); IV 151, 14 *Profanum* ⟨*h*⟩*abes parvi pendetur* (= A A V 477, 13; *Prouanum aues* utr. loco; *partui perd-* cod. Vat.; cod. Cass. gl. om.) cf. F. 229, 7 *Profanum quod non est sacrum* ⟨... *Plautus*⟩ '*sacrum an profanum habeas parvi penditur*' (inde L. glossam supplet, fort. recte); cod. Sang. IV 268, 6 *Patago genus morbi* (= gl. Scal. V 606, 62; Abav. mai. V 630, 30) cf. P. 221, 3 *Patagus morbi genus.* Praeterea Festinis plus minus similes sunt glossae hae: IV 136, 42 *Paulisper parumper* (et 48 *a Parumper perparum*), cf. P. 221, 18 *Parumper significat paulisper quasi perparvum* etc.; IV 144, 37 *Planca* (*-at* Vat.) *pedibus latis, quae* (*qui* Vat.) *planas et latas habet plantas, quam Vmbri ploton vocant* (= A A V 473, 62) cf. (F. 230, 12 *Plancae tabulae planae, ob quam causam et Planci appellantur, qui supra modum pedibus planis sunt* et) 238, 31 ⟨*Plotos appellant*⟩ *Vmbri pedibus planis* ⟨*natos*⟩ etc.; IV 145, 13

1) In glossa IV 134, 16 (= Abav. IV 372, 34; Ampl.[1] V 377, 25; Cantabr. O 266) *Ordinarius miles qui integro ordine militat* L. quaerit, num pro *integro* legendum sit *infimo*, quia apud F. 182, 32 est *Ordinarium ... manipularem ... quia infimi sit ordinis appellatum*, sed mutatione opus non est; diversa est Festi interpretatio. Deinde v. d. gl. IV 134, 34 a, quae in solo Cass. exstat, cum F. 202, 28 confert; at nisi omnia fallunt, de interpolatione recentissima agitur, quae a P. 203, 3 *Orcus ab urguendo mortem dictus* etc. videtur pendere.

Plutei proprie crates corio contectae, quae in opere faciendo hostibus (!) *obiciuntur* (= A A V 474, 9; cf. Vat. 1468 V 510, 41; Isid. Or. XVIII 11, 3!) cf. F. 230, 22 *Plutei dicebantur crates corio crudo intentae, quae solebant opponi militibus* (!) *opus facientibus* etc.; IV 148, 2 ⟨*Postumus*⟩ *qui post mortem patris nascitur* (cf. Abstr. IV 146, 34 = V 548, 50 *P. post m. p. natus*) cf. F. 238, 2 *P. cognominatur post patris mortem natus*; IV 151, 23 *Propudium a quo longe pudor abest* (= A A V 476, 50) cf. P. 227, 3 . . . *quidam propudium putant dici, a quo pudor et pudicitia procul sint* (cf. gl. cod. Vat. 1469 vol. IV praef. XVIII); IV 151, 26 *Prodigit consumit, unde prodigus* (*-gium* codd.) cf. P. 228, 5 *Prodigere est consumere, unde et prodigus fit*; cod. Sang. IV 266, 43 + 267, 6 *Paludamenta ornamenta militum, unde hi qui in provinciam proficiscuntur paludati vocantur*, cf. F. 253, 2 *Paludati . . . armati, ornati: omnia enim militaria ornamenta paludamenta dici* (et glossam et Festum ad Varronem redire coll. De l. l. VII 37 veri non est dissimile); A A V 475, 54 *Procastria aedificia ante castra vel quae ante portas sunt* cf. P. 225, 12 *Procestria* (!) . . . *Aelius pr. aedificia dixit esse extra portam, Artorius procastria quae sunt ante castra* (cf. Vat. 1469 V 525, 27; Cass. 90 V 575, 57); IV 151, 13 *a Prosapia progenies sive propago* (= Cass. 90 V 576, 61; A A V 476, 60 add. *ut rustici*) cf. P. 225, 14 *Prosapia progenies id est* etc.; A A V 477, 40 *Puticuli quo* (*qui* codd.) *cadavera proiciuntur* (= Vat. 1468 V 512, 2; Vat. 1471 V 545, 8; gl. Scal. V 607, 27) cf. F. 217, 13 et P. 216, 6.[1])

T: glossae, quae nullo negotio ad Festum revocari possint, non exstant praeter hanc cod. Sang. IV 291, 50 *Tetini tenui habui* (= Vat. 1468 V 516, 47) cf. P. 366, 11 *Tetini pro tenui*; comparari aliquo modo possunt hae: IV 183, 4 (181, 36 *a*) *Tartarus locus apud inferos tenebris confusus, ubi impiorum animae detruduntur* (= cod. Paris. V 156, 10; gl. Verg. ad Aen. VI 577?) cf. F. 359, 25 *Tartarino cum dixit Ennius, horrendo et horribili Verrius vult accipi a Tartaro, qui locus* (*est*) *apud inferos*; Aff. IV 575, 56 *Tuditantes verberantes, saepius tundentes* (cf. Ampl.[2] V 334, 13; Ampl.[1] V 398, 2; Cantabr. T 333 *T. saepe t.*) cf. F. 352, 25 *Tuditantes tundentes negotium id est agentes* etc. (glossa Enniana ut videtur); cod. Sang. IV 293, 5 *Tomix restis* (*v-* codd.) *leviter torta* (= Vat. 1468 V 517, 2) cf. F. 356, 2 *Thomices graeco nomine appellantur ex can-*

1) L. glossam IV 136, 22 *Papillae mamillae vel* (*sive* Cass.) *capita* sic correxit *P. mamillarum capita*, ut similior fiat Festinae apud P. 220, 12 *P. capitula mammarum, dictae quod papularum sint similes.* At coll. L. gl. V 231, 2 (cf. Isid. Or. XI 1, 75) potius in glossa *mammillarum* supplendum; duae igitur sunt interpretationes. — Glossae IV 147, 8 *Pomerium regio determinata certis signis* simillima sunt, quae Vrsinius in Festi reliquiis miserrimis 250, 5 supplevit; sed haec ex Gellio XIII 14, 1 petita sunt, qui quonam ex fonte hauserit (ad augures, qui libros de auspiciis scripserunt, nos relegat), incertum est.

nabi inpolita et sparto leviter tortae restes etc. (gl. Lucil.); Sang. IV 293, 29 *Trossuli equites Romani cum equis publicis*, cf. P. 367, 20 *Trossuli equites dicti quod* etc.; A A V 486, 19 *Tiberis a Tiberino rege sic nominatum* (?), *cum prius Albula vocaretur*, cf. P. 366, 2 *Tiberis fluvius dictus a Tiberino rege Albanorum* etc. (a Varrone utraque glossa pendere videtur, cf. De l. l. V 30 et Serv. Dan. ad Aen. VIII 330, Serv. ad Aen. III 500; ex schol. Verg. hausit Isid. XIII 21, 27); A A V 487, 38 *Tullii rivuli*, cf. F. 352, 34 *Tullios alii dixerunt esse silanos, alii rivos, alii* etc.; A A V 485, 30 *Taura sterilis* (= cod. Sang. IV 290, 17; Abav. mai. V 631, 46); cf. F. 352, 15 *Tauras vaccas steriles appellari ait* etc.; IV 185, 44 *Tolleno genus machinae aquariae, ita dictum, quod alternis attollitur vel quod tollat haustam aquam* (= A A V 486, 29) cf. F. 356, 8 *Tolenno est genus machinae, quo trahitur aqua alteram partem praegravante pondere*; *dictus a tollendo*.[1])

V: A A V 489, 42 *Viduertas calamitas* (Vat. 1468 V 518, 46 addit *miseria*) cf. P. 369, 15 *V. c. dicta quod viduet bonis*; comparari potest glossa IV 193, 40 *Vitiligo macula alba in corpore*; *alfon Graeci et psoram vocant* (= Abav. mai. V 637, 23) cum P. 369, 16 *Vitiligo in corpore hominis macula alba, quam Graeci ἀλφόν vocant* etc. (glossa Luciliana).[2])

A: IV 12, 11 *Aenatores cornicines* (= Cantabr. A 350; *liticines* add. Ampl.[2] 262, 33; eadem addito *tubicines* Aff. IV 475, 33 [cf. IV 12, 2 et 11, 47 Abstr.; V 262, 48; al.]; pro *tubic.* habent *id est cornu vel calamo cantantes* (vel *canentes*) Abav. IV 306, 1; A A V 437, 46, quod cod. Sang. IV 204, 18 omissis aliis interpretamentis exhibet; lemma ubique praeter A A est *Aeneatores*) cf. P. 20, 7 *Aenatores cornicines dicuntur, id est cornu canentes*; IV 13, 2 *Affatim* [*statim continuo vel*] *abundanter* (v. Th. gl.) cf. P. 11, 15 *Affatim . . . abundanter* etc.; IV 13, 39 *Aegrum* ⟨*a*⟩*nigrum* (?? *Atrum n.* Th. gl.) cf. P. 6, 14 *Aegrum ex graeco ἀνιγρόν appellatur* etc.; IV 13, 40 *Agonia hostia* (gl. vulgaris, v. Th. gl.) cf. P. 10, 9 *Agonium* . . .

1) Glossam cod. Sang. IV 291, 38 *Tesqua deserta, aspera* (= Vat. 1468 V 516, 45) ex Festo 356, 14 petitam vix est credibile, quippe qui *tesca* loca secundum Ciceronem *aspera*, *difficilia aditu* esse interpretetur; vox *deserta* nisi in Acci versu ibi laudato non reperitur; similior est Ps.-Philoxeni glossa II 197, 47, quae fortasse ex scholio ad Horat. epist. I 14, 19 pendet. — Glossa IV 183, 29 (= 184, 15 *a*) *Tela arma a tendendo dicta* etc. quomodo ex Festo 364, 27 derivari possit, qui tela *ex Graeco translato nomine*, scil. a τηλόθεν, dicta contendit, equidem non intellego. Cum glossae interpretatione cf. Donat. ad Ter. Phorm. 213; cum Festo facit Serv. ad Aen. II 468 (VIII 249; IX 607), a quo pendet Isid. Or. XVIII 7, 10.

2) Glossam cod. Sang. IV 296, 49 *Vola manus cava in medio, unde involare dicimus* ex Festo (cf. P. 370, 7 *Volae vestigium medii pedis concavum*; *sed et palma manus vola dicitur*) manasse vix quisquam credet. Glossam IV 192, 49/48 *Vir a virtute nomen accepit* etc. Thomson ad Abstr. pertinere et ex scholiis Vergilianis desumptam esse censet.

hostiam enim antiqui agoniam vocabant etc.; IV 15, 15 *Alma sancta, clara* [*vel lucida aut candida*] (gl. vulg., v. Th. gl.), cf. P. 7, 9 *Alma sancta sive pulchra* etc.; IV 17, 25 *Anclare haurire, implere* (*i.* om. Cass.) cf. P. 11, 10 *Anclare haurire a graeco descendit* etc.; IV 20, 27 *Arma proprie dicuntur ab armis* cf. P. 3, 13 *Arma proprie dicuntur ab armis* etc.; IV 20, 37 *Armillum vas vinarium* (= L. gl. V 168, 29; Ampl.^{2} V 267, 22; A A V 441, 24; Cant. A 782; cf. Aff. IV 480, 33; Ampl.^{2} V 265, 36; gl. Scal. V 590, 27; Placid. V 6, 13) cf. P. 2, 5 *Armillum vas vinarium* etc.; IV 24, 1 *Aullas quas ollas dicimus* (= Abav. mai. V 632, 39) cf. P. 23, 13 *Aulas antiqui dicebant, quas nos dicimus ollas* etc. (cf. etiam Non. 543, 5); Ampl.^{2} V 261, 57 *Adsciscere adsumere* (= Ampl.^{1} V 344, 18; Cant. A 264) cf. P. 14, 12 *Adsciscere est adiungere vel adsumere*; Ampl.^{2} V 260, 8 *Abarcet prohibet* (= Abav. mai. V 625, 2) cf. P. 15, 13 *Arcere prohibere est. similiter abarcet prohibet* etc. (cf. P. 25, 16); Ampl.^{2} V 266, 40 *Ancti excruciati* (= Aff. IV 482, 14), cf. P. 29, 8 *Anctos excruciatos*; A A V 437, 55 *Aestimiae aestimationes* (= cod. Sang. IV 204, 21) cf. P. 26, 8 *Aestimias aestimationes.*

Comparari possunt: IV 23, 11 + 4, 24 *Ausonia Italia dicta ab Ausonio Vlyxis et Calypsus* (*-is* codd.) *filio* cf. P. 18, 1 (glossa propius abest a Serv. Dan. ad Aen. III 171); IV 16, 23 *Amites fustes aucupales* (= Aff. IV 479, 16; L. gl. V 166, 12; Ampl.^{2} V 265, 7; Ampl.^{1} V 345, 20) cf. P. 21, 5 *Amites perticae aucupales* (cf. A A V 439, 31 *A. perticae aucupum* et 441, 58 *Aucupales, in quibus retia suspenduntur*); IV 19, 36 *Aquileum fuscum nigrum* (v. Th. gl.) cf. P. 22, 2 *Aquilus color est fuscus et subniger* etc. (? ?); IV 21, 18 *Arci[s]tes sagittarius* (= Ampl.^{1} V 339, 40; Cant. A 758; cf. Ab abs. IV 406, 13; A A V 441, 2; gl. Scal. V 591, 15) cf. P. 20, 18 *Arquites arcu proeliantes, qui nunc dicuntur sagittarii*; Abav. IV 305, 32 *Adversus contrarium vel †adversi* (*e diverso?* cf. IV 8, 33) cf. P. 15, 10 (14, 17 ed. Linds.) *Adversus aut contrarium significat aut* etc.; A A V 441, 29 *Arferia vas vinarium, quod vinum ad aras fert* (cf. cod. Sang. IV 208, 11; Vat. 1468 V 491, 55) cf. P. 11, 14 *Arferia aqua ... sive vas vini* etc.; cod. Sang. IV 201, 11 *Avillus agnus recens natus* (= Vat. 1468 V 492, 17; Cass. 90 V 562, 18) cf. P. 14, 7 *Avillus agnus recentis partus*; A A V 436, 30 *Adasia ovis maior quae peperit*, cf. P. 12, 13 *Adasia ovis vetula recentis partus*; A A V 438, 47 *Allux pollex in pede* (gl. vulg., v. Th. gl.) cf. P. 102, 3 *Hallus pollex pedis* etc.; A A V 439, 11 *Ambactus servus gallice* cf. P. 4, 13 *A. apud Ennium lingua gallica servus appellatur*; A A V 440, 11 *Ancrae* (*scire* codd.) *intervallum arborum vel spatium inter duos montes* (= Cass. 90 V 561, 12) cf. P. 11, 13 *Antras convalles vel arborum intervalla* (= Placid. V 7, 3 = 47, 14; v. Th. gl.); A A V 441, 3 *Arculus circulus, quem in capite habent quae gerunt vasa* cf. P. 16, 6 *Arculum appellabant circulum, quem capiti imponebant ad sustinenda com-*

modius vasa; AA V 441, 30 *Arcera plaustrum* (= cod. Sang. IV 208, 13; Vat. 1468 V 491, 68; cf. Cass. 90 V 561, 44) cf. P. 15, 11 †*Arcirma genus plaustri est* etc. (cf. Th. gl.).[1])

B: IV 26, 40 *Bulimus fames magna* (= Aff. IV 490, 2; Ambr. IV 586, 37; Ampl.[2] V 272, 50; al.) cf. P. 32, 10 *Bulimum Graeci magnam famem dicunt* etc.; AA V 444, 5 *Bubinare sanguine inquinare mulieris menstruae* (= Aff. IV 489, 24; Ambr. IV 586, 36; Abav. mai. IV 593, 35; Ampl.[2] V 272, 46; v. l. *menstruatae* gl. Scal. V 592, 48; cod. Leid. 67 E V 632, 49; v. l. *muliebri minstruum* cod Sang. IV 213, 3; *m. monstrum* Abav. mai. IV 594, 37; *menstruatae* om. *mulieris* Abact. IV 602, 21; Vat. 1468 V 493, 18) cf. P. 32, 1 *Bubinare est menstruo mulierum sanguine inquinare* (cf. Placid. V 8, 8 = 50, 35; 8, 18 = 51, 1; ad Lucilium omnia spectare videntur). Praeterea similia sunt: IV 25, 65 *Blax stultus* (saepius, v. Th. gl.) + IV 26, 1 *Blaterat stulte loquitur* et P. 34, 2 *Blaterare est stulte et praecupide loqui, quod a graeco βλάξ originem ducit* etc. (cf. cod. Sang. IV 210, 52 = Vat. 1468 V 492, 67; Placid. V 8, 6 = 50, 29); IV 26, 3 *Bigener de duorum* (*duobus* L. gl.) *generibus natus* et P. 33, 14 *Bigenera dicuntur animalia ex diverso genere nata* etc.[2])

C: IV 27, 49 *Capulum manubrium gladii* et 51 *Capulum ubi mortui efferuntur* (v. Th. gl.) cf. P. 61, 12 *Capulum et manubrium gladii vocatur et id quo mortui efferuntur* etc.; IV 28, 6 *Casnar senex* (v. Th. gl.; = Placid. V 13, 30 = 52, 59, ubi codd. R *Casinar* = Abol.) cf. P. 47, 12 *C. s. Osco-*

---

1) Glossa IV 17, 26 *Antiae capilli, quos mulieres promissos* (hic om., add. 18, 34 Abstr.!) *in capite componunt* (= Aff. IV 481, 24; L. gl. V 167, 13; *ab eo quod ante pendeant id est ante* †*antene* add. Cass.), cum Festo — cf. P. 17, 5 *Antiae muliebres capilli demissi in frontem appellatae e graeco* (ἀντίον) *videntur* etc. — artiore vinculo conexa esse non videtur; Festina origo prorsus excluditur, si diversa quam praebet cod. Cass. originatio ex interiore fonte hausta est; similia praebet Placid. V 6, 34 = 48, 3. Neque magis glossa AA V 440, 18 *A. capilli amissi* (? *inante missi*?) *vel cincinni, per quos videantur pr*⟨*ocer*⟩*iores* ad F. revocari potest. — Glossam IV 19, 37 *Aquilo ventus* ad Eucher. form. 11, 16 rettulit Goetz; quod P. 22, 6 ab isdem verbis incipit, nullius momenti est in re vulgarissima.

2) Quomodo glossae IV 26, 24 *Bombus sonus tumidus* et 26, 37 *Boatus vox plena, sive mugitus boum* cum P. 30, 3 *Bombizatio est sonus apium ab ipso sonitu dictus, ut mugitus boum, hinnitus equorum* coniungi possint, mihi non liquet. — Glossa *Bardus hebes stultus*, quam cum P. 34, 9 *Bardus stultus* etc. L. confert, sic non exstat; habemus gl. *B. hebes stultus ineptus* in Aff. IV 487, 36 = Ampl.[2] V 270, 37 et aliis auctam in Abav. mai. IV 590, 42 (adiuncta est gl. *Bardus carminum conditor* = IV 487, 37, V 270, 43; IV 600, 15, diversa a P. 34, 11 *B. gallice cantor* etc.); praeterea legitur Abstr. IV 24, 12 = (Abol.?) 24, 25 *B. st. ineptus*, inde Cantabr. B 42 *B. st.* — Satis dubia res in gl. *Bacarium vas vinarium* Abact. IV 599, 2 (P. 31, 2 *Bacar vas vinarium simile bacrioni*), quia in reliquis omnibus glossariis (v. Th. gl.) *v. aquarium* est. — Glossam AA V 442, 57 (= Vat. 1468 V 563, 4) *Bellicrepa saltatio quam pyrricham dicimus* ex Festo petitam (cf. P. 35, 3) suo iure negat Loewe Prodr. 70.

rum lingua; IV 36, 24 *Consuetio consuetudo* (v. Th. gl.) cf. P. 61, 4 *Consuetionem Plautus* (Amph. 490 '*consuetio*') *pro consuetudine dixit*; Ampl.[2] V 278, 6 *Clacendix concha* (= gl. Scal. V 595, 47; Abav. mai. V 627, 1; Ampl.[1] V 351, 42; Cant. C 463) cf. P. 46, 16 *Cl. genus conchae*; Abav. IV 325, 49 *Cracentes graciles* (= Ampl.[1] V 352, 1; Ampl.[2] V 282, 21; Cant. C 880; gl. Scal. V 594, 61) cf. P. 53, 7 *Cr. gr. Ennius* etc.; Ampl.[2] V 276, 18 *Caecuma noctua* (= cod. Sang. IV 217, 5; al.) cf. P. 39, 6 (35, 3 ed. Linds.) *Cicuma avis noctua*; Ampl.[2] V 275 6 *Campae equi marini* (= cod. Sang. IV 213, 30; cod. Leid. 67 E V 633, 12) cf. P. 44, 1 *Campas* (*Cappas* codd.) *marinos equos Gracci ... appellant.* Comparare possis praeterea: cod. Sang. IV 214, 31 (= Vat. 1468 V 493, 55) *Carisa* †*faba* (*vafra*?) cum P. 44, 3 *Carissam apud Lucilium vafrum significat* (diversa est gl. IV 28, 3 *C. lena est dupla*; v. Th. gl.); IV 29, 39 *Cassiculo reticulo* (= AA V 444, 55; ablat. etiam apud Placid. V 15, 45 = 52, 27) cum P. 48, 1 *Cassiculum reticulum* etc. (cf. gl. Abstr. IV 103, 4; al.); Ampl.[2] V 274, 49 *Caculae servi militum* (= cod. Sang IV 214, 51; cf. Placid. V 13, 24 = 51, 14 = 53, 11) cum P. 45, 16 *Cacula servus militis. Plautus* etc. (cf. Abav. IV 315, 17); Ampl.[2] V 279, 60 *Cocula ligna arida vel vasa aerea* (= cod. Sang. IV 217, 37; al.) cum P. 39, 3 *Cocula vasa aenea ... alii cocula dicunt ligna minuta* etc.[1])

D: AA V 449, 12 *Danista fenerator* (= cod. Sang. IV 225, 2; cf. Th. gl. s. v. *Danus*; fort. olim *Danista fenerator*; *danos enim feneratio* [ad Plaut. Most. 537?]); cf. P. 68, 14 *Danistae feneratores.*[2])

E: AA V 454, 18 *Exanclare exhaurire, egerere* (= Vat. 1468 V 499, 25; om. *egerere* cod. Sang. IV 235, 61; cf. etiam Placid. V 20, 2 = 66, 10) cf. P. 80, 13 *Exanclare exhaurire.* Praeterea cf. AA V 453, 37 *Epicroca per-*

1) Glossa IV 29, 49 *Capronae* aperta scholii (Luciliani?) vestigia ostendit: *hic* (!) ... *proprie* (cf. supra ad gl. *Nenias* et *Rivales* et infra ad gl. *Despondit*); ex Festo igitur petita esse non potest, etsi similis est interpretationis pars altera eis, quae P. 48, 12 exhibet; cf. etiam Placid. V 14, 33 = 51, 28; Non. 22, 3. Verum ipse L. sensit 'Journ. of Phil.' XXXIV 277; quam eodem loco tangit glossam IV 29, 48 *Caracutium*, eius initium etiam apud Isidor. Orig. XX 12, 3 legitur, unde Suetonii Pratum communem fontem esse conclusit Loewe Gl. N. 244. — De Verrio auctore cogitare possis in glossis AA V 448, 58 et 59 *Copis copiosus dives* et *Cope copiosa* coll. Capro apud Prisc. GL II 321, 24 (*ops* et *cops pro opulentus et copiosus*) et F. 190, 18 (P. 191, 11); Caprum enim Verrii copiis usum esse constat. Veri tamen similius glossas ad certos auctorum locos spectare (non ad Plaut. Pseud. 674, ubi *copi pectore*; cf. Non. 84, 16).

2) Glossam IV 50, 28 *Despondit hic in defectionem dedit* ad certum auctoris locum (de Ter. Ad. 670 vix cogitandum) spectare consentaneum est (cf. supra ad gl. *Capronae*); Lindsayi interpretatio admodum contorta est. — Quae in Cass. glossae IV 50, 29 adiecta sunt, ea interpolationis suspicionem commovent: ultima enim (*unde — concla⟨man⟩tur*) ad verbum fere consentiunt cum Donato ad Ter. Eun. 231

lucida (= Abav. mai. V 628,37; Placid. V 21,4 = 65,5) et P. 82,13 *Epicrocum genus amiculi . . . tenue et perlucidum.*

F: comparari potest sola glossa IV 74,14 *Falcones qui pollices pedum intro curvos habent* (= Aff. IV 516,30; L. gl. V 197,37; Ampl.^{2} V 293,23; AA V 455,41; gl. Scal. V 600,3; Ampl.^{1} V 361,50; Cantabr. F 51?) cum P. 88,8 *F. dicuntur, quorum digiti pollices in pedibus intro sunt curvati* etc.

G: —

H: IV 85,59 *Heredium praedium* cf. P. 99,19 *H. pr. parvulum.*

I: IV 92,1 *Insulae sunt quae non iunguntur communibus parietibus cum vicinis* cf. P. 111,5 *I. dictae proprie quae non iunguntur communibus parietibus cum vicinis* etc. IV 92,2 *Insupare inicere* cf. P. 111,15 *I. inicere, unde fit dissipare*; IV 92,3 *Insitum ab inserendo †ut inmarinatum maturius†* cf. P. 111,10 *I. ab inserendo tractum* etc. Adde Aff. IV 530,1 *Inpos non potens animi,* cf. P. 109,5 *I. est qui animi sui potens non est* etc.

L: IV 111,17 *Lustra cubilia aprorum in silvis* cf. P. 120,8 *L. significat lacunas lutosas, quae sunt in silvis aprorum cubilia* etc. (gl. IV 111,16 *Lustrum quinquennii tempus aut lumen* num cum P. l. c. *significat nunc tempus quinquennale, nunc populi lustrationem* conferri possit, valde dubito). Praeterea cf. AA V 462,33 *Lacit illicit inducit* (*incidit* codd.; cf. Vat. 1468 V 505,10) cum P. 116,15 *Lacit decipiendo inducit* etc. et 117,9 *Lacit inducit in fraudem* etc.[1])

Ad finem postquam pervenimus, iam videamus quid de glossis supra collectis statuendum sit. Atque duo esse illarum genera distinguenda nemo non intellegit; quorum alterum — glossas dico priore loco collocatas — ita comparatum est, ut si quis eas ex Festi libro derivatas esse contendat, haec sententia argumentis ex ipsis glossis petitis redargui vix possit. Alterum vero genus quin magnam moveat dubitationem, fieri non potest; etenim quomodo explicabis partem glossarum non ita magnam a compilatore plane integram ex fonte esse translatam, partem multo ampliorem cogente nulla necessitate tam libere tractatam, ut interdum satis parva remanserit similitudo? Nam quod L. (p. 3) dicit compilatorem saepius ea de causa abiecta Festi interpretatione suam

1) Glossa IV 108,27 (= AA V 463,42), quae a P. 116,19, etsi re consentit, tamen verbis plane differt, mea quidem sententia sic restituenda est, ut Goetz in Th. gl. proposuit *Lixabundus dicitur, qui voluptatis causa ambulat*; de particula versus dramatici cogitari non potest. — Ad gl. IV 109,1 a, quae inter glossas Abstr. legitur (eadem exstat in AA V 463,30 et ex parte in L. gl. V 218,13), v. d. adnotat aut agi de scholio Vergiliano ad Abstr. pertinente aut de glossa Festina ex Abol. desumpta; hoc si verum sit, inde concludi posse Verrium Flaccum adhibito Suetonio a Festo esse retractatum. At Suetonii apud Festum nec vola nec vestigium; rectius Thomson gl. ad Verg. Aen. II 616 spectare censet.

ipsius substituisse, quo faciliores essent glossae ad intellegendum clericorum discipulis, hoc quam futile sit argumentum in promptu est: ne Paulus quidem, qui aliquot saeculis post totum Festi opus retractavit, tantopere a fonte recedere necesse duxit. Alia igitur ratione rem expediendam existimo. Iam qui omnem materiam a Lindsayio collectam perlustraverit, is facile concedet satis magnam inesse copiam glossarum ad certos veterum auctorum locos spectantium, id quod in eas quoque glossas cadit, quas supra consulto consilio neglexi, quippe cum nullo modo ad Festum eas revocari posse mihi persuasissem. Accedunt haud paucae glossae rerum explicationi destinatae eaeque interdum non parvi pretii. Quae si comprehendimus, veri non videtur dissimile praesto fuisse ei, qui glossarium Abolita composuit, satis amplam collectionem glossarum vetustiorum eamque ex parte quidem cum Festo eodem necessitudinis vinculo coniunctam, quo Placidei glossarii eam partem, quae glossas breviores easdemque pretiosiores amplectitur. Quod si recte conicitur, mirum non est in Abolita saepius glossas ex illo fonte petitas certum obtinere locum: plerumque enim, sicut L. observavit, antecedunt glossas Apuleianas, Terentianas, Vergilianas, unde concludi potest has postea demum esse receptas, id quod L. quoque (Abol. 273 sqq.) suspicatus est. Quae cum ita sint, Loewio in universum assentiri non dubito sic disserenti (Prodr. 11) 'glossas mere latinas quae proprie sic vocantur non ex Paulo-Festo-Verrio Flacco sumptas esse, sed, quamvis ad unum eundemque fontem, scriptorum dico locos certos, saepissime redeuntes non raro simillimae sint, fere semper tamen ex prorsus aliis atque ex Festo rivulis fluxisse' et (17) 'non dubito quin bona pars doctissimarum glossarum ad vetustissimos glossographos — Aurelios Opillios dico, Aelios Stilones, Servios Sulpicios, alios — redeant, quo ex fonte quae hausta erant per multos rivulos ducta postremo in glossaria nostra pervenerunt' (cf. etiam Gl. N. 95). In his autem, Placidum si exceperis, glossarium Abolita principem obtinere locum post alios Lindsay optime comprobavit, etiamsi concedendum sit non esse certissimum ad unam omnes quas congessit v. d. glossas ex Abolita glossario ampliore et integriore esse haustas. Nam qui glossas Abstrusa perlustraverit, eum non fugiet ibi quoque exstare quae ad fontem satis antiquum redire sit veri simillimum. Velut glossa IV 127, 5 (= 11) *Nusciosus qui plus vespere videt* quin nescio quo modo ad Aelium Stilonem revocanda sit, cuius interpretatio apud Festum 173, 24 servata est (*qui plus videret vesperi quam meridie* etc.), dubitari vix potest. Idem valere videtur de glossis IV 103, 13 *Karinantes inludentes vel inridentes* (v. Th. gl. s. v. *Car.*), quae ad Ennii Ann. v. 563 referri potest (cf. Prodr. 14 adn. 1); IV 13, 19 *Aginantes explicantes* (cf. ibid. 427); IV 26, 18 *Bovinatores inconstantes* (cf. Placid. V

8, 11 = 50, 33; vox Luciliana est, v. 417 Marx); IV 29, 14 *Catax a coxa* ⟨*clodus*⟩ (nisi forte ad Abol. pertinet, cf. IV 28, 34; de varia huius glossae forma v. Th. gl.; cf. Lucil. v. 77); IV 30, 23 *Claret patet, manifesta est* (cf. Enn. Ann. v. 372 *gloria cl.*); IV 181, 10 *Tagax furunculus* (at cf. Abol. IV 185, 33; gl. Lucil.? cf. v. 1031 et Fest. 359, 12); IV 26, 33 (*cd*) *Buccones stulti rustici* (ad Plauti Bacch. 1088? cf. Prodr. 265); IV 99, 27 *Interpolis vestis quae ex vetusta fit quasi nova* (cf. Fronto p. 161 N.; vix ad Plauti Most. 274 refer.); IV 130, 8 *Obstupida amens vel mente turbata* (cf. Plauti M. gl. 1254); IV 138, 8 *Patrissat patri similis fit* (cf. Plauti Pseud. 442); IV 191, 29 *Vestiplica femina quae vestes plicat* (cf. Plauti Trin. 252); IV 25, 35 *Biti proficisci* (vix ad Plaut. Trin. 885); IV 25, 27 *Blitea stulta* (cf. Plauti Truc. 854); IV 114, 1 *Mastigia male serve aut serve nequam* (cf. Ter. Ad. 781); IV 164, 12 *Ringitur irascitur, indignatur* (cf. Ter. Phorm. 341); IV 185, 10 *Tongillatim singillatim* (v. Prodr. 334); IV 20, 46 *Armillum vas*[*a*] *sacrorum* (cf. Paul. 2, 5; gl. Lucil.? cf. v. 767); IV 51, 11 *Dedita opera valde* (*mala* codd.) *data* (ad Ter. Eun. 841? an ad Naev. Agitat. fr. II R.?). Huius generis glossas, quarum numerus fortasse augeri potest, Lindsay (Abstr. 124 sq.) ex Festo derivandas esse suo iure negat; easdem si ex scholiis Vergilianis ('Donati') desumptas esse suspicatur, talis coniectura mea quidem sententia omni caret fundamento.[1]) Propius ad veritatem accedere videtur, quod ibidem proposuit v. d., fontem esse grammaticum sermonis antiqui rationem habentem. Ceterum moneo ex glossis l. c. congestis nonnullas esse eximendas, quippe quae non tam ad Abstrusa quam ad Abolita pertinere videantur (IV 120, 35 *Murgiso*, cf. 120, 43; 87, 41 *Hostit*, cf. 87, 52; 10, 2 *Adrumavit*, cf. 8, 9; 103, 9 *Kalones*, cf. 28, 32; 113, 36 *Manticulare*, cf. 113, 7; 181, 15 *Talatrum*, cf. 181, 35; adde *Nusciosus*, *Catax*, *Tagax*, de quibus v. supra).

Iam ad glossarium Abolita ut redeamus, ex iis quae supra exposui neminem existimo non intellexisse simillime rem se habere atque in glossarii Placidei glossis brevioribus, quas, licet minus aut magis similitudine quadam excellant, ex Festo fluxisse Goetz supra (p. 66) suo iure negavit. Itaque ea, quae artiore vinculo coniuncta sunt, ad communem potius fontem referemus.

---

1) Sane apud Serv. Dan. ad Aen. VIII 361 Enni versus laudatur, sed non Enni *carinantes* explicatur: *carinare est obtrectare* adnotat scholiasta. Neque magis gl. IV 87, 41, si modo ad Abstr. pertinet (cf. 87, 52), ex Serv. Dan. ad Aen. II 156 petita esse potest, ubi formae *hostit* nec vola nec vestigium. Quae inter gl. IV 56, 23 *Discerniculum* et Serv. Dan. ad Aen. XI 144 intercedit necessitudo, ea vereor ne nihil probari possit. Quomodo vero conferri possit gl. *Calones* (v. Th. gl.) cum Serv. Dan. ad Aen. VI 1 (cf. Serv. ad Aen. I 39), equidem non intellego.

Quod attinet ad glossarium codicis Sangallensis (cf. supra p. 127), de iis glossis, quae in Vaticano quoque et Cassinensi reperiuntur, res iam expedita est; redeunt enim ad glossarium Abolita, quod ex Festo vel Paulo pendere negavimus. Idem cadit in alias glossas Sangallensi proprias aut cum AA aliisque collectionibus communes, quarum maximam partem contra Lindsayium disputantes iam absolvimus. Restant paucae glossae a Goetzio l. c. prolatae hae: IV 206,28 *Anxati vocati, nominati* (= AA V 440,25; Vat. 1468 V 491,35) cf. P. 8,9 *Axare nominare*; IV 265,7 *Oppidanus .... apud antiquos oppida dicta sunt quod opem darent* cf. P. 203,2 *Oppidum dictum est quod opem praebet*; IV 278,56 *Remillo repando* (integrior forma addito *pronulo* Abol. IV 162,6 a; AA V 479,20; al.), cf. F. 277,19 *Remillum dicitur quasi repandum. Lucilius* (‘*remillum*’) *et Afranius* ...; IV 281,47 *Sarissa genus teli Macedonici* (= AA V 481,25), cf. F. 318,18 *S. est hastae Macedonicae genus*; IV 206,8 *Alcitellus* (leg. *Altellus*) *alte evocatus* (= Vat. 1468 V 491,6 *A. a. voc*; cf. AA V 436,17 *Acitella alte edocatus*) et IV 206,10 *Altellus terra nutritus* (= AA V 438,54 *A. terrę n.*), cf. P. 7,10 *Altellus Romulus dicebatur quasi altus in tellure* etc.; IV 235,8 *Exhaustant exhauriunt*, cf. P. 82,6 *Exh. efferunt*; IV 202,39 *Acieris securis, quam flamines seu pontifices habebant* (= AA V 436,15), cf. P. 10,1 *A. securis aerea, qua in sacrificiis utebantur sacerdotes* (gl. ⟨*Bola*⟩ *palma manus*, IV 314,28, quae cum P. 370,7 ... *sed et palma manus vola dicitur*, conferri potest, non in Sang. exstat, sed in Abav.; a Paulo longe distat gl. Sang. IV 296,49). Iam qui haec exempla consideraverit, is opinor concedet iis non magis rem esse cum Festo aut Paulo, quam illis, quas Lindsay ad hunc fontem referre conatus est; tantopere enim aut lemmatis (cf. *Anxati*, *Remillo*) aut interpretationibus differunt, ut quomodo talem diversitatem commode explices, vix habeas. De Lindsayi coniectura, qui partem glossarum ‘Festinarum’ per Ps.-Philoxenum in glossarium codicis Sang. venisse censet, infra quid iudicandum sit videamus.

Transeamus ad glossarium AA, cui haud paucas glossas Festinas inesse Goetz supra (p. 145) monuit. Atque exemplorum, quae protulit, pars iam tractata est; restant haec: V 438,8 *Agia via in navi longa* † *quae remigis hortantur et solent ambulare*† (de emendatione v. Th. gl.), cf. P. 10,10 *Agea via in navi, dicta quod in ea maxime quaeque res agi solet* (itaque Festo *Agea* ab agendo dicta est, glossae auctori *Agia* = *ἀγυιά* ab ambulando!); V 438,9 *Aginatus* (*-tor*?) *qui agit aliquid id est negotiator* (*aut tricator, morator, vacuus*) cf. P. 10,3 ... *aginatores dicuntur, qui parvo lucro moventur*; V 439,10 *Ambacti servi, coloni, lixae* (cf. Plac. V 7,43 = 47,2 *A. servi*), cf. P. 4,13 (? v. supra); V 439,13 *Ambest circum est*, cf. P. 4,15 (sine interpretatione!); V 439,31 *Amites perticae aucupum*,

cf. P. 21,5 *A. p. aucupales*; V 439,36 *Amoena loca bona cum arboribus decorata* etc., cf. P. 2,9 (plane diversa!); V 440,20 *Antiquare veterem id est ut fuerit videre, antiquam esse vel notare*, cf. P. 26,12 *Antiquare est in morem pristinum reducere*; V 440,22 *Antruare non* (?) *dare*, cf. P. 9,12 *A. gratias referre*; V 440,40 *Aplustria ornamenta navis* (= L. gl. V 167,21; Sang. IV 207,16), cf. P. 10,2 *A. navium ornamenta* etc.; V 435,25 *Ablunda panici et milei folliculus* = V 440,48 *Apl. paniculi et m.* ⟨*f.*⟩ (= Sang. IV 201,35), cf. P. 10,14 *Apluda est genus minutissimae paleae frumenti sive panici* etc. (cf. etiam Plac. V 6,30 = 48,9); V 440,51 *Aptra folea vitea* (= Sang. IV 202,22), apud P. deest; V 441,17 *Arillator mercator*, cf. P. 20,12 *A., qui etiam coccio appellatur, dictus videtur a voce graeca, quae est αἶρε id est tolle, quia sequitur merces* etc.; V 442,7 *Augur per quem in publicis privatisque rebus deorum mentem homin⟨es cognoscunt omin⟩ibus enuntiatis per auspicia, quomodo quidque sit gerendum* (!), cf. P. 2,1 *A. ab avibus gerendoque dictus, quia per eum avium gestus* (!) *edicitur* etc.; V 442,14 *Aureax equus solitarius* (= Sang. IV 209,27; Ab abs. IV 406,40; cf. Ps.-Phil. II 26,51), cf. P. 8,12 *A. auriga* (!) etc.; V 443,23 *Blaterare corrupte et perperam loquere, sicut ebrius cum delerat*, aliter P. 34,2 (v. supra); V 443,24 *Boare clamare, sonare* (= L. gl. V 172,15; Ampl.² V 271,63), cf. P. 30,4 *Boare id est clamare, a graeco descendit*; V 450,8 †*Deterimi* (leg. *Decermina*) *sunt proprie stercora, ex frumento quae excernuntur* (= Abol. IV 53,46), cf. P. 72,7 *Decermina dicuntur, quae decerpuntur purgandi causa* (F. a decerpendo derivat, gl. ab excernendo!); V 456,52 *Fidustum fidum, fidelem*, cf. P. 89,15 *Fidusta* (!) *a fide denominata* etc.; V 467,35 *Naccam fullonem* (= Abol. IV 122,34, ad Apul. Met. IX 22!), cf. F. 166,2 *Naccae appellantur vulgo fullones* etc.; V 481,22 *Sarcito reficito, restituito, praestato*, cf. F. 322,14 *S. in XII Ser. Sulpicius ait significare damnum solvito, praestato.* Accurata comparatione instituta iterum ad eundem finem pervenimus: hic illic quaedam cognoscitur similitudo neque tamen tanta, ut glossas ad Festum referre possimus. Simul autem apparet glossarium A A pendere ex glossis Abolita (cf. inprimis communem corruptelam *Deterimi*, cui aliae possunt addi); porro ex eodem fonte communi explicandus est consensus, qui inter A A et cod. Sang. exstat. Quae cum ita sint, cum Goetzio facere non possum, qui diversam esse sibi persuasit necessitudinem inter tria illa glossaria — Vatic.-Cass., Sang., A A dico — et Festum intercedentem.

Admodum difficilis est quaestio de aliis quibusdam glossariis. Agitur de codicibus Vaticano 1469 anno 908, Cassinensi 90 saeculi XI (cf. Loew, 'Beneventan Script.' 343), Vaticano 1468 saeculi XI (cf. ibid. 152), de quibus nuper egit Lindsay (Fest. gl. 130 sqq.). Quam-

quam ex iis, quae Loewe excerpsit, de natura horum glossariorum integre iudicare non licet, tamen illa quodammodo cum gl. Sang. et AA cohaerere procul dubio est. Accesserunt autem praeter glossas aliunde non notas excerpta ex variis auctoribus, in quibus sunt Fulgentius, Isidorus, Beda, Pauli epitoma Festi, ut de glossis Iuvenalianis et Vergilianis taceam. Qui artiore vinculo coniuncti sunt, Vatic. 1469 et Cass. 90, utrum alter ab altero pendeat (quae Lindsayi videtur esse sententia) an a communi fonte uterque, nondum satis exploratum est; hoc tamen pro certo affirmari potest Paulum ipsum non paucis locis esse excerptum atque id non ita magna diligentia. Velut cum apud illum p. 323, 6 scriptum sit *Sardare intellegere. Naevius 'quod nec satis sardare queunt'*, glossaria (V 526, 8; 578, 31) exhibent *S. i. Nevius 'quod bruti sardare nequeunt'*; similem licentiam sive neglegentiam invenimus in glossa *Actus* (V 520, 8; 559, 15) coll. P. 17, 13; cf. gl. V 526, 17 et 580, 17 (verborum ordo turbatus in Cass.) cum P. 311, 6; V 527, 9 cum P. 353, 8; etiam gl. V 526, 18 ab excerptore pro arbitrio mutata videtur esse (cf. P. 311, 8). Talia ut ad excerptorem referamus, monet prorsus eadem condicio glossarum, quae ex Isidoro et Fulgentio depromptae sunt. Difficultatem praebet una glossa *Ceres* (V 521, 14 + 15 = 565, 5 + 6), quae ex Paulo 58, 14 desumpta esse non potest. Ibi enim legimus *Cocum et pistorem apud antiquos eundem fuisse accepimus. Naevius 'cocus' inquit 'edit Neptunum, Venerem, Cererem'. significat per Cererem panem, per Neptunum pisces, per Venerem holera'*; in glossariis vero exstant haec: *Ceres (frumentum vel) panem, Liber (vitem vel) vinum, Venus (libidinem vel) holera, Neptunus (aquam vel) pisces, Vulcanus ignem (vel solem) significant. 'Cocus edit Neptunum, Cererem et Venerem expertam Vulcanum, Liberumque pariter obsorbuit', id est: cocus comedit pisces et panem et holera cocta ad ignem et vinum pariter bibit* (varias lectiones, quibus Cassinensem ex Vaticano derivare vetamur, neglexi). Pleniorem glossarum memoriam ad Festum redire Goetz (Ind. Ien. 1886, V) conclusit; quod si accipimus, fieri vix potest, ut hoc Festini operis fragmentum ad eundem referamus, qui Pauli epitomam excerpsit; non enim intellegitur, cur ille, si integri de verborum significatu libri ei praesto erant, reliquas glossas non ex eodem fonte hauserit. Aut igitur omnia me fallunt aut ille glossam (vel potius glossas) ex alia glossarum optimarum collectione transtulit. Quod vero ad Festinam originem attinet, aliquot mihi restant scrupuli. Nam primum quidem desiderantur in glossa, quae Pauli verbis *Cocum — accepimus* respondeant; quae non est cur ex epitomatoris ingenio fluxisse credamus (cf. Plin. NH XVIII 107 sq.; Münzer, 'Beitr. z. Quellenkrit. d. NG d. Plin.' 302). Itaque glossarum auctor id ipsum omisit, in quo Festo (Verrio) summa rerum posita erat. Deinde Goetzio

probabile non videtur Festum mancam sententiam exhibuisse. At auctoris intentionem si respicies, vix quicquam desiderabis; etenim ut eam loci Naeviani partem afferret, qua Vulcanus et Liber nominantur, nihil causae habebat. Illius vero, ad quem glossa referenda est, grammatici versus metonymiis refertos explicare intererat; has metonymias primo loco posuit, versibus ipsis proprium sensum commentatorum more subiecit. Similitudo igitur inter glossas et Pauli locum non tanta est, quanta primo obtutu videtur. Ceterum harum glossarum condicio fere eadem est atque glossarum *Nequinunt*, de quibus supra disputavi: utrobique ex una glossa duae ab eadem littera incipientes factae sunt, utrobique versuum auctoris nomen omissum est. His etsi non nimium tribuerim, tamen de eodem fonte optimo atque vetusto cogitari posse nemo negabit.

Ex eodem codice Vaticano 1469 Goetz olim (Mus. Rhen. XL 324 sqq.) aliquot glossas memorabiles protraxit, quae glossario Asbestos additae sunt (habes eas sub uno conspectu in vol. IV p. XVIII compositas). Quas glossas non omnes eiusdem generis atque pretii esse virum doctissimum minime fugit. Cum Isidoro (Orig. XI 1, 62) plane consentit gl. *Ola summi umeri pars posterior.* Ad Paulum propius accedunt glossae hae:

Pegnides Musae ob ingentem liquorem appellantur a fonte, quem ungulae ictu patefecisse dicitur equus.	P. 212, 8 *Pegnides Musae dictae sunt a fonte, quem Pegasus ictu ungulae fingitur aperuisse* etc.
Pepteides Musae a fonte Macedonico dictae sunt propter liquoris eius unicam subtilitatem splendoremque.	P. 212, 10 *Pepteides Musae a fonte Macedoniae dictae propter liquoris eius unicam subtilitatem.*

Ex ipso Paulo has glossas fluxisse ut sumamus, monent mirae lemmatum corruptelae (pro *Pegasides* et *Pipleides*); discrepantiam quominus excerptoris licentiae imputemus, nihil videtur impedire (verba *ob ingentem liquorem* Goetz ipse in suspicionem vocavit).

Ad eundem fontem revocari posset glossa *Propudia quasi porro pudenda vel a quibus pudor et pudicitia procul absint. propudiosae meretrices*, nisi Paulus 227, 3, praeterquam quod tota glossae forma aliquantum differt, numerum ubique exhiberet singularem, quem ex Festo receptum esse veri simile est. Ceterum uterque pro *absint* habet *sint*; ultima glossae verba ne apud Festum quidem exstitisse certum est. Quadecausa Festina glossae origo aliquo modo in dubium vocatur. Certior res esse videtur in glossa *Penem antiqui codam vocabant i. veretrum*, dummodo ultimum glossema ab excerptore additum sumamus; vocem *antiqui* cum

solus Festus (230,21) exhibeat, ex Paulo (231,11) glossa desumpta esse non potest. Item de Paulo fonte non cogitandum in glossa *Pipatio est clamor plorantis acerba voce. Lucilius* etc.; quam glossam ex Festo petitam facile concederem, nisi obstaret Pauli additamentum *lingua Oscorum* (212,9), cuius in Vaticani glossa, quae integra servata esse videtur, nec vola nec vestigium, sicut apud Paulum glossae verba *acerba voce* (cf. *clamorem acerbum*) desiderantur. Hanc discrepantiam quomodo explicem, si revera glossa ex Festo sumpta est, non habeo, nisi forte Paulum suo Marte vocem *pipatio* Oscorum linguae tribuisse sumimus (cf. 212,11 *Pitpit Osce quicquid*). Sed nescio an eodem iure glossam Lucili exemplo ornatam ex illo fonte derivare possimus, cui duae aliae glossae Lucilianae debentur, scil. *Abzet ... Lucilius in XXII ...* et *Pedicum ... Lucilius in II satirarum ....* Non propterea glossas a Festo abiudicandas esse, quod hic librorum numerus additur, qui apud illum fere omittitur, recte monuit Lindsay ad F. 174,8 revocans, ubi *Lucilius libro II* legitur. Ab altera parte non habemus quibus ex Festi libris deperditis glossas illas excerptas esse comprobemus. Iam vero si ultima glossa *Tagax furax* (cod. *fug.*), id quod probabile est, ad Lucilium pertinet, inde fontem assequimur a Festo diversum, quippe qui 359,12 exhibeat *Tagax furunculus* etc. Similiter res se habet in glossis *Nitator* (scr. *Natinator*) *seditiosus* et *Natina* (*-natio*?) *discordia*, quarum illa fortasse ad Festum 166,31 (vel potius ad P. 167,3) referri possit, haec non item; nam F. *Natinatio* inquit *dicebatur negotiatio.*

Ex reliquis glossis una memorabilis est *Ranna narium medium*, quam Goetz ad Iuven. VI 306 (*Sanna*) revocavit; quod si recte fecit, haud scio an ad eundem fontem ducamur, cui debentur glossae Iuvenalianae, quae passim in Vaticanis et Cassinensi inveniuntur, velut *Centone lupanar* (= I. VI 121) *velum de multis pannis* (V 494,22 = 521,16 = 564,59); *Cena tamen* (= I. V 24) *cenam iniuriosam* (V 521,17 = 564,58); *Cerdones* (cf. I. IV 153) *vulgares* (V 494,27 = 521,19 = 564,60); *Catthis* (= I. IV 147; ad *torvis*?) *crudelibus* (V 520,28); *Baptae* (= I. II 92) *sacra seu sacerdotes* (V 492,32); †*Cleanthas*† (= I. II 7; gl. pertinet ad *pluteum*) *armarium seu bibliotheca* (V 521,24); *Crustula* (= I. IX 5) *dulcia* etc. (V 521,29); *Galero* (= I. VI 120) *capillo* (V 522,21 = 569,31); *Loculis* (= I. I 89; XIII 139; al.) *scriniolis* (V 506,35 = 523,27 = 572,4); *Livida* (= I. VI 631) *venenata, invida* (V 523,25 = 571,49); *Multicia* (= I. II 66; 76; XI 188) *vestis, quae multa licia habet* (V 524,7 = 573,13); *Podice levis* (= I. II 12) *corruptibilis* (V 524,36 = 576,19); *Unda prior* (= I. III 244) *populi multitudo* (V 528,4); *Fabrateria*⟨*e domus*⟩ (= I. III 224) *domus, ubi fabricae sunt* (V 499,69 = 568,45); aliae. Quae cum ita sint, non omni videbitur carere probabilitate, si quis omnes, de qui-

bus disputavimus, glossas ex eadem collectione petitas esse coniciet, quae ab altera parte amplectebatur glossas ex recentioribus libris (inter quos Pauli epitoma Festi) excerptas, ab altera glossas ex vetustiore fonte desumptas. Qui fons num aliquo modo cohaereat cum glossario Abolita et ipso glossis aliquot Iuvenalianis (velut *Acoenonoetus, Bascaudas*) insigni, in medio relinquam; in re incertissima arte nesciendi uti videtur esse tutius. Hoc tamen demonstravisse puto sententiam de Festina quarundam glossarum origine maximis obnoxiam esse dubitationibus.

Vt ad Lindsayium revertamur, v. d. altera quoque via glossas Festinas in glossaria mere latina transisse sibi persuasit, sc. intercedente glossario latino-graeco, quod Philoxeni nomine non recte ornatum est; quo in glossario haud pauca Festini operis vestigia servata esse inde a Scaligeri temporibus paene consentiens omnium est opinio. Nititur autem ea inprimis sagaci clarissimi philologi coniectura, qua Pompeium illum, qui vol. II 8, 21 laudatur, eundem esse censet atque Pompeium Festum librorum de verborum significatu auctorem. Ab hac profectus coniectura Dammann (v. supra p. 10; 25 sq.) quae ad Festum revocari posse sibi persuasit, magna diligentia composuit; numerum talium glossarum Goetz auxit (supra p. 28 sqq.), qui tamen caute addidit non dubitare se, quin addi et demi possent exempla.

Ac recte hoc ille mea quidem sententia; non enim eiusdem omnia sunt generis. Multae glossae ita comparatae sunt, ut Festi interpretationem in graecam linguam magis aut minus accurate translatam facile agnoscas; aliis vero locis Ps.-Philoxeni interpretamenta adeo aliena sunt a Festo vel Paulo, ut glossarum auctor aut ipse sibi illa finxisse aut diversum fontem adhibuisse putandus sit. Velut II 41, 7 legimus *Defrensa ἄρουρα θερισθεῖσα* (cf. 15 *D. ἄρ. θερισμός*), apud P. 74, 16 *Defrensam detritam atque detunsam*; II 124, 33 *Lucar θεατρικων γελιαν* (?), *μισθὸς ἀπὸ φίσκου*, apud P. 119, 9 *L. appellatur aes quod ex lucis captatur*; II 163, 5 *Prosiciae αἱ τῶν θυμάτων ἀπαρχαί*, apud P. 225, 15 *Prosicium quod praesecatum proicitur*; ac ne quis obiciat quae apud Paulum desiderantur apud Festum olim exstitisse, conferas velim II 157, 4 *Praemetium ἡ πρὸ θερισμοῦ Δημήτρας θυσία* et F. 234, 23 (et P. 235, 4), ubi vix Ceres commemorata erat, vel II 188, 50 *Stlata πειρατικοῦ σκάφους εἶδος* cum F. 313, 5 (et P. 312, 6), ubi eiusmodi interpretationis nihil legitur. Iam audi Dammannum, postquam gl. II 29, 50 *Bilbit βομβύζει* cum P. 34, 5 *B. factum est a similitudine sonitus qui fit in vase. Naevius* etc. contulit, de gl. II 29, 38 *Bilibit ἐπισχιασμὸς φωνῆς* p. 41 adn. 8 ita disserentem 'Iam compluribus huius disputationis locis occurrebant glossae apud Ps.-Ph. bis traditae, quarum alteras (e. g. 56, 6 *dubius*, 186, 6 *solox* al.) ex Festo fluxisse probabile fecimus, alterae unde originem duxerint

nescimus. Ex Festo autem certe non petitam esse Ps.-Ph. 29, 38 ... ostendit Loewe in prodr. p. 191; quae quin ad eundem Naevii locum spectet ad quem Ps.-Ph. 29, 50 ... tamen non dubito. Vnde verisimile videtur esse alteras talium glossarum bis extantium suam vim et auctoritatem habere neque quidquam cum Festo commune nisi quod ad eundem scriptoris locum redeunt. Confirmatur fortasse haec sententia paucis glossis exquisitioribus, quae apud Ps.-Ph. pristinam formam servaverunt, apud F. (P.) exhibent simpliciorem. Huc spectant e. g. tales: Ps.-Ph. 48, 24 ... P. 72, 13 ...; Ps.-Ph. 17, 2 ... P. 8, 9 ...'. Non difficile videtur alia addere exempla; velut II 17, 21 *Anclat ἀρύεται* (cf. 63, 48); 62, 16 *Epicrocum τηλαυγές*; 154, 3 *Porca τὸ μεταξὺ τῶν κυμάτων*; 16, 25 *Amites στάλικες*; 96, 1 *Calator κλήτωρ* et 96, 3 *Calatores ἐκβιβασταὶ ἱερέων*; 111, 32 *Conpitalia ἄμφοδα ἢ ἀτραπῶν ἑορτὴ ἐν Ῥώμῃ γινομένη*; 90, 6 *Intercapedo διάστασις καιροῦ*; al. Talibus glossis si evincitur praeter Festi libros alium fontem adhibitum esse, glossarium scilicet, quod inter alia prisci sermonis exhibebat interpretationes, quid obstat quominus eas glossas, quae a Festi vel Pauli memoria magis minusve recedunt, tantum non omnes eidem fonti adscribamus? Accedit quod nonnullae glossae, quae hic respiciendae sunt, in aliis glossariis reperiuntur, quae a Festo non pendere aut constat aut veri est simillimum. Huc pertinent II 3, 41 *Abiugassere* (cf. Plac. V 7, 5 = 43, 5; Sang. IV 201, 16; AA V 437, 4; 435, 21); 7, 51 *Ad incitam* (cf. Plac. V 6, 7; Ampl.² V 262, 19; AA V 437, 5); 17, 36 *Ancti* (cf. Aff. IV 482, 14; Ampl.² V 266, 40); 22, 15 *Astraba* (cf. Ab abs. IV 406, 29; gl. Scal. V 591, 17); 96, 24 *Calvitur* (cf. Plac. V 14, 15 = 52, 7; Ampl.² V 274, 59; Sang. IV 215, 2; Abol. IV 27, 53); 114, 35 *Conticinium* (cf. Plac. V 15, 24 = 58, 24; al.) etc.; quae glossae etsi saepius interpretationes habent diversas, tamen ostendunt non uno rivulo omnia permanasse in collectiones, quae nobis praesto sunt. Idem nescio an valeat de glossis Ps.-Philoxeni, quae auctorum nominibus insignes sunt aut hoc modo: *ὡς Ἔννιος, ὡς Πλαῦτος, ὡς Λουκίλλιος* aut hoc: *παρ' Ἐννίῳ, παρὰ Πλαύτῳ, παρὰ Λουκειλίῳ*; tribus tantum locis alia conspicitur formula: s. v. *Iugula* (*ορατιος ως φησι*: incerta res, ad Horatium [c. I 28, 21] enim vix pertinet, fort. *ὡς Ἄττιός φησι*), *Arina* (*κατὰ Βάρρωνα*), *Atellani* (... *ὡς δὲ † οβοιδιος ομηριστην† δηλοῖ*: aeque incertum quod nomen lateat).[1]) Atque cum Festo aliquo modo conferri possunt glossae hae: II 16, 3 *Ambactus δοῦλος* (*μισθωτός*), *ὡς Ἔννιος*, cf. P. 4, 13 *A. apud Ennium lingua gallica servus appellatur*; II 13, 9 *Acceres ἀξίνη ἱεροφάντου, ὡς Πλαῦτος*, cf. 10, 1 *Acieris*

1) De Ovidio vix cogitandum; *Ὀπείλιος* et *ὁ Λοίβιος* [Liv. VII 2] alii proposuerunt. Fuit cum de *Οὐίβιος ὁ μεσίτης* = Vibius Sequester (cf. II 182, 37) cogitarem, sed in eius libello geographico nunc quidem de Atella et Atellanis nihil legitur.

securis aerea, qua in sacrificiis utebantur sacerdotes; II 18, 33 *Aplustra πτερὸν πλοίου, ὡς Ἔννιος*, cf. 10, 2 *Aplustria* (!) *navium ornamenta* etc.; II 11, 16 + 17 *Agear πάροδος πλοίου παρ' Ἐννίῳ* (res admodum dubia, cf. supra p. 28), cf. *Agea via in navi* etc.; II 34, 29 *Glos ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἀδελφή, γάλως παρὰ Πλαύτῳ*, cf. P. 98, 5 *Glos viri soror, a graeco γαλόως*; fortasse addi possunt: II 20, 37 *Aquilum μελανόν, ὡς Λουκίλλιος*, cf. P. 22, 2 *Aquilus color est fuscus et subniger* (!) etc.; II 36, 35/36 *Guturnium εἶδος σκεύους ὀστρακίνου, ὡς Βάρρων*, cf. P. 51, 1 *Cuturnium vas, quo in sacrificiis vinum fundebatur*; maiorem dubitationem movent II 36, 34 *Gutulliocae κάρυα μακρὰ παρὰ Λουκειλίῳ*, cf. P. 98, 12 *Gulliocae nucum iuglandium summa et viridia putamina* (cf. II 36, 26 *Gulluca καροιοτομια*); II 17, 34 *Anglabres τράπεξαι τρίγωνοι, ὡς Ναίβιος*, cf. P. 11, 11 *Anclabris mensa ministeriis aptata divinis* etc.; maximam II 24, 38 *Arina* (*οἷς* add. Scalig.) *μήτηρ κατὰ Βάρρωνα*, cf. P. 20, 15 *Arni* (*-nae* Scalig.) *caput* (!) *agni* (!) *caput*. In his enim quas ultimo loco posui glossis similitudo aut minima est aut nulla. Eiusdem autem generis est illa glossa, in qua inprimis nititur de Festo Ps.-Philoxeni fonte sententia, II 8, 21 *Adoriosus ἔνδοξος, ὡς Πομπίος. Ador* (*αδορ* cod.) *νίκη ὡς Πεμπιος*. Non multum tribuerim ei rei, quod hic non lemmatis sed interpretationis auctor nominatim affertur, quamquam id non prorsus neglegendum censeo (cf. *κατὰ Βάρρωνα* = secundum Varronem); sed apud Paulum 3, 10 et 12 quae afferuntur, satis recedunt a glossarum memoria. Etenim vox *adoriosus* desideratur et *ador* explicatur *farris genus*; exspectes in glossa *adoria νίκη*, cf. A A V 437. 16 *Adorea victoria* (= Ampl.² V 262, 7; al.; cf. etiam *Adoriis victoriis* V 437, 15; 262, 21; IV 483, 38). At Paulus nihil habet nisi *Adoriam laudem sive gloriam dicebant* etc. neque ex eis quae secuntur veri simile fit aliam apud Festum exstitisse interpretationem. Aut igitur Festum hoc loco a Paulo misere retractatum esse aut glossam ab alio Festi loco, quem Paulus omisit, pendere putandum esset. Accedit quod non satis constat, num utrique glossae olim adscriptum fuerit nomen auctoris; fieri enim potuit, ut corrupto *πεμπιος* supra scriberetur emendata lectio. Denique non omittam Pompeium quendam vocabulorum rariorum auctorem et ab ipso Festo 170, 25 (*numero*) et a Prisciano G L II 385, 10 (*despicari*) laudatum. Vtut est, rem procul dubio non esse satis constat. Quae cum ita sint, minime exploratum esse censeo glossas II 18, 32 *Appla⟨r⟩* (*appia* cod.) *εἶδος σκεύους, ὡς Παχούβιος*, II 18, 34 *Aptra ἀμπελόφυλλα, ὡς Τιτίνιος* (media interposita est glossa Enniana *Aplustra*, v. supra), II 131, 61 (62) *Muttonium προβασκάνιον ⟨ὡς⟩ Λουκί⟨λλι⟩ος*, II 12, 52 *Acactum ἄκανθα, ὡς Λουκίλλιος* (*-κιανος* cod.), II 23, 42 *Aroscit πλανᾶται, ὡς Λίβιος*, II 26, 43 *A[u]xillae μικρὰ πτερά, ὡς Βάρρων* (cf. Ampl.¹ V 346, 41 *Auxillae* [sic] *alae minores*

= Cant. A 922; 942) ex uno Festo potuisse desumi. Quodsi recte statuimus aliis quoque rivulis glossariorum nostrorum arva esse irrigata, non iam habemus, cur glossas, velut II 30, 8 *Bidental τόπος κεραυνόπληξ*, Festo inculcemus, cum apud P. (33, 10) legantur longe diversa (cf. potius Ampl.² V 271, 42 *B. locus* [*bis* add. Aff. IV 489, 8] *de caelo tactus*; cf. etiam Porphyrio ad Hor. a. p. 471, qui ni fallor Festi sententiam apud Paulum servatam impugnat; praeterea cf. schol. ad Pers. II 27). Vix enim quisquam contendet duarum interpretationum in Festi libris propositarum alteram fere servatam esse a Paulo, alteram receptam a glossographis; tale quid enim usu venisse credendum esset in nonnullis glossis supra commemoratis. Minime igitur ad demonstrandam alicuius glossae originem Festinam sufficere videtur lemmatum quaedam similitudo sive maior sive minor neque plus inde colligendum est, quod haec vel illa glossa aut certo aut probabiliter ad vetustiores auctores latinos referri potest. Hic praeter glossas poetarum nominibus ornatas inprimis eae respiciendae sunt, quibus adscripta est vox *ἀρχαίως*: II 15, 13 *Almities αὔξησις ἀ.*; II 25, 6 *Arillator* (*Aribl-* cod.) *μετάβολος ἀ.*; II 35, 7 *Gnare ἀ. ἐντρεχῶς*; II 126, 25 *Malatus στυγνός ἀ.*; II 176, 11 *Rumis θήλη ἀ.* (fort. etiam II 21, 41 *Ape κώλυσον*, si quod 21, 42 legitur *αχαν* cum Goetzio in *ἀρχαίως* mutandum est).

Similes glossas etiam in glossario Abavus inveniri iam Loewe intellexit (v. supra p. 131), quas ex libro cum Ps.-Philoxeno arte coniuncto depromptas esse ea re confirmatur, quod alibi quoque in illo glossario exstant, quae sine dubio ex glossario bilingui hausta sunt; cf. Goetz l. c. et Lindsay Aff. 199. Ad similem fontem videntur redire glossae quaedam, quae in littera A glossarii Ab absens reperiuntur, v. Goetz supra p. 133; quodsi v. d. hic quoque Festum subesse suspicatur, vereor ne lemmatum similitudine aliquantum deceptus sit. Conferas velim haec:

Ab abs.	Ps.-Philox.	Paul.
IV 404, 22 *Attubernalis vinus, proximus* (l. *-me*) *a taberna habens.* (= Ampl.¹ V 342, 22; Cantabr. A 872).	II 22, 48 *Attubernalis καπηλογείτων.*	12, 6 *Adtibernalis habitator continuae tabernae* etc.
IV 406, 33 *Atanulu⟨m?⟩ genus vasis.*	II 22, 47 *Atanulus ἅγιον ἱερέως σκεῦος, κειμήλιον.*	18, 11 *Atanuvium est poculi fictilis genus, quo in sacrificiis utebantur sacerdotes Romani.*
IV 406, 40 *Aureax equus solitarius* (= Sang. IV 209, 27; AA V 442, 14).	II 26, 51 *Aureax solitarius ἱππασιής.*	8, 12 *Aureax auriga* etc.

Ab abs.	Ps.-Philox.	Paul.
IV 405, 24 *Alibre alimentum* (= Ampl.[1] V 342,21; 345, 16; Cantabr. A 454; cf. Th. gl.).	—	25, 4 *Alebria bene alentia.*
IV 404, 25 *Adasia ovis maior natu* (aliter A A V 436, 30; gl. n. II 564, 18).	—	12, 13 *Adasia ovis vetula recentis partus.*
IV 406, 29 *Astraba tabella, ubi pedes requiescunt* (= gl. Scal. V 591, 17).	II 22, 15 *Astraba* (*-ma* cod.) *σανίς, ὑποπόδιον*	—
IV 405, 11 *Aequilatium aequatio* (= gl. Scal. V 591, 3).	—	24, 8 *Aequilavium significat ex toto dimidium, dictum a lavatione lanae* etc.
IV 405, 39 *Ambulacrum spatium ⟨ad⟩ ambulandum* (= Abol. IV 16, 28, cf. Ampl.[1] V 339, 38; Cantabr. A 542; L. gl. V 166, 2; Cass. 90 V 560, 48).	II 16, 15 *Ambulacrum διάστημα, περίπατος.*	21, 8 *Ambulacra ambulationes.*
IV 405, 33 *Albula fluvius in Italia, qui nunc Tiberis vocitatur.*	—	4, 10 *Albula Tiberis fluvius* etc.
IV 406, 14 *Arculus circulus, quod ubique arceat* (aliter A A V 441, 3).	—	16, 6 *Arculum appellabant circulum, quem capiti imponebant* etc.
IV 406, 20 *Arietat de ariete ferit* (cf. Th. gl.).	II 25, 15 *Arietat* (*Arc-* cod.) *κ⟨ο⟩ρύπτει, διενίεται.*	—

Haec qui comparaverit, inter Ab abs. et Ps.-Philoxenum aliquam fortasse necessitudinem agnoscet, de Festo fonte magnopere dubitabit.

Restant glossae Amplonianae et, quae cum illis quodammodo cohaerent, glossae eius collectionis, quae codice Cantabrigiensi 144 ('Library of Corpus Christi College') servata est. His quoque glossariis Festina inesse Lindsay sibi persuasit atque ea recepta partim ex glossario Abolita partim ex Ps.-Philoxeno (integriore), quamquam concedit illos fontes neque inter se ubique distingui posse neque a Placido secerni, cuius vestigia hic illic appareant (cf. Corp. Ep. 67; 79; 83). Hanc secutus sententiam in editione glossarii Cantabrigiensis saepius Festi nomen adscripsit, sed ne hic quidem ultra coniecturas satis incertas mea quidem sententia provenit. Atque ut paucas eas glossas omittam, quas ex Abolita fluxisse certum est vel quas supra iam tractavi, agitur de his (conferas velim Th. gl.): A 933 *Avet cupit, gaudet* (cf. P. 14, 9 *Avere nihil aliud est quam cupere . . . cum significet et gaudere*); C 833 *Communicarium †pastiarium* (cf. P. 220, 19 *Pandicularis dicebatur dies idem et communicarius* etc.); F 43 *Fa[u]stum festum* (cf. P. 87, 19 . . . *fasti enim*

dies festi sunt); J 64 *Inploraberis invocaberis* (? cf. F. 230, 11 ... *inplorare id est invocare* etc.; cf. etiam Plac. V 29, 12); M 175 *Messalla messor* (nihil apud F. et P.); M 176 *Mediusfidius deus Sancus mala avertens* (toto caelo distat P. 147, 8!); M 215 *Millum collare*[*m*] *canis* (cf. P. 151, 4 *Millus collare canum venaticorum* etc.); N 120 *Nicto latro* (aliter F. 177, 16); P 471 *Plautus* (immo *Petilus*) *gracili corpore* (aliter F. 205, 22; glossam, quacum cf. Non. 149, 5, apud F. intercidisse suspicatur Lindsay); P 503 *Portisculo malleo* (cf. F. 234, 4 *Portisculus ... id autem est malleus* etc.; rectius gl. ad Aldhelm. de laud. virg. 2 rettulit Goetz; v. etiam supra p. 328); S 218 *Seplasium vicus in Campania, ubi sunt unguentarii* ⟨*Seplasiarii, qui ibi sunt*⟩ (cf. F. 340, 28 *Seplasia ... in quo plurimi unguentari erant* etc.; cf. F. 317, 5). Tenuissima haec esse concedes operis Festini vestigia, si modo Festina sunt. Rectissime autem Lindsay in adnotationibus (p. 206) monet veteres glossographos adhibitos esse a Verrio Flacco indeque factum, ut simillima saepe exsisteret Placidi et Ps.-Philoxeni priscorum verborum interpretatio. Quod latius patere mihi videtur. Non enim Verrius solus ex antiquis illis fontibus hausisse putandus est, verum etiam alii sive recta via sive intercedente ipso Verrio Flacco. Qua de re conferenda sunt, quae Goetz supra in capitibus I, VI, VII (§ 22) luculentissime exposuit. Illos autem fontes ne post Augusti et Tiberi aetatem prorsus exaruisse credamus, monent cum alia, tum Iulii Romani capitula apud Charisium servata, monent Nonii de Compendiosa doctrina libri et Placidi qui vocatur glossae breviores, monet denique Priscianus, qui, nisi fallor, ex ipso Arruntio Celso glossam affert talem (GL II 251, 13) '*Capis vasis genus pontificalis, diminutive capidula. Lucilius in IX*' etc. Nonne igitur credibile est iis, quibus fundamenta debemus glossariorum nostrorum (Ps.-Philoxenum inprimis dico et Abolita), aditum quendam fuisse ad illos vetustos optimarum glossarum thesauros? Quae si iusta est ratiocinatio, desinamus oportet ad unum Festum intenti ora convertere, quem etsi minime omnino exclusum esse velim, tamen non pro unico fonte habendum esse iis, quae supra exposui, aliquatenus probavisse mihi videor.

III. DE GLOSSIS VERGILIANIS

Nullum fere esse glossarium latinum, quod non glossarum Vergilianarum numerum contineat sive maiorem sive minorem, res est notissima; quas glossas plerumque exigui esse pretii non minus constat: sunt enim paene omnes eius generis, quod per totum medium aevum in libris manuscriptis conspicuum est, adscriptae scilicet a doctis monachis poetae versus scholarum in usum interpretantibus. Eiusdem prosapiae esse

illas Libri glossarum glossas Vergilianas, quibus nota *Virgili* adscripta est, Goetz et in libello suo notissimo (p. 266 sqq.) et supra p. 114 sq. ostendit; idem v. d. Vsenerum secutus longe diversi generis esse demonstravit haud parvum numerum glossarum, quae nota *De glossis* instructae sine dubio ad Vergili carmina referendae sunt (v. l. c. p. 276 sqq. et supra p. 117). Et pars quidem illarum addito Donati commentatoris nomine originis indicium aperte prae se fert; aliae ita comparatae sunt, ut ad eundem vel simillimum fontem nullo negotio referri possint, praesertim cum non raro accedat consensus scholiorum Vergilianorum, quae aetatem tulerunt. Iam si quaeritur, qua via scholia illa — nam scholia rectius vocantur quam glossae — in vastum illum eruditionis thesaurum pervenerint, hoc unum certum esse videtur ea ab auctore Libri gl. non ex ipsis commentariis esse excerpta, sed translata ex aliquo glossario, id quod fontis indiculo comprobatur. Hoc vero non iam exploratum est, utrum de glossario Vergiliano ex scholiis composito cogitandum sit an scholia illa iam inmixta fuerint glossis diversae naturae atque originis. Hanc alteram sententiam ut amplecteretur, Lindsay commotus est observato quodam inter glossarii Abstrusa glossas Vergilianas et scholia in Vergilium Bernensia consensu (v. Aff. 122 sqq.). Velut vol. IV 109, 4 hanc legimus glossam *Ligustra et vaccinia florum genera crocei coloris* (cf. 188, 19 [Abol.?] *Vaccinia genus floris crocei coloris*), quacum comparari potest Philargyrii (Explan. I) ad ecl. II 18 adnotatio (omissis interpretamentis hibernicis) *Ligustra*] *... id est flores vel herba. — Vaccinia*] *id est ... violae purpureae ...* [*quia usui sunt* (pertinent ad 'leguntur')] *vel genus floris crocei coloris vel nigrae. — Ligustra et vaccinia*] *id est genus virgulti ambo.* Quamquam hoc exemplum non videtur esse aptissimum: nemo enim non videt verba, quae glossae illi respondent, speciem praebere additamenti pristinae adnotationi inculcati, quo accedit, quod illa de qua agitur interpretatio et in Explan. II et in scholiis Bern. desideratur et omnino tam absurda est, ut vix veteri commentatori possit imputari. Porro comparantur: IV 44, 46 *Corylos avellanas* (= Sang. IV 224, 14) *vel nuces* (= Aff. IV 500, 3) cum Phil. ad ecl. I 14 *C.*] *id est nuces avellanae* (sed Expl. I habet *i. arbor nucis av.* = Expl. II, ubi praeterea legitur *i. coryli et nuces av.*); IV 45, 14 *Corymbi hederarum bacae* cum Phil. ad ecl. III 39 *Corymbos*] *id est bacas ederarum*; IV 24, 15 *Baccare* (*-ne* codd.) *herba iocundior* (*iocundi o⟨do⟩r⟨is⟩* Linds.; *iocundior* etiam Abav. mai. IV 590, 6; Aff. IV 487, 23; A A V 442, 47) cum Phil. ad ecl. IV 19 *Cum baccare*] *id est ... genus herbae floris et odoris iucundi* (sch. B *g. h. florisve iucundi odoris*); IV 58, 42 *Dumosa spinosa* (*aut loca silvestria*, cf. cod. *c* post 58, 46) cum Phil. ad ecl. I 76 *Dumosa*] *id est ...* (*quod* [sc. *capra*] *cum pascitur*) *spinosa* (*pendet*: duas glossas

contaminatas esse docent sch. B. et Philargyrii in Servii lacuna memoria). Praeterea inter glossas Abstrusa et commentarii Serviani additamenta aliquam necessitudinem sibi detexisse visus est v. d.; confert enim IV 117, 18 *Myricae tamarice* cum S. a. ad ecl. IV 2 *M.*] ... *quod vulgo tamaricium dicitur*; IV 172, 18 *Sine mente sine voluntate* cum S. a. ad Aen. V 56 ⟨*Sine mente ...*⟩ *sine numine divum*] *sine voluntate et sine auctoritate*; IV 33, 40 *Caerula nigra a cerae colore tractum* (sed codd. *cd* addunt *puto; est autem nox pallore suffusa!*) cum S. a. ad Aen. III 64 *Caeruleis vittis* (!)] ... *veteres sane caeruleum nigrum accipiebant* etc.; IV 58, 25 *Doris mare* (*vel mater Nereidum aut nympha* add. *ac*) cum S. a. ad ecl. X 5 (*Doris amara*] *mater nympharum est, quam pro mari posuit* Serv.) *vel Doris Oceani filia, coniunx Nerei* (cf. Phil. *D.*] *id est mater nympharum* et *D.*] *nympha maritima*, sim. sch. B.); IV 152, 31 *Puer filius*; *graecum est* cum S. a. ad Aen. III 339 *Puer Ascanius*] *filius, quia Graeci παῖδας etiam filios dicunt*; IV 174, 41 *Spirae nodis* (!), *quibus se ligant serpentes* cum S. a. ad Aen. II 217 (*Spiris*] *nodis* ... Serv.). *inde et posteriora serpentium spirae dicuntur* etc. Neque cum ipso Servio desunt quae quodammodo conspirent, velut IV 31, 5 *Cana mala lanuginem habentia* (*-tem* codd.) *id est cydoniae*, cf. S. ad ecl. II 51 *C. ... mala*] *mala dicit Cydonea, quae lanuginis plena sunt*; IV 103, 1 *Komenae Musae*, cf. S. ad ecl. III 59 *C.*] *musae* etc.; IV 107, 49 *Lebes olla aenea* (*ollae* om. *aen.* codd. *cd*), cf. S. ad Aen. III 466 *Lebetas*] *ollas aereas* etc.; IV 109, 12 *Lembus navicella non grandis*, cf. S. ad G. I 201 *Lembum*] *naviculam admodum brevem* (cf. sch. B.; *L. navis piratica brevis* Brev. Exp.); IV 120, 21 *Mulciber ignis, quod omnia mulceat; ipse dicitur Vulcanus*, cf. S. ad Aen. VIII 724 *M.*] *Vulcanus, ab eo quod totum ignis permulcet*; IV 148, 25 *Profugus porro fugatus vel fugitivus*, cf. S. ad Aen. I 2 ... *profugus ... quasi porro fugatus* etc.; IV 105, 13 *Latex aqua, quae* (vel *quia*) *latet in venis* cf. S. ad Aen. I 686 *latex proprie aqua est ab eo quod intra terrae venas lateat* etc. Atque Servium Donati commento usum esse constat; ad eundem fontem redire additamenta commentarii Serviani tantum non omnia veri est simillimum; Donatum a Philargyrio, a quo pendent Explanationes, scholia Bernensia, Brevis expositio Georgicorum, adhibitum esse coniectura est non improbabilis: iam cum inter haec scholia Vergiliana et glossas Abstrusa necessitudinem quandam intercedere non possit negari, v. d. glossas illas ad Donati commentum referre non dubitat, ita quidem, ut eas ex commentario 'variorum' excerptas esse existimet, cuius auctorem fuisse suspicatur Adamnanum illum, qui in Phil. Expl. I ad ecl. III 90 sic laudatur *De Maevio vero nihil repperi, ut A. ait.*

Libri glossarum auctor quin glossarii Abolita-Abstrusa exemplari usus sit, dubitari non potest (velut inde cum multa alia recepit tum

glossas Iuvenalianas *Ac⟨oe⟩nonetus* [*-itus* codd.] V 162,14 et *Bascaudas* V 170,29 = IV 7,1 et 24,23). Praeterea autem glossarium nihil nisi Abstrusa continens idque plenius atque integrius, quam in Vaticano 3321 et Cassinensi 439 apparet, adhibitum esse concludit Lindsay ex talibus glossis: V 169,1 *Arvina caro ferina* = IV 20,45 et 169,3 *A. c. pinguis ferina* etc.; V 172,29 *Biburnus genera sunt virgularum humilium* (= 253,26 ubi *Vib.* et *virgultorum*) = IV 192,19 *V. g. virgultorum h.* et 172,27 *Biburna genus est ligni minutissimi* + 28 *Biburna humilia virgulta et genere et forma a cupresso remota* (= 253,25 *Vib.*); V 175,5 *Cana fides antiqua fides* = IV 102,55 (*Kana f.*; sed cf. IV 28,38 *C. f. a. f.* Abol. in ordine Vergiliano!) et 175,6 *Cana fides ideo, quia aput senes fides maxima invenitur*; V 195,34 *Excetra secunda est velut inexhaustae malitiae hoc est hydram quem veteres nominarunt* et 196,5 *Excreta plena malitia hoc est ira quam veteres canapum nominarunt* = IV 70,22 (cf. IV 65,41). Quibus exemplis num aliqua vis tribuenda sit, satis incertum est; nam altero et tertio loco de glossis Vergilianis agitur, quae nullo vinculo cum gl. Abstrusa coniunctae sunt, nisi quod ad eundem poetae versum (ecl. I 25) spectare videntur, quo accedit quod gl. *Cana fides* (ad Aen. I 292) rectius glossario Abolita adscribitur; de prima vero et quarta ideo dubitari potest, quia in communi Vaticani et Cassinensis fonte (sicut etiam in his libris ipsis factum est) multa omissa esse videntur, quae in archetypo glossarii Abolita-Abstrusa fuisse credibile est. Accedit quod in codicibus, quos modo commemoravi, permultae glossae repetuntur, ita quidem, ut praeter corruptam formam integrior vel emendatior exhibeatur; cf. etiam quam supra indicavi glossam IV 65,41. Sed haec interim mittamus.

Ab hac quam fecisse sibi visus est observatione Lindsay ad hanc progreditur conclusionem: cohaerent glossarii Abstrusa glossae Vergilianae cum 'Adamnani' commento, quod ex parte quidem ad Donatum redire veri simile est; ad Donati commentum referendae esse videntur Libri glossarum glossae Vergilianae, quae *De glossis* desumptae sunt; adhibuit thesauri illius conditor praeter Abolita-Abstrusa propriam glossarii Abstrusa recensionem eamque et integriorem et uberiorem: hoc ergo glossarium fons fuit scholiorum Vergilianorum, quae glossarii Abstrusa auctor ex commentario illo variorum hausit, quem Adamnanus congessit; inde explicandus consensus inter Abstrusa et scholia Bernensia, Philargyrium etc.

Hanc Lindsayi sententiam novis exemplis novisque argumentis fulcire et comprobare conatus est Thomson (Bern. sch. 257 sqq.; Anc. l. 46 sqq.). Atque primum quidem non exiguum numerum glossarum Abstr. exhibet, quo inter illas et scholia Servii, scholia Danielis quae

vocantur, scholia Bernensia (Phil., Expos.) magnam intercedere necessitudinem evinci posse sibi persuasit. Profecto in utrisque saepe eadem reperitur interpretatio textus Vergiliani, id quod ne alios quidem fugit (cf. e. g. Goetz supra p. 123 sq.); sed num ex consensu glossarum simplicium atque trivialium multum effici possit, magnopere dubitaverim: haud raro enim aegre dicas, quomodo verba poetae aliter explicari potuerint. Deinde de doctrina quadam agitur tralaticia, quae utrum ex scholiis derivata an in commentarios recepta sit, non facile est ad diiudicandum. Postremo si illud factum esse concedimus, minime inde sequitur ex 'Adamnani' commento variorum fluxisse glossas Abstrusa; hoc ipse sensisse videtur v. d. (Bern. sch. p. 263), etsi glossas ad fontes illius commenti redire minus probabile esse contendit. Idem difficultatem, quam ex temporum ratione oriri non ignorat, ita removere studet, ut eum existimem non multos habiturum assentientes. Aut enim Adamnanum alium esse suspicatur atque abbatem nobilissimum anno 704 mortuum aut glossarium Abstrusa incredibili quadam celeritate per terras divulgatum esse sibi fingit. Atqui codex Vaticanus 3321 non ita multo post abbatis mortem scriptus esse videtur; cuius libri memoria iam satis remota est a pristina glossarii Abstrusa forma, qualis ei praesto fuisse putanda est, qui septimo saeculo in Hispania Abolita et Abstrusa in unum corpus coadunavit. Intra paucissimos igitur annos Adamnani commentarios Vergilianos in Galliam translatos, ab auctore glossarii Abstrusa expilatos novumque glossarium amplissimum in Hispaniam transvectum esse sumamus necesse est: quod equidem ut credam persuadere mihi non possum. Accedit alia res: minime enim constat Adamnanum eum fuisse, qui scholia Vergiliana ad eclogas et Georgicon libros spectantia 'de commentariis Romanorum id est Galli et Gaudentii et maxime Iunii Philargyrii Mediolanensis congregavit'; nam ex illa quam supra commemoravi adnotatione nihil sequitur nisi habuisse abbatem in manibus talem scholiorum collectionem, quam hibernicis glossis et Christianis aliquot notis auxisse videtur. Praeterea scholiorum collectio, a qua pendent scholia Bernensia, Explanationes, Expositio, iis quae dixi Vergili carminibus continetur, eamque etiam ad Aeneidem olim pertinuisse mera est coniectura; glossae autem Abstrusa ad omnia Mantuani vatis opera spectant. Vides ergo omnem rem incerta esse incertiorem, qua de causa Adamnanum eiusque commentum variorum valere iubemus.

Melius erit a Libro glossarum proficisci, cuius ingens materies in partes quattuor dividi potest: earum prima desumpta est ex diversis auctoribus (v. Goetz 'Der L. gl.' 256 sqq.), inter quos principem locum obtinet Isidorus; altera amplectitur glossas Placideas, tertia glossas Vergilianas (*Virgili*); quae restat quarta, ea ex glossariis derivata est, id

quod indicatur nota *De glossis*. Minime autem is, cui vastum illud lexicon debemus, omnem materiem ipse congessit: partem enim haud exiguam iam ab alio comportatam fuisse testis est codex Parisinus nov. acq. 1298 s. XI, quem non integrum servatum esse valde dolemus. Hoc libro quae continentur, alteri et quarto quod modo distinximus generi glossarum respondent, ita quidem, ut dubitari non possit, quin ad idem glossarium archetypum redeant et Parisini collectio et Liber glossarum. Fundamentum efficitur glossis quarti generis, quibus glossae Placideae postea ita insertae sunt, ut fere ubique continui ordines appareant, quos proprio signo (*De Placido*?) notatos fuisse in archetypo est cur suspicemur. Hac una re glossarium Parisinum a Libro glossarum differt, quod non paucas glossas Vergilianas continet, quae ab altero glossario abesse videntur; harum in locum aliae glossae ad eundem poetam spectantes successerunt, quas tertio genere supra comprehendimus. Accedit numerus non ita magnus vocabulorum graecorum, velut *gelos, melanchrus, meleto, melas, naophylax* sim., quae fortasse eidem debentur, qui glossas illas Vergilianas (interdum ordine versuum servato: cf. V 141, 28 = Aen. I 59; 31 = I 483; 32 = II 305; 33 = II 356; 34 = II 374; 35 = II 545; 38 = III 392) inseruit. De reliquis huius libri glossis singularibus difficile est diiudicare, utrum ex archetypo translata an a retractatore addita sint. His omnibus resectis quae relinquuntur si cum Libri glossarum ea parte comparamus, quae 'De glossis' desumpta esse videtur, facile cognoscimus huius thesauri materiem multo esse uberiorem. Quae res tribus modis explicari potest: aut enim ea, quibus L. gl. Parisinum superat, in archetypo fuerunt et a Parisini auctore omissa sunt aut ab eo, qui Librum gl. composuit, ex aliis glossariis petita sunt aut denique utrumque factum esse sumendum est, id quod proxime ad veritatem accedere credideram. Nam exhibet L. gl. haud paucas glossas eiusdem prorsus generis atque prosapiae, cuius sunt quas cum Parisino habet communes; praeterea autem sunt quae moneant a Libri gl. conditore alium fontem sive alios fontes glossographicos esse adhibitos. Nolim hic premere, quod nota illa 'De glossis' plures fontes indicari videntur, quorum unus fuit ea glossarii archetypi pars, quam huius fundamentum fuisse supra dictum est; plus ponderis tribuendum est iis glossis, quae in aliis glossariis inveniuntur, velut in Amplonianis, Sangallensi, Abavus, Affatim, quae aliqua necessitudine cum glossariis Abolita et Abstrusa coniuncta sunt. Accedunt glossae non ita multae, si Goetzii excerpta veram rei imaginem praebent, quae ex alia glossarum Abstrusa recensione haustae esse possunt, atque illa est quae in libris contaminati glossarii apparet. Sed cum satis exiguus sit numerus exemplorum vere huc pertinentium, quem ut aliquantum augerem frustra operam dedi, res interim in medio

relinquatur necesse est, praesertim cum pristina glossarii Abstrusa-Abolita forma nondum satis sit explorata.

Ex hoc autem glossario quin ille hauserit qui glossarium archetypum composuit, dubitari non potest. Quamquam glossas Iuvenalianas, quas supra in Libro gl. exstare commemoravi, hic adhibere non possumus, quippe cum liber Parisinus ab initio mutilus sit. Nihilominus rem certam esse his credes exemplis: V 117, 11; 12; 13; 27; 31 = IV 118, 9; 10; 14; 34; 33; V 118, 27 = IV 121, 19; V 119, 43 = IV 122, 52 a et 124, 2; V 120, 39 = IV 124, 1; V 134, 14 = IV 136, 32; V 140, 41; 42 = IV 159, 18; 158, 37; V 144, 23; 24; 25; 26 = IV 164, 22; 27; 31; 32; V 150, 12 = IV 171, 44 + 43 = 172, 37. Haec et alia glossis Abstrusa intermixta testimonio sunt eum, qui fontem Parisini composuit, usum esse glossario Abstrusa et Abolita contaminato.

Quod ad Isidorum attinet, viginti fere glossarum Isidorianarum, quas Parisinus exhibet, si Goetzii excerpta ex Libro gl. comparamus, duae vel tres tantummodo ibi reperiuntur, cum amplius nonaginta huius thesauri glossae, quas ille v. d. elegit, ad Isidori opera referri possint: quod num casui debeatur, nescio. En habes glossas communes:

Paris.	L. gl.	Isid.
V 120, 35 *Nequam ex eo quod* //////// *nequam sit, id est ex eo quod nicil sit, veteres dictum esse voluerunt.*	V 226, 6 *Nequitiam ex eo quod nec quicquam sit, id est ex eo quod nihil sit, veteres dictum esse voluerunt.*	Or. X 187 *Nequam ex eo quod nec quicquam sit, id est ex eo quod nihil sit, veteres dictum esse voluerunt.* (*Nequitiam* cod. Isid. T man. 2; idem *est* pro *esse*.)
142, 49 *Remex* , *quomodo tubex, dicitur nominativo casu.* *non autem tubex, sed tubicen dicendus est,* † *et tubicen, cornicen.*	V 240, 22 *Remex dictus, quod remum gerit. sic autem remex, quomodo tubex, dicitur nominativo casu.* *non autem tubex, sed tubicen dicendum est, ut* † *tubicen, corricen.*	Or. XIX 1, 6 *Remex vocatus, quod remum gerit. sic autem remex, quomodo tubex dicitur nominativo casu.*

Tertiam adderem glossam V 157, 21 (*Teterrimus*) = Isid. Or. X 270, nisi eadem in Libro gl. notam *esidori* haberet; quae nota etsi postea addita esse potest ab eo, qui iterum Isidori copias arcessivit, tamen res admodum dubia relinquitur. Priorem glossam ad Ciceronis Tusc. disp. III 8, 18 redire (qui Varronis de l. l. X 81 sententiam reddit) veri non videtur esse dissimile; altera fortasse ex scholiis Vergilianis hausta est (cf. Serv. ad Aen. V 116), sed aut recentioris aetatis est aut Isidorus fontem neglegenter exscripsit (*quomodo et obex* Areval.). Vtut est, habemus grammaticum, qui mirum illum nominativum, in quo episcopus non

offendit, suo iure reiecit. Sed quis fuit ille grammaticus? is qui archetypum glossarium contulit an fontis, quo ille usus est, auctor? Contenderit enim quispiam non ex Isidoro pendere illius glossarii conditorem, sed utrumque ex eodem fonte hausisse, quem episcopus non integrum reddidisset. Profecto hic summam tetigimus difficultatem, quae num omnino ita expediri possit, ut nulla relinquatur dubitatio, res esse videtur perquam dubia. Neque tamen omnis spes statim abicienda est; ipse enim L. gl. quasdam nobis praebet ansas, quibus usi aliquantum proficere possumus. Etenim si recte conicimus ab archetypi glossarii auctore Isidorum esse adhibitum, in Libro gl. exspectare debemus glossas Isidorianas nota *De glossis* insignitas. Quod revera ita se habere vel exempla a Thomsonio allata satis docent: cf. gl. *Facilis* (ad G. I 79) = Isid. Or. X 98; *Aequora* (ad G. I 50) = Isid. Diff. 66; *Mus* (ad G. I 181) = Isid. Or. XX 3, 4; *Tantalus* (ad G. I 364) = Isid. Or. XII 7, 21 (leviter retract.); *Mulsum* (ad G. IV 101) = Isid. Or. XX 3, 10; *Consors* (ad G. IV 153) = Isid. Or. X 37; *Frendere* (ad G. IV 452) = Isid. Diff. 226; *Manes* (ad G. IV 489) = Isid. Or. V 30, 14; *Lampadas* (ad Aen. III 637) = Isid. De n. r. 8, 2; *Trochleae* (ad Aen. V 77) = Isid. Or. XIX 2, 9/10; *Tautanos* (ad Aen. VII 741) = Isid. XVIII 7, 7. Accedunt aliae glossae ipsae quidem fontis indiculo carentes, quae tamen glossam sequuntur nota *De glossis* instructam; huc pertinent *Fulica* (ad G. I 363) = Isid. Or. XII 7, 53; *Qualos* (ad G. II 241) = Isid. Or. XX 14, 13; *Animatus* (ad G. II 441) = Isid. Or. X 7; *Virus* (cf. Th. ad G. III 281) = Isid. Diff. 601; *Riphaei montes* (ad G. III 382) = Isid. Or. XIV 8, 8; *Canistrum* (ad G. IV 280) = Isid. XX 9, 8; *Stagnum* (ad Aen. I 126) = Isid. XIII 19, 9. Quas glossas Thomson ex parte quidem ex episcopi operibus pendere concedit. Comprobatur autem haec sententia vel inde, quod hic illic miri errores, qui apud Isidorum exstant, in Libro gl. repetuntur. Velut Or. XX 14, 13 habes *Qualos* (= G. II 241) *corbes* (*'colaque prelorum'* = G. II 242), *per quos mustum fluit, a colando dictos*, quae ex scholio, quale Servius exhibet (*Colaque prelorum*) *qualos, per quos vinum defluit, qui et ipsi a colando dicti sunt*, non aptissime excerpta esse nemo non videt: ad verbum consentit L. gl.[1]); Or. XX 3, 10 cod. T (Toletanus) pro *mixtum* exhibet *dictum*: eundem errorem in Libro gl. legimus; De n. r. 8, 2 codices Bambergenses A et B variam lectionem *lampadas* pro *lampas* exhibent, quae et ipsa in Libro gl. invenitur; cf. etiam gl. *Calones* (ad Aen. I 39), quae nota caret, cum Isid. Or. XIX 1, 15: utrobique mirum legitur additamentum *naviculae*, quod apud Servium ad l. c., quem episcopus ex-

1) Nisi quod *mustus* et *dicta* habet, unde in errorem ductus est Th. (Notes 90), qui duas glossas, *Q. c.* et *Colaque pr.* — *dicta* distinguit. At quo referes illud *per quos mustum fluit*? Isidori autem *dictos* (*-us* cod. T) confirmatur Servii verbis.

scripsisse videtur, plane desideratur et sine dubio Originum exemplari debetur. Hic addere liceat glossam V 253, 37 (*Vir*) ex Abstrusa-Abolita (cf. IV 142, 49 + 48) desumptam, cui *De glossis* adscriptum est, auctam esse ex Isid. Or. XI 2, 18 et Diff. r. 83, qui se ipse Lactantio De op. dei (12, 16 sq.) usum esse testatur. Ad postremum in Libro gl., id quod rei quasi cumulum addere videtur, saepenumero eaedem glossae, quae ex glossario archetypo translatae sunt, iterum proferuntur ex ipsis Isidori libris excerptae et auctoris nomine ornatae.[1]) Quae cum ita sint, dubitari vix potest, quin iam is, qui illud glossarium composuit, episcopi Hispalensis copias suum in usum converterit.

Quae glossae praeterea nota illa *De glossis* ex archetypo glossario in Librum gl. receptae esse produntur, eae maximam quidem partem eo vinculo continentur, quod ad Vergili carmina aut aperte spectant aut non sine aliqua probabilitate revocari possunt. Neque tamen omnes, quod ad externam formam attinet, eiusdem generis sunt: modo enim poetae versus, cui glossa olim adscripta erat, subnexus est, modo omissus; hic Donati nomen originem prodit, illic consensus scholiorum Vergilianorum, quae aetatem tulerunt; reperiuntur etiam, quibus alii sive Vergili sive aliorum auctorum loci apponuntur. Exempla afferre supersedeo, quippe quae facillime invenire possit qui vel glossarium Parisinum cum Libro gl. contulerit vel amplissimam Thomsoni syllogen perlustraverit. Videntur autem excerptae esse illae glossae ex codice Vergiliano scholiis uberrimis instructo, quae scholia quin non omnia eiusdem fuerint originis atque pretii, dubitari non potest. Nam ut satis magnam partem nullo negotio ad vetustos commentarios revocare possumus, ita multa esse intermixta, quae recentiori aevo adscribi debeant, nemo non videt: cf. e. g. V 106, 1 *Gelonos gens Arabum* (ad G. II 115, unde mira interpretatio hausta); 119, 7 = 225, 4 *Nais genus herbae. Virgilius* (ecl. II 46) '*tibi candida nais pallentes violas*'; 126, 3 = 229, 2 *Olenaee Olenaeus ad quem Vergilius* (G. II 4) *loquitur pro omnia genera frugum* (!), etc. Talem fontis condicionem non mirabitur, qui meminerit ad alios poetas simillimam in libris manuscriptis inveniri congeriem scholiorum optimorum et vilissimorum. Iam fac illum, qui archetypum glossarium composuit, in eiusmodi codicem incidisse indeque excerpsisse, quae ei ad propositum apta videbantur: facili opera omnia expediuntur. Neque vero ille Vergilianum librum inspicere satis habuit: sunt enim quae doceant ex aliis quoque auctoribus eum collegisse quae memoratu digna iudicabat. Ac

1) Huc inter alia pertinere videtur glossa *Iaculum*, quam tractavit Mountford (Lib. gl. XV 193). Ea ut ex Isidoro Or. XIX 5, 2 exscripta est, ita fontis indiculum habet *Esidori*; sed ad eundem Originum locum redit glossa *Iaculum* Parisino et Libro gl. communis V 110, 16 = 209, 12.

primum quidem Lucani codicem glossulis instructum ab illo adhibitum esse pro certo affirmari potest; nam etsi constat inde a Servii temporibus Lucanum in scholiis Vergilianis saepissime esse laudatum, tamen non modo non est cur glossas Lucaneas ex tali fonte desumptas esse sumamus, verum etiam sunt quae nisi ad ipsum Lucanum referri nullo modo possint, velut V 112, 13 *Lemannus*; 113, 11 = 218, 27 *Limfato*; 114, 21 = 219, 32 + 27 *Lurida*; 174, 5 *Chalybem*; 147, 37 = 243, 27 *Scrobem* (cf. Adnot. sup. Luc. ad VIII 756; glossator rem invertit, cf. Serv. ad G. II 288); al. Deinde ex Statii codice non solum glossas aliquot excerpsit, sed etiam Thebaidos versus X 84—98 in collectanea sua transtulit; minime enim Thomsonio crediderim hos versus olim in scholiis Vergilianis ad G. II 469 adnotatos fuisse, neque magis voci 'puto', quae in glossa legitur, eam vim tribuendam concesserim, ut ipsius Donati manum agnoscamus, quae viri docti videtur esse sententia. Donatus, quantum scimus, Statium non curavit, qui demum apud Servium saepius laudatur. Quodsi V 166, 10 loco Vergiliano, ad quem spectat glossa, adscripta sunt Statii Theb. IX 769 verba, haec ad schol. Verg. ad Aen. X 564 referre non opus est, siquidem a glossarum collectore addita esse possunt. Ceterum moneo glossam *Vidui clavi desolati gubernaculi navis. poeta 'subit a⟨d⟩ vidui moderamina clavi'*, quam Thomson ad Verg. G. IV 518 adscripsit, ad Stat. Theb. X 183 referendam esse; cf. V 186, 29 *Crinalem cerastim serpentem de capite pendentem. poeta* (Stat. Th. XI 65) *'crinalem attollit longo stridore cerastim'*. Porro codicis Terentiani in usum vocati certum mihi detexisse videor vestigium in glossa V 190, 5 *Dis dives. Terentius* (Ad. 770) *'si dis quidem esses, Demea'*, ubi *si* nihil est nisi personae nota *SY(RVS)* male intellecta et per errorem in collectanea translata; alias glossas Terentianas habes V 108, 18 = 207, 14; 123, 7 = 227, 22; 190, 2; 191, 30; 215, 2; 249, 37. Diversi generis sunt glossae Terenti versibus illustratae hae: V 145, 29 = 241, 26 (cf. Serv. ad G. I 105; Aen. XII 453 c. sch. Dan.); 187, 1 (cf. Serv. ad ecl. III 1); 189, 32 et 33 (cf. S. Dan. ad Aen. I 73): quas glossas ex scholiis Vergilianis desumptas esse in propatulo est; dubitare possis de glossa 205, 42 (cf. S. Dan. ad G. I 151; Don. ad Ter. Eun. 79 et Hec. 2). Ad scholia Vergiliana sine dubio aliorum quoque auctorum loci in glossis allati referendi sunt, inprimis Sallustiani (cf. Goetz 'Der Lib. gl.' 280). Glossis Vergilianis, quibus Horatius laudatur (V 187, 23, cf. Serv. ad G. III 539; 214, 26), addi potest V 236, 9 *Prelum. Horatius 'et prelo domitam Caleno tum bibis uvam' pro vino dixit*: spectare enim videtur ad Verg. G. II 60, ubi Servius eosdem versus affert.

Ad eundem fontem redire plerasque glossas, quibus Varro, Plautus, Lucilius, Lucretius laudantur, cum omnino probabile est, tum scholiorum servatorum testimonio saepius confirmatur; paucae restant, in qui-

bus dubites, velut in Plautinis V 176,10 *Catamitum*; 236,14 *Proluit*, quae ex codice Plautino desumptae esse possunt. Idem fortasse valet de glossa Ciceroniana V 232,29; de Sallustianis V 220,29; 251,3. Non enim incredibile videtur auctorem glossarii archetypi sibi inter legendum quaedam enotasse, quae condendo operi insereret. Huc ni fallor spectat glossa V 121,24 = 226,23 *Nitela. Solinus* etc. (cf. ed. Momms. p. 218,27); fortasse eodem referendae glossae V 223,18 (*Dracontius*); 236,7 (*Sedulius*); aliae. Sed haec iam mittamus. Restat, ut de iis glossis breviter disseramus, quibus Donatus nominatur. Eas ad grammatici commentarios Vergilianos redire recte perspexerunt viri docti. Sed cum paene extra omnem dubitationem positum sit permultas huius glossarii glossas Vergilianas, quae quidem cum Servio et scholiis Danielinis consentiant, ex eodem fonte fluxisse, quomodo explicabitur, quod paucis tantummodo locis auctoris nomen laudatur? Rectum vidisse putaverim Lindsayium, qui (Abstr. 128) non ex ipso Donati commento glossas excerptas censet; accuratius mea quidem sententia Thomson (Anc. l. 58) rem definivit: suo enim iure contendit et glossas et scholia non tam ex ipso Donati opere esse haustas quam ex commentariis a nescio quo non multo post Donati aetatem retractatis: qua in re bene ei convenit cum Barwickio, qui tales commentarios a Donateis paulum diversos et circa annum 400 confectos fontem scholiorum Vergilianorum praeter Servium fuisse censet. Sed hanc quaestionem hic pluribus exsequi nolo; id unum addam glossis hic illic integriorem scholiorum formam esse servatam, quod e. g. comparatis scholiis Dan. ad Aen. IV 262 (*alii ... alii*) et glossis V 215,4 = 216,19 (*Iulius Suavis ... Suetonius*) optime cognoscitur.

Constat igitur eum, qui glossarium archetypum condidit, praeter alios fontes scholia Vergiliana cum Danielinis artiore vinculo coniuncta suum in usum vocasse, neque dubitari posse videtur, quin qui Librum gl. composuit, ex illo glossario multo plura deprompserit quam is, qui codicem Parisinum exaravit; Parisinus enim multa contractionis vestigia ostendit exceptis fortasse iis partibus, quae ad Placidum spectant, quamquam ne hic quidem illum nihil omisisse procul dubio est (cf. Goetz, Ind. Ien. 1886, VI). Difficilius est glossas Libri gl. Vergilianas, quae ad vetustos commentarios redeunt, certis ubique circumscribere finibus, quia non raro scholia Serviana et Danielina, quorum auctoritas in hac re plurimum valet, nos plane destituunt; qui vero relinquuntur testes, scholia Bernensia (Philarg.) dico et Isidorum, ii non tam fideles sunt, ut omnis dubitatio excludatur. Nam scholia illa non omnia ex antiquis fontibus manasse, immo multa inmixta esse, quae recentiorem aetatem sapiant, primo statim obtutu nemo est quin cognoscat; in Isidoro autem, quem non solum ex Servio, sed etiam ex alio vetusto commentario Vergiliano

hausisse satis iam exploratum est, periculum est, ne ad communem fontem referamus, quae ex ipsius operibus per glossarium illud archetypum in Librum gl. derivata sunt. Minime enim nota 'De glossis' sive adscripta sive subaudienda Isidorum ipsum excludi post ea, quae supra exposui, neminem spero non esse concessurum.

Relinquitur una quaestio eaque non ita magni momenti, utrum glossarii archetypi auctor glossas ex integro atque continuo commentario Vergiliano delibaverit an ex scholiis codici Vergiliano adspersis. Hanc alteram sententiam per se non esse inprobabilem supra iam indicavi; comprobari videtur glossa quadam Libri gl., quam Thomson ad vetustum fontem revocare non dubitat: legitur enim in illo thesauro (Goetz hanc glossam non recepit) *Thiasus* (leg. *-os*) *thiasi chori* (*-os* vel *-osi* codd.) *sacra dicentium* (*duc-* Thoms.) *Liberi patris. et* (*hasta* add. Thoms.) *gestamen in sacris* (*-orum* codd.) *erat †ut vitibus uvae†*, cuius glossae vel potius glossarum ad Verg. ecl. V 30 et 31 pertinentium ultima verba per errorem ex versu 32 Vergiliani carminis transcripta sunt. Sed cum in scholiis similia non reperiantur, res incerta est. Ex duplicibus autem glossis vel scholiis, velut V 189, 32 et 33 (ad Verg. Aen. I 73, cf. schol. Dan. et Serv.), non statim concludi potest duobus codicibus diversis usum esse eum, qui haec collegit.

Omnia si iam comprehendimus, haec fere statuenda videntur: collegit nescio quis 1) glossas ex glossario Abstrusa-Abolita desumptas, 2) glossas Vergilianas varii generis et pretii, Lucaneas, Statianas, quibus addidit 3) glossas, quas inter legendum ex diversis libris (in quibus etiam Sacra scriptura fuisse videtur) sibi enotaverat, et 4) quae ex Isidori operibus memoratu digna iudicabat; hoc quasi operis sui fundamentum auxit glossis Placideis, quas in ordinum calcibus continuas adiecit paucis alio loco suppletis. Huius glossarii archetypi epitome servata est codice Parisino; prioris operam suscepit is, qui Librum glossarum ita condidit, ut illud glossarium totum, quantum videtur, suum in usum converteret, qua in re glossas Placideas auctoris nomine indicavit, reliquas nota 'De glossis' comprehendit; eandem notam eis adiecit, quae ex aliis glossariis (e. g. Abstrusa [?], gl. bibl.) assumpsit, cum ingentem molem, quam ex aliis fontibus ad amplificandum opus congessit, singulis auctoribus vel libris, quos adierat, fontium indiculis appictis assignaret. Hos indiculos, cum amplissima materia ad severiorem alphabeti ordinem redigeretur, hic illic delatos, commutatos, omissos esse nemo mirabitur; idem in transcribendo saepius usu venisse et consentaneum est et ex comparatione librorum manuscriptorum luce clarius apparet. Sane huius rei rationem habere debet, qui singulas glossas ad suum quamque fontem revocare volet; cavendum tamen est, ne praeoccupata

mente hunc laborem suscipiamus, quod periculum Thomson non ubique vitavisse mihi videtur, inprimis cum notam 'De glossis' Isidorianis praescriptam suo loco movere studet (cf. quae supra attuli exempla). In universum prospero successu v. d. antiquorum commentariorum reliquias ex Libro glossarum protraxit; de eis vero, quae ex glossis Abstrusa congessit, saepissime magna exsistit dubitatio, non solum num ex vetustioribus commentis hausta sint, sed etiam num omnino ad Vergili carmina referri possint (quod idem de nonnullis glossis, quas ex Libro gl. attulit, valere monuerim). Quid enim ad Vergilium glossae IV 189, 29 *Vecors ineptus corde* et L. gl. *V. sine corde sive vitiato corde* (Aen. X 583 *'vesano'*!) vel, ut luculentius afferam exemplum, IV 104, 3 *Lanius,* 104, 4 *Lancinat,* 104, 5 *Lanista,* 104, 9 *Lancinaverunt,* 104, 11 *Lancinata cute* (G. III 514 *'laniabant'*!)? quid glossa IV 33, 40 *Caerula,* quam non ad G. I 236, sed ad nescio cuius auctoris verba 'caerula nox' pertinere ipsa testis est? Alibi interpretatio minime quadrat ad sensum, qui poetae loco inest; cf. IV 34, 21 *Ciebo vocabo, clamabo* cum Aen. IV 122 'tonitru caelum omne ciebo' vel IV 8, 35 *Adnuit consentit, favet, adquiescit* cum Aen. IV 128 'adnuit atque dolis risit', sim. Eiusmodi permulta maximam partem ex glossis Abstrusa petita ex collectione scholiorum Vergilianorum removenda sunt. Idem cadit in alias glossas, quarum verum fontem Thomson non agnovit. Velut eum fugit tertiam glossam, quam ad ecl. II 31 adscripsit, Placidi esse et vol. V 27, 11 = 90, 22 legi; ad eundem redit glossa ad Aen. IV 166 adnotata *Pronuba — coniunctionis* = V 95, 6, quae praeterea exstat V 38, 1 et 138, 30 (ordo Placid.), ubi recte *quaeque nubentem viro coniungit*; Placidi ni fallor est etiam gl. ad Aen. XII 35 *Recalent,* nam cod. Parisinus eam in continuo ordine Placideo exhibet V 144, 4. Ex Isidori De n. r. 4, 4 (qui Augustinum exscripsit) pendet gl. V 199, 21 (ad G. I 43 eam rettulit et praeter necessitatem mutavit Th.); ex eiusdem auctoris Orig. XVII 7, 67 desumpta est gl. (ad G. II 88) *Volaemis — involare dicimus,* id quod et miro nominativo et verbis *genus olivae* confirmatur, quae nisi ex Isidoro fontibus neglegenter uso intellegi non possunt; ad Aen. I 330 apud Thomsonium legimus glossam *Felix dicitur — felix eventus* (*'Esid.'*!), quae non ex Orig. X 97, sed ex Diff. 72 exscripta est (ubi deest quod Th. addi iubet *per quem*!); ad Isid. Or. X 90 referenda est gl. V 195, 26 (ad Aen. I 484 sec. Th.), ad Or. X 158 gl. *Labens — celerior est* (ad Aen. II 14), ad Diff. 307 gl. *Focus — dictos a fotu* (ad Aen. III 134; cf. Or. XX 10, 1), ad Or. X 7 gl. V 163, 43 (ad Aen. VI 173), ad Or. XI 3, 29 gl. *Gorgones — in lapides* (ad Aen. VI 289; verba *fingunt poetae fuisse* excerptor supplevit, cf. V 177, 6; 219, 11; 255, 21), ad De n. r. 1, 4 gl. V 236, 10 (ad Aen. XII 779), al. Ad Augustinum De c. d. XVIII 21 redire videtur glossa *Aventinus — dictum Aven-*

tinum ('*Eutrop.*'! cf. Goetz, 'Der Lib. gl.' 264), ubi ex illo corrigendum est *alii sane noluerunt* etc.; a Thomsonio ad Aen. VII 657 adscripta est. Ex Audacis grammatica G L VII 354, 15 sine dubio prodiit gl. V 248, 16 (ad Aen. X 210 Th.; de Audace cf. Goetz l. c. 266); ex Capri qui dicitur Orthographia G L VII 98, 1 gl. *Lactens quod lacte alitur — laudas brachia* (ad G. I 315), quod communibus corruptelis satis comprobatur (de emendanda glossa cf. Mountford, Lib. gl. 194); de eodem fonte cogitandum est in glossis V 221, 22 (ad ecl. VIII 65 Th.), cf. Gr.L. VII 96, 7, et V 214, 13, cf. l. c. 100, 1.[1]) Quodsi Thomson similitudinem ex Flavi Capri libris repetere conatur, quoniam Servium illis usum esse constat, hoc non magis ei crediderim, quam si glossam *Faunorum modorum*, quae aperte Placidea est = V 22, 8, propterea quod *De glossis* in Libro gl. adscriptum est, ex Donati, qui Cornuto sit usus, commento oriundam suspicatur, quoniam Cornuti mentio facta sit in glossis Placideis V 29, 4 et 33, 10 = 77, 18 et 82, 20 = 116, 5. Eiusmodi ambages nemo opinor probabit.

Haec de Libro glossarum sufficiant. Sed quid tandem iudicandum est de glossario illo 'Abstrusa maior', quale Lindsay et Thomson animo sibi finxerunt? Quicumque Thomsoni syllogen perlustrabit, eum non fugiet glossarum vere Vergilianarum duo genera satis clare posse distingui: ab altera parte stant glossae brevissimae atque simplicissimae, quales inter lineas librorum adscribi solebant, ab altera glossae et ampliores et plerumque doctiores, quae rectius cum scholiis in marginibus codicum adnotatis comparantur. Hoc genus Libri glossarum proprium est, illud paene totum ex glossario Abstrusa petitum, cuius generis glossas sive hac sive illa via etiam in Librum gl. transisse constat. Nullo autem alio vinculo duo illa genera inter se coniuncta sunt, nisi quod alterum (scholia dico Libri gl. vel potius glossarii archetypi) ex vetustioribus commentariis Vergilianis si non totum, at certe maximam partem excerptum esse videtur, alterum autem aliquotiens cum scholiis Vergilianis, quae aetatem tulerunt, plus minusve consentit. Quod qui commode explicari possit, supra indicavi. Minime vero inde concludere neque debemus neque possumus scholia illa ex glossario Abstrusa integriore esse petita, quod quominus sumamus, obstant quae de Libri gl. et glossarii archetypi origine atque compositione enucleavisse nobis videmur.

IV. DE GLOSSARIIS IVVENALIANIS

Cum novam scholiorum Iuvenalianorum editionem praepararem, fieri non potuit, quin etiam ad glossaria Iuvenaliana animum adverterem,

1) Quae Rees, Class. Quart. XVI 106, exposuit, mihi non innotuerunt.

quorum unum ab Henrico Keil in Indice schol. Hal. a. 1876 primum editum a Goetzio in vol. V p. 652 sqq. iterum typis expressum est. Constat hoc glossarium, quod e codice Parisino 7730 s. X deprompsit Keil, glossis 247, quarum circiter 170 ad Iuvenalem spectare Keilii, Wirzii ('Philol. Anz.' X 479 sq.), Heraei (Arch. lexic. lat. IX 594 sqq.) opera comprobatum est. Has glossas, quibuscum mihi inprimis res est, E. Lommatzsch, qui proxime de iis disputavit (Quaest. Iuvenal., Lips. 1906, p. 279 sqq.), saepenumero cum scholiis glossisque, quae codicibus Iuvenalianis servantur, plus minusve congruere suo iure statuit, sed cum harum adnotationum originem non satis perspexisset, de aetate et pretio glossarii Parisini quae protulit, ea vereor ne probari non possint. Scholiorum Iuvenalianorum in universum duo genera distinguenda sunt, quorum alterum efficitur adnotationibus illis, quae codicibus Montepessulano 125 (ol. Lauresham.) s. IX, Sangallensi 870 s. IX/X, schedis Aroviensibus s. X traditae ad eosdem commentarios vetustos redeunt, e quibus maximam partem commentarii 'Probiani' manasse constat, quem G. Valla a. 1486 publici iuris fecit. Ab his scholiis 'Pithoeanis' quae vocantur alienum est commentum illud 'Cornuti' nescio cuius nomine vulgo ornatum, quod in multis codicibus Iuvenalianis, qui ω littera comprehendi solent, reperitur neque tamen in omnibus eadem forma, sed duabus potissimum recensionibus, quae ut multa habent communia, ita ad unam quasi officinam referri possunt: magnam enim adnotationum partem ad Heirici et Remigii Autissiodorensium studia redire probe demonstrari potest, unde simul evincitur scholia illa 'Cornuti' altera saeculi IX parte non esse vetustiora. Neque tamen docti illi monachi omnia, quae ad versus Iuvenalianos explicandos adnotaverunt, suo ipsorum ingenio aut iis qui tunc temporis tritissimi erant auctoribus — praeter ceteros Servium commemoro — debent: immo pervenerunt ad eos frustula quaedam vetusti illius commentarii, cuius supra mentionem feci, neque illa e codicibus stirpis Pithoeanae deprompta, sed aliis libris manuscriptis paululum diversae ab illis recensionis servata. Cuius commenti reliquias habemus in codicibus Londiniensi Mus. Brit. Add. Mss. 15 600 s. IX et Leidensi bibl. publ. 82 s. XI recentioribus adnotationibus intermixtas (cf. Wagner, De deter. Iuvenalis codicum memoria, Traiecti 1902). Partem vero adnotationum vetustiorum ii quoque suum in usum converterunt, quibus scholia recentiora deberi supra commemoravi. Idem viri docti hic illic glossas interlineares in commentarios suos receperunt, quibus omnes fere recensionis ω libri Iuvenaliani scatent, cum in alterius familiae codices Montepessulanum et Aroviensem, quorum archetypus talibus glossis caruisse videtur, ab altera demum manu una cum correcturis plurimis et aliquot scholiis recentioribus (hoc de Montep. valet)

illatae sint: unde quid de aetate codicis Montepessulani manus secundae, quam *p* littera significare consuevimus, statuendum sit, in promptu est.

His praemonitis ad glossas Parisinas accedamus atque primum eas, quae cum scholiis et glossis Iuvenalianis conferri possunt, proponamus; qua in re usi sumus siglis his:

π = scholia Pithoeana.
λ = „ Leidensia (et Londiniensia).
φ = „ Vossiana, qualia exstant in codicibus Leid. Voss. 18 et 64 s. X.
χ = „ quae ad alteram medii aevi recensionem pertinent, qualis exhibetur codd. Paris. 9345 et Vatic. Vrbin. 661 s. XI.
gl. π = glossae codicis Pithoeani (man. sec.).
gl. φ = „ codicum Vossianorum.
gl. χ = „ codicis Vrbinatis.
gl. λ = „ codicis Leidensis 82.

V 652, 1 et 2 ad Iuv. III 204: cf. $\varphi\chi\lambda$ *Abacus est mensa vel tabula geometricalis . . . dicitur et mensa marmorea, ubi ponuntur calices* etc.

V 652, 3 ad Iuv. II 86 = π, gl. $\pi\chi\lambda$ (gl. φ *pingui*, cf. schol. φ: *abdomen dicitur pinguedo, sed ut Servius dicit neque pinguedo neque pinguetudo facit, sed tantum hoc pingue*).

V 652, 10 ad Iuv. VI 631 = π *dulcia* etc. (aliter gl. $\pi\varphi\chi$ *edulia adipe condita*).

V 652, 11 ad Iuv. VII 214: cf. gl. $\pi\varphi$ (*Allobroga*) *accusativus graecus est*; gl. λ *Allobroga i. Gallum Rufum.*

V 652, 13 ad Iuv. VII 87: cf. π med. schol. *nisi cantionem inauditam pantomimo vendidisset.*

V 652, 14 ad Iuv. VI 422: cf. gl. λ *Idest alapam dedit in femore eius* etc.

V 652, 16 ad Iuv. VI 554 = χ medio in scholio (paulo aliter φ).

V 652, 20 ad Iuv. VI 534 = λ initium scholii ($\varphi\chi$ leviter differunt).

V 652, 21 ad Iuv. VI 385 (*Acipi* pro *Appi* = lectio cod. π; *id est alti* = lectio codd. ωp; gl. *et nobilis*) = gl. $\pi\varphi$.

V 652, 22 ad Iuv. VI 64 = gl. $\varphi\chi$.

V 652, 26 ad Iuv. II 7 = gl. $\chi\lambda$.

V 652, 27 ad Iuv. VI 236 = gl. χ (gl. λ *proprium medici*; cf. π initium scholii).

V 652, 29 ad Iuv. V 72 (*Artoptae* lectio cod. π; *artocopi* rell.; gl. *pistoris*) = gl. $\pi\varphi\chi\lambda$.

V 652, 30 ad Iuv. II 170 = χ.

V 652, 32 ad Iuv. VI 16: cf. χ *iurant enim illi* (sc. *Graeci*) *assidue per caput alterius ita* ΜΑ ΤΟΝ ΚΕΦΑΛΟΝ COY; λ *ita iurant Graeci* ΜΑ Τ. Κ. C.; sim. φ.

V 652, 34 ad Iuv. I 20: cf. 'Prob.' . . . *Aurunca pro Italia . . .*

V 652, 39 ad Iuv. II 92: cf. π (*B. molles*) $\varphi\chi$ (*m. et effeminati* vel *evirati*).

V 652, 42 ad Iuv. III 28: cf. χ *baculus facit diminutivum bacillus* etc.

V 652, 43 ad Iuv. II 106 = χ.

V 652, 44 ad Iuv. VI 156: cf. χ . . . (*est vero adamans*) *lapis optimus et durissimus, de quo calices reges habent.*

V 652, 45 ad Iuv. V 89 = χ medio in scholio . . . *apud quos pessimum nascitur oleum Tripolitanum vocatum . . .*

V 652, 51 ad Iuv. II 13: cf. χ *mariscae . . quae vulgo ficus dicuntur* (= gl. λ).

V 652, 53 ad Iuv. III 234: cf. φχλ *Meritoria .... loca, in quibus mercimonia adquiruntur.*

V 652, 54 ad Iuv. VI 159 = gl. φ (χ non liquet) = schol. χ med. (*mero autem nudo* etc.)

V 653, 3 ad Iuv. I 11 = gl. χ (cf. schol. φ *unus centaurorum fuit* etc.).

V 653, 6 ad Iuv. VI 202: cf. gl. λ (χ non liquet): *hoc enim veteres populo erogabant in nuptiis.*

V 653, 11 ad Iuv. X 8 = gl. πφχ (plural.).

V 653, 13 ad Iuv. VI 590: cf. φχ *falas dicit ligneas turres* etc., λ *falas i. turres ligneas* etc.

V 653, 14 ad Iuv. VI 249 = λ *Floralibus — fiunt* (φχ . . . *Floralia in quibus omnia turpia* [*licite* add. χ] *fiebant* etc.; totum scholion habes apud Remigium ad Prudentium p. 166 Burnam).

V 653, 16 a ad Iuv. XIV 5: cf. π.

V 653, 19 ad Iuv. VIII 147: *Dam.* varia lectio in π (marg.) ad *Lat.*; item in Vrbin.

V 653, 20 ad Iuv. VII 54 = gl. πχ.

V 653, 24 ad Iuv. VI 198 = χ *H. et C. antiquissimi tragoedi vel rhetores fuerunt* etc.

V 653, 25 ad Iuv. VI 551 = χ . . . *vel orniromantia* (!) *divinatio quae fit in extis pullorum* (= φ); *multi enim futura praedixerunt* (*multa enim in his futura conjecta sunt* λ).

V 653, 26 ad Iuv. VII 52 = π (nisi quod *grece* hic deest).

V 653, 30 ad Iuv. V 155 = λ *Genus teli lorum habens de pelle caprina.*

V 653, 31 ad Iuv. III 11: cf. π.

V 653, 32 ad Iuv. IV 147: cf. χ *Gethae sunt Gothi populi.* (v. gl. V 654, 14). *in quibusdam enim codicibus Gratis legitur; Gratae sunt autem Scothi.*

V 653, 38 ad Iuv. VI 551: cf. gl. λχ *chinomantiam dicit.*

V 653, 39 a ad Iuv. VI 7 = gl. πφχ; cf. χ *Cynthia id est Diana a Cynthio monte* etc.

V 653, 41 ad Iuv. III 293 = λ.

V 653, 50 ad Iuv. III 14. cf. φχ *Cophinus est vas vimineum . . . quod et corbis dicitur* etc.

V 653, 53 ad Iuv. III 251 = χ.

V 654, 1 ad Iuv. V 25: λ *C. id est lunaticum* etc.

V 654, 4 ad Iuv. III 83: cf. gl. π.

V 654, 14 v. supra ad 653, 32.

V 654, 16 ad Iuv. III 263: cf. χ *G . . . genus vasis vel ampullae quo . . . oleum athletis deferebatur luctaturis; dictum autem g. a brevitate* etc. (sim. φ).

V 654, 20 ad Iuv. VI 604: cf. π? (*de familia nobili nomen tenuerunt*).

V 654, 21 ad Iuv. VIII 175: cf. φχ *S. vocatur feretrum plebeiorum* etc. (hinc gl. π).

V 654, 22 ad Iuv. III 255: φ *Serracum genus erat .... vehiculi .... erat autem cum humilibus et solidis rotis*; fere eadem χ (*Sarracum*!).

V 654, 23 ad Iuv. VII 118 = λ (*Sc. — advocatorum* ⟨*velut quaedam casae et stationes*⟩ *quae — ornant — vicerunt.* ⟨*Cicero 'correpsimus, inquit, scalas'*⟩), cf. π; ex his pendent φχ

V 654, 26 ad Iuv. VI 89: cf. gl. λ (*pictis, ornatis*), *structis, intextis* (schol. χ *nobilibus scilicet, instructis, praeparatis* etc., sim. φ; cf. gl. π).

V 654, 27 ad Iuv. VI 99 = λ *aqua navis putens quae de tabulato navis descendunt* (!).

V 654, 28 ad Iuv. VI 105: cf. λ *id est proprium gladiatoris* etc.

V 654, 30 ad Iuv. X 170: cf. gl. π *civitate*, gl. φχ *proprium civitatis exulum.*

V 654, 31 ad Iuv. IV 16: cf. π *sex librarum.*

V 654, 32 b ad Iuv. I 82 = gl. π (*oracula sive*) *responsa.*

V 654, 33 ad Iuv. V 82: cf. χ *S. genus est piscis optimi et delicati* etc. (φ *S. est piscis species delicati* etc.).

V 654, 34 ad Iuv. VIII 1: cf. λ *Stemma dicitur familiae descriptio i. genealogia* (φχ *St. d. g. id est f. nobilis descriptio*).

V 654, 35 ad Iuv. III 5: cf. φχ *S. autem platea est Romae famosissima.*

V 654, 36 ad Iuv. VI 187 = φ *Sulmone civitas Samniae* (!) *est, quae est pars Italiae*; χ *S. c. est Samnii, Samnium autem Tusciae vicinum est.*

V 654, 41 ad Iuv. III 241: cf. gl. φ *vel simul, pariter in eundo* vel VI 481 = gl. πφ.

V 654, 43 ad Iuv. VI 352: cf. φχλ *O. proprium pauperis mulieris* etc.

V 654, 46 ad Iuv. VI 455 = gl. π.

V 654, 47 ad Iuv. III 207 = φλ *O. m. rosores litterarum. opizare* (*opizizare* λ) *dicitur* (*-mus* φ) *minuere litteram* (*in* add. φ) *loquendo.*

V 655, 1 ad Iuv. VI 47 = π; cf. gl. πφχ *Iovem in Capitolio.*

V 655, 3 ad Iuv. VI 129 = gl. πφχ (*Tentigine libidine*).

V 655, 8 ad Iuv. III 267: cf. χ *Tr. genus est nummi . . . quem antiqui olim mortuis hominibus . . . in ore ponebant* etc. (sim. φ).

V 655, 9 ad Iuv. III 108: cf. λ *Trullam auream sonum dicit ventris et partem obscenam* (!) *divitis hominis.*

V 655, 14 ad Iuv. VI 400 = π (*Paludatis . . . clamidatis* etc.)

V 655, 18 ad Iuv. II 99: cf. φχλ . . . *pathici autem patientis libidinem.*

V 655, 21 ad Iuv. XIV 186 = φ *Pero calciamentum est rusticum* etc.

V 655, 22 ad Iuv. III 38: cf. φχ (*Forire dicimus foras ire hinc*) *Foricas* (*phor-* Paris. 9345) *dicimus cloacas, in quas publica civitatis stercora defluunt; nam latrinae dicuntur privatae in domibus*; λ *Forire veteres dicebant ventrem dehonerare* (= 'Prob.'; cf. π).

V 655, 23 ad Iuv. VI 610 = gl. λ *id est materiam* (!) *vel carmina vel pocula.*

V 655, 28 ad Iuv. II 147: cf. φχ *Omnes nobiles . . . in theatro super podium spectabant ludos.*

V 655, 29 ad Iuv. III 266; cf. χ *graece posuit portitorem* etc. = gl. π (cf. gl. φ *Carontem portitorem graece*).

V 655, 30 ad Iuv. III 5: cf. φχ *Pr. civitas est in insula quadam* etc.

V 655, 32 ad Iuv. III 296: cf. φχλ *Proseuke dicunt Graeci orare . hinc proseuka vocatur casula pauperum . . . in qua manentes stipem . . . petunt. Proseuka etiam dicitur oratio*; cf. π.

V 655, 33 ad Iuv. XI 138: cf. π?

V 655, 35 ad Iuv. VI 34: cf. 'Prob.' *pusio . . . a puero factam diminutionem* etc.

V 655, 40 ad Iuv. VI 133: cf. φχ *virus* (sic et gl. π) *quod destillat ab inguine equarum . . . quo saepe magi usi sunt.*

V 655, 43 ad Iuv. X 17: cf. φ *Lateranis* (!) *palatium fuit Neronis, quod dictum est* etc. (cf. infra ad Papiam).

V 656, 4 ad Iuv. VI 477 = π (*nuntius*).

V 656, 5 ad Iuv. III 240 = φχ *L. genus vehiculi in modum navis* etc.

V 656, 6 ad Iuv. VI 477: cf. π (*lecticarius*); cf. ad IV 75 gl. π *proprium praeconis nomen* etc.; λ *Praeco erat iste* etc.

V 656, 7 et 8 ad Iuv. II 23 (vel X 308): cf. χ ad II 23 *Loripedes* (*-pes* φ) *dicitur tortos habens pedes* (sic et φλ) . . . *vel, ut quidam dicunt, est genus hominum loreis pedibus, qui et antipodes* (!) *dicuntur.*

V 656, 10 ad Iuv. II 131: cf. λ *Lide aranea dicta est* etc.
V 656, 17 ad Iuv. VI 435 = gl. πφχ (*Elissae Didoni*).
V 656, 19 ad Iuv. VI 246 = λ *Endromida pallium philosophorum* (φχ *Endromis est vestis philosophica gravis* etc.).
V 656, 20 ad Iuv. VI 573 = λ (etiam *compotus*; eadem om. *dicitur* et *math.* φ).
V 656, 22 ad Iuv. XII 46: cf. gl. φ *Escalia quas scutellas dicunt*; gl. χ *Escaria vasa in quibus escae deferuntur.*
V 656, 23 ad Iuv. V 164: cf. λ *Aurum Etruscum insigne libertatis. pueri ingenui bullis utebantur, quas Tarquinius ab Etruscis oriundus invenit* et π *antiquitus nobilium pueri bullas aureas habebant, pauperes de loris, signum libertatis.*
V 656, 26 ad Iuv. VI 397: cf. λ *V. adapertus nimium se inclinando in extis scilicet et humetiores* (!) *nervi venaeque varices dicuntur* (cf. φχ *v. dicitur aliquis, qui cum nimium intendit, fit adapertus* [*inclinando se satis* add. χ] etc.).
V 656, 29 ad Iuv. VI 466 = φχ *Viscantur id est polluuntur* etc.
V 656, 33 ad Iuv. III 68: cf. gl. π. *N. philacteria* etc., schol. φχ *N. dicuntur filacteria* etc., λ (*N.*) *Filacteria* etc.
V 656, 34 ad Iuv. VI 409 = λ *Nifa*[*n*]*ten fluvium in vicinos emersisse populos.*
V 656, 39 ad Iuv. XI 121: cf. gl. πφ (*Rombus*) *genus piscis.* (gl. χ *piscis*).
V 656, 40 ad Iuv. X 205 = gl. φ (*Ramice hirnia*), cf. schol. φ (gl. χ) *Ramex genus est hirniae.*
V 656, 42 a ad Iuv. II 97 = gl. πφχ (*Rasa*) *subtili* (*-lia* Vrbin.).
V 656, 43 ad Iuv. IV 39: v. ad 656, 39.
V 656, 44 ad Iuv. XIV 192: cf. φ *Rubras leges hoc est minio et cinnabari superscriptas.*
V 656, 45 ad Iuv. VI 426: cf. φχ *Oenophorum est vas vinarium: ynos enim vinum, phoron est ferre. scribitur autem haec graeca diptongus per se et profertur per y oenophorum* (!).

Has omnes glossas ex uno codice ortas esse recte mihi statuisse videtur Lommatzsch (l. c. 381 adn. 1). Quodsi idem v. d. paucissimis lectionibus et adnotationibus confisus codicem illum Montepessulano simillimum fuisse contendit, haud scio an eiusmodi conclusio probari non possit. Etenim non solum exstant codices Iuvenaliani, qui medium quendam locum inter recensiones Pithoeanam et Nicaeanam quae vocantur obtinent, sed etiam in libris manuscriptis, qui recentiora scholia continent, hic illic adnotationes inveniri, quae ad vetustiorem fontem redeunt et cum scholiis Pithoeanis quadam necessitudine coniunctae sunt, satis superque constat. Minime vero ex condicione glossarii Parisini concludi posse librum illum Iuvenalianum ineunte saeculo nono scriptum esse per se patet. Habemus enim glossas satis festina manu correptas ut e codice Iuvenalis ita ex variis libris, quorum in numero fuerunt aliquot glossaria (inprimis Liber glossarum), Nonius, Isidorus; quae omnia cur non intra brevissimum temporis spatium collecta esse possint, equidem non video. Eum autem, qui materiam illam collegit, vix ante saeculi noni

finem munere suo fungi potuisse documento sunt scholia recentiora, quorum magnam partem recepit. Quae cum ita sint, glossarii pretium paene nullum est neque augetur talibus glossis, quae primo obtutu reconditam quandam doctrinam praebere videntur, velut 654,8 *Cittis et granis punica mala referta sunt*: non enim ad Festum (cf. Paul. 42,10) haec redeunt, sed ad Aldhelmum (236,18), ubi legitur *mala punica cittis* (!) *granisque rubentibus referta*; ad eundem redire videtur glossa 652,50, v. Th. gl. s. v. *masca*. Quamquam aliam sententiam protulit Lindsay in adnotatione ad glossam Cant. C 386 (Corp. ed. p. 197 sq.); putat enim Aldhelmum pendere a glossis per Pseudophiloxenum ad Festum redeuntibus, quam sententiam probari censet eo, quod et apud Ps.-Philoxenum et in glossario Parisino reperiantur, quae ad tres poetas satiricos — Iuvenalem Persium Horatium dicit — referenda sint. Sed quomodo iudicandum sit de glossario Parisino, quod ille appellat 'a glossary compiled from ancient scholia on the Roman Satirists', nunc, postquam de origine opusculi satis constat, nemo non videt. Quodsi in glossario Amploniano secundo (V 296, 11/12) glossae leguntur ad Iuven. III 38 spectantes, quae quodammodo cum scholiis Iuvenalianis cohaerere videntur, ne hac quidem re sententiam illam corroborari posse crediderim, qua glossas Parisinas v. d. cum Ps.-Philoxeni glossario conectere studet; nihili enim est quod ille coniectat in Amploniano agi de ordine glossarum Ps.-Philoxenianarum, quam coniecturam ne alio quidem loco, ubi hanc rem tetigit (Corp. Ep. p. 79 sq.), pluribus persequi ausus est. Itaque de origine glossarum illarum nihil constat; id unum concesserim posse eas ad glossarium 'Abolita' redire, in quo paucas glossas Iuvenalianas (IV 7,1 *Acoenonoetus*; 24,23 *Bascaudas*; 153,6 *Pusio*?; 166,27 *Sauromatae*?) inveniri notum est; sed hoc quoque satis incertum.

Vt ad glossaria Iuvenaliana redeamus, de eis, quorum mentionem fecit Goetz in appendice altera ad praefationem editionis Iuvenalis, quam Friedlaendero debemus (Lips. 1895 p. 109 sqq.), breves admodum esse possumus. Etenim quas exhibet glossas codex Harleianus 3826 s. X f. 161—164, eae fere omnes cum glossis $\pi\varphi\chi\lambda$ et scholiis $\varphi\chi$ congruunt; quas proprias habet, eiusdem plane sunt prosapiae neque ullius omnino pretii; cum scholiis vetustioribus nihil habent commune (glossam ad Iuv. VI 506 — l. c. p. 109 —, quae ex scholiis $\varphi\chi$ desumpta est, ad Hieronymum redire testantur scholia φ ad XIII 167). Idem valet de altero glossario Iuvenaliano codicis Vaticani Regin. 1392 s. XIII, cuius interpretationes fere vel a recentioribus aevi Carolini scholiis glossisque longius recedunt et infimae aetatis notam aperte prae se ferunt. Exemplis a Goetzio l. c. p. 110 prolatis duo addam ad designandum interpretis ingenium: ad Iuv. II 61 adnotat *Chelindrus partim habitat in terra, partim*

in aquis (cf. Isidor. Orig. XII 4, 24 *Chelydros*!). *ornamenta mulierum ad similitudinem serpentis facta ut monilia dicuntur chelindri* et ad III 68 *Nichateria signa victorie. nichos victor. inde Boetius Anitius inuictus* (*i. unctus* cod.; cf. schol. ad Prudent. adv. Symm. I 551 p. 138 Burnam).

Restat ut paucis agamus de Papia, qui commentis Iuvenalianis se usum esse in praefatione Elementarii ipse profitetur. Sunt autem illa commenta nihil nisi scholia recentiora. Velut glossa de Laterano, quam Goetz supra (p. 182 adn.) exhibet, magnam partem legitur in φ (χ ultra lib. VIII non procedunt) ad Iuv. X 17 sic: *Lateranis* (!) *palatium fuit Neronis, quod dictum est vel a latere septentrionis plagae, in quo situm est, vel a lata rana quam dicitur Nero peperisse,* ultima in glossis Parisinis exstare supra vidimus. Item glossam *Forire,* quam Goetz in Th. gl. (VI 463) recepit, nihil esse nisi scholion φχ, quod supra exhibui, manifestum est. Ad eundem fontem redeunt *Anaglypharius sculptor* (Th. gl. VI 66); cf. ad Iuv. IX 145 gl. πφ *Caelator sculptor* et schol. φ *Caelatorem dicit anaglifarium* etc.; *Cadurcum* etc. (Th. gl. VI 160) = φχ ad VII 221 *Cadurcum vocatur tentorium, quo merces protegunt suas* etc. (cf. '*alii*' in schol. π ad h. l. = schol. λ); *Caeruli dicuntur quidam pisces in Aegypto* (Th. gl. VI 164) = φ ad XV 7 *Caerulei vocantur quidam pisces vel, ut alii dicunt, serpentes in Aegypto* etc.; ad gl. V 584, 5 *Centones filtra,* quam et Papias exhibet (v. Th. gl.), cf. φ ad Iuv. VI 121 *Centonem posuit pro libidine, quia in centone id est filtro prostabantur* (!) *meretrices*; λ *Velo illo fornicis execrando, vel filtro* (*-a*?) *dicit, in quibus prost. m.*; quae legitur Th. gl. VI 648 glossa *Linosa vulgo avis quae dicitur curuca,* ea detorta est ex scholio φχ ad Iuv. VI 276 *Curuca est avicula, quae alienos foetus educat*; *hanc dicunt esse linofam*; ex iisdem scholiis desumpta est Papiae glossa *Squilla genus piscis delicati, haec vulgo lota dicitur* (ad V 81; χ *S. g. e. p. optimi et d., quem vulgo lotam vocamus,* φ *S. e. p. species delicati. ferunt quidam quod ipsa vulgo dicatur lota,* cf. Arch. lex. lat. XIII 279); *Triscurrium multiplex scurrilitas* ad VIII 190 = φχ; aliae item.

Codicem Vaticanum Reg. 215 (a. 876 vel 877), cui debetur glossa *Centones filtra* (v. supra), alibi quoque vinculo quodam cum scholiis Iuvenalianis recentioribus contineri docet glossa V 584, 12, ubi interpretationem ex Isidori Orig. I 44, 1 desumptam sequitur alia, quae isdem verbis legitur in φλ (v. supra ad gl. Paris. V 656, 20), et insuper Iuvenalis versus VI 572—574 laudantur. Idem poeta una cum Persio testis profertur in glossa V 585, 17, cuius pars prior Isidoro Or. X 220 debetur; cum iis quae secuntur *idem et Cilices apud Persium vocantur. Iuvenalis in tertio* '*pyratae Cilicum — sed quid damnatio confert*?', comparari possunt schol. λ *Cilices enim semper exercent piraticam*; *nam frequenter apud Lucanum et piratae pro Cilicibus et Cilices pro piratibus* (!) *ponun-*

tur et φχ *C. semper exercuerunt piraticam, in tantum ut Cilices pro piratis et piratae pro Cilicibus apud auctores ponantur*: quae omnia ex eadem officina prodiisse patet. Idem fortasse statuendum de glossa V 585, 12 collato scholio φχ ad Iuv. VIII 158 *Popina dicitur culina iuxta Thermas posita, in qua egressi a balneis (thermis χ) reficiebantur. vocatur autem popina ab eo quod est pina idest fames, eo quod ibi pelleretur fames*, quod scholion miro modo consentit cum scholio — Remigii Autissiodorensis — ad Prudent. Hamart. 762 (p. 79 Burnam). Eodem pertinet gl. V 584, 3 *Condilomata sunt nodositates, quas patiuntur art⟨r⟩etici* (!) *digitorum*, quacum cf. schol. ad Prud. Peristeph. X 495 (p. 213 B.); accedit quod Remigius Martiani Capellae, qui in glossa affertur, libros non modo saepius laudavit, sed etiam commentariis instruxit, ut minime dubium esse possit, cuius generis sint glossae codicis Vaticani.

V. DE GLOSSIS TERENTIANIS

De glossis Terentianis ut ad ea, quae supra passim exposui, hic pauca addam, monet disputatio, quam R. Weir nuperrime publici iuris fecit 'Terence glosses in the Abolita glossary' ('Class. Quarterly' XIV [1922] 43 sqq.). Exponit ibi Gnuegium (cf. supra p. 118 sqq.) sano quidem iudicio rem instituisse, sed nimio studio augendi glossarum Terentianarum numeri abreptum multa ad comicum poetam rettulisse, quae minime ad illius fabulas pertinerent, atque in hac re modo nimiam fidem habuisse testibus manuscriptis, modo inductum glossario Terentiano, quod legitur vol. V 529 sqq., glossas Vaticanas vi quadam ad suam ipsius intentionem accommodasse. Atque in universum suo iure hoc statuit v. d.; quamquam non omittendum existimo alia condicione ante hos viginti annos usum esse Gnuegium, qui quodammodo princeps in hac re vestigia posuit, alia nos posse uti, postquam multorum studiis effectum est, ut de origine, compositione, fontibus glossarii Abolita-Abstrusa si non certissimum facere possimus iudicium, attamen minus incertum quam antea. Quod quo iure contenderim, cum ex iis, quae supra exposui, satis apparere puto, tum ex ipsius viri d. dissertatione cognosci potest. Nam licet de multis glossis rectius iudicaverit quam Gnueg, tamen hic illic quae profert, non extra omnem posita sunt dubitationem. Velut in serie satis ampla, quae legitur vol. IV 69, 30 sqq. (cf. supra p. 121), glossa 44 *Expedit liberat, exoluet* ad Phorm. v. 766 (*expediat*) quidem referri vix potest, sicut factum est a Gnuegio; sed non magis ad Hecyrae v. 297 ('*expedivi animum meum*') trahi posse mihi videtur, quod si iustum esset, exspectaremus *Expedivi(t) liberavi(t), exolvi(t)*; qua de causa eam cum Hec. v. 755 ('*teque hoc crimine expedi*') coniungere malim, ut scribendum sit *Expedi[t] libera[t], exolue[t]* (cf.

infra ad gl. IV 98, 10). Cui rei vix obstat, quod ordo versuum Terentianorum interrumpitur, qui in his ordinibus non ubique servatus est: cf. gl. 31 = Hec. 347, gl. 49 = 742, gl. 50 = Hec. 727. Cur in serie Terentiana IV 159, 28 sqq. W. glossas 29 et 33 omiserit, non intellego: illa enim (*quot modis quot vicibus*) ad Andr. 248 referri potest (inter glossas ad Andr. 214 et Ad. 680), haec (*quo redactus ⟨sum⟩ ad quid perveni[t]*) ad Eun. 238 (praecedit gl. ad Eun. 420, sequitur ad Heaut. 700); ceterum etiam gl. 159, 38 ad Eun. 554 vel ad Phorm. 551 referri posse moneam. Ex ordine Terentiano, qui exstat IV 42, 1 sqq. (v. supra p. 120), W. gl. 6 removet, quia repetatur 23 ex Eun. (v. 444?) desumpta; at cur non ex Phorm. 699 eadem glossa afferri potuit? Gl. IV 42, 30 ad Eun. 1072 (*rivalem*) dubitans rettulit v. d.; sed potest esse glossa inversa (*aemulum conrivalem*) ad Eun. 214 vel 623, sicut ea, quae sequitur (*conroborare firmare*), ad Hec. 750 (aliunde inlatam censet W.). Atque revera glossas Terentianas hic illic inversas esse docet e. g. IV 43, 22 (*comesandum comedendum*: Eun. 1087 '*comedendum*') vel 43, 27 (*condicione lege*: Eun. 102 '*lege*'; sic ipse W.!); cf. etiam 107, 7 (*lenocinio meo beneficio meo*) ad Eun. 149 (sic etiam W.). Ad ordinem Terentianum referendae videntur etiam glossae IV 98, 5 (*insolens* = Andr. 907), 6 (*inscientiam* = Heaut. 630, ubi codd. Ter. vel *inscientiam* vel *inscitiam* exhibent), 7 (*innatum* [gl. inversa!] = Hec. 543), 8 (*inscitum* = Hec. 740), 9 (*inscitia* = Eun. 1071; Phorm. 77), 10 (*instiga[t]* = Andr. 692), quas omnes W. neglexit. Sed haec hactenus.

Glossarii Abolita glossas Terentianas admodum recentes esse neque ullo artiore vinculo cum Donati commentariis coniunctas recte statuit v. d. (cf. Goetz supra p. 121). Quae de propriis codicis Terentiani adhibiti lectionibus composuit, ea hoc loco transire liceat; item uno verbo attigisse satis habeo quae de ordine comoediarum eruisse v. d. sibi visus est: putat enim in illo libro eundem fuisse, quem praebent Terenti codices D et G, sc. Andr. Ad. Eun. Phorm. Heaut. Hec. Sed ipse W. non ignorat rem satis esse incertam.

B. ADDITAMENTA EDITORIS

P. 15 et 44. De Servii glossis, item glossis Loiselii quibusdam conferre iubeo quae exposuit F. Burg in 'Berl. phil. Wochenschr. 1920 p. 498 sqq. et p. 525 sqq. (*licinus, lisina* und Verwandtes).

Ad p. 23. Folium papyraceum Parisinum (II 563, 10—38) denuo diligentissime inspexit et tractavit Gundermann, qui mihi haec corrigenda esse indicavit: 1. *pane oxomin* (= *panem ψωμίον*); 5. *pisce opxari* (= *piscem ὀψάριον*); 6. *ube pa* (= *ubi πᾶ*); 7. *is aput in* (= *εἰς*); 8. *eces*

(= *ἐκ ex*); 10. *laguna*; 11. *neron*; 15. *cerason*; 17. *epareileba* (*ἔπαραι eleva*); 19. *ospitiu monisci eceteri* (= *hospitium μονίσκιον οἰκητήριον*); 25. *pedes potas* (ex *potia* corr.); 31. *bile utelo* (*vile ὕθλον*); 35. *iscio eda* (= *scio οἶδα*); 36. *iam saoti* (= *iam ἐς αὖθι*); 37. *pola cinidi* (*pullam χηνίδιον*); 42. *cabicola clidin* (*caviculam καλιδίον*); 47. *inple ce miso* (= *inple γέμισον*); 48. *bacula araficen* (= *baculam Ἀραβικήν* sc. *μάνναν*).

Ad p. 59 v. 10 ab initio scr. (cap. XVIII) pro eo quod legitur (cap. XVII).

Ad p. 67, 7 a fine scr. *quas* pro *quae*.

Ad p. 70. Cum eis quae de Suetonio dixi conferenda esse moneo quae P. Wessner Herm. t. 52 (a. 1817) p. 225 sqq., 263 sqq., 276 exposuit. Adde quae Wessner ipse supra p. 313 adnotavit.

Ad p. 81 ante textum synonymorum dele '§ 24'.

Ad p. 87 sqq. Ad differentias pertinent ea quae W. A. Baehrens Hermae tomi LVI (a. 1921) p. 411—421 docte exposuit.

Ad p. 108. Invito me factum est ut in hac pagina relinqueretur bis 'de Gotis' pro eo quod scribere in animo erat 'de Gothis'.

Ad p. 112. Conferenda Origenis vol. VI, quod Baehrensii curae debetur p. 52, 3 et p. 237, 27.

Ad p. 113. Doleo quod nunc legitur versu 3 Europio pro eo quod scripseram Eutropio.

Ad p. 123 v. 15 a fine adde 191, 24 ante *vesperescit*.

Ad p. 124 v. 19 a fine adde I post Aen.

Ad p. 126. Repone in versu quinto a fine numerato *numerum* pro *numerus*.

Ad p. 128 v. 3 a fine scr. vol. XL.

Ad p. 236. Repone '§ 58' pro eo quod relictum est § 68.

Ad p. 248. Repone infra v. 7 a fine numerato '260, 50' pro '260, 60'. Mox (p. 249) v. 15 ab initio repone '350, 8' pro 350, 5.

Ad p. 270. Citius quam speraveram prodiisse moneo libellum de Attone compositum: 'Attonis qui fertur polipticum quod appellatur perpendiculum'. Eingeleitet, herausgegeben und übersetzt von Georg Goetz (Abhandl. der philologisch-historischen Klasse der Sächs. Akad. d. W. XXXVII 2, 1922).

Reliqua additamenta quae succreverant in chartis retinere loci penuria me coegit.

INDEX VOCABVLORVM

THESAVRI GLOSSARVM EMENDATARVM SVPPLEMENTVM

Aa 278
Ab absens 11
Abactor 128. 277. V. Abactus
Abactus 128. 298. 304. 306. abacta 306
Abacus: abaci 32. abbagus ἄβαξ 294. *Ad* V 652,1/2: 384
Abantes 306
Abarcet 353
Abartenum 134. 253
Abaso 125. 304
Ab Ausonio: *pertinet ad* Ausonia IV 23, 11
Abavus 304. 306
Abba pater 184. 304. 306. *Cf.* 186
Abbas κοινοβιάρχης *Scal.* 255 (*ex Onomastico*)
Abdens: *Oros.* IV *praef.* 8
Abdĭco 304. abdicat 302. abdigat 128. abdicare 293
Abditum 302
Abdo 304. abdidit 300
Abdomen 301. *Ad* V 652, 3: 384
Abduco 304
Abegato: abnegato (*Oros.* V 14, 6) *Lindsay*
Abemit 28
Abeo: abit discedit IV 4, 32
Abhorrens 294
Abicio: abiecit 128
Abiecte 128
Abiectio 294
Abiecto 304
Abiens: abeuntibus (*Verg. Aen.* I 196) 134
Abies 128. 326. abiete[m] IV 4, 15 (*Verg. Aen.* XI 667)
Abigeata: abegiata involuta (= involata) 804
Abigeus 304. *Cf.* 85, 143 (abigens)
Abigo: abiget 306. abige (abicte *cod.*) 304. abigere 294. abegit 302
Abiteres: absbit. *Lindsay*
Abiugassere 322. 365
Abiuratae IV 4, 12 (*Verg. Aen.* VIII 263)
Abiuratio rei creditae (conditae *cod.*) negatio 304.
Abizant vel **bambizant** apes 92
Ablactatus 128. 304
Abludam *v.* Apluda
Abluo: abluit 302. cadit (lavit?) 128. abluere 302
Abluta 128. 134 (*Verg. Aen.* IX 818) abluti 303
Abnegat 302
Abnegato *v.* Abegato
Abolenda *Oros.* V 4, 3
Abolere 293 sq. aboliri 304
Aborigines *Osbernus* (p. 389) 209
Ab oris 296. *Cf.* 126 (*Verg. Aen.* I 1) *Gl.* IV 4, 13 *ad Verg. Aen.* X 164 *spectat*
Abortivit: abortibat 82, 38
Abortivus (*cf. Isid.* X 20) 128; *ad* IV 5, 13 abortivis: obortis *Lindsay*
Abortum (*Paul.* 29, 16) 29
Abortus V 341, 9 (*Oros.* IV 2, 2)
Abra *v.* Habra
Abram 128
Abrixium *v.* Obryzum
Abruptus: abruptis (adr. *cod.*) apertis IV 10, 10
